HARDY (R. SPENCE) EASTERN MONACHISM; an account of the Origin, Laws, Discipline, Sacred Writings, etc. etc. of the Order of Mendicants founded by GOTAMA BUDDHA. 8vo. Cloth (pub. at 12s) reduced to 7s 6d

---

HARDY (R. SPENCE) A MANUAL OF BUDDHISM in its modern development, translated from Singalese MSS. 8vo. Cloth (pub. at 12s) reduced to 7s 6d

*** Messrs. W. and N. have just purchased the entire remainder of the above two important works.

THE PROPER NAMES OF THE OLD TESTAMENT arranged Alphabetically from the original Text, with Historical and Geographical Illustrations, for the use of Hebrew Students and Teachers, with an Appendix of the Hebrew and Aramaic Names in the New Testament. 8vo. Cloth 7s 6d

---

GENESIS, THE BOOK OF, in Hebrew, with a critically revised Text, various readings, and grammatical and critical Notes, &c. By the Rev. C. H. H. Wright, B.A. 8vo. Cloth bds. 10s 6d

---

POLYGLOTT JONAH. The Book of Jonah in four Semitic Versions, viz. Chaldee, Syriac, Æthiopic, and Arabic. With corresponding Glossaries by W. Wright, Professor of Arabic, Trin. Coll. Dublin. 8vo. Cloth 7s 6d

---

WRIGHT (W.) GRAMMAR OF THE ARABIC LANGUAGE, founded on the German work of Caspari, and edited, with numerous additions and corrections, by Wm. Wright, Professor of Arabic in the University of Dublin. Vol. I. 8vo. Cloth bds. 7s 6d

---

COWPER (Rev. B. Harris) A SYRIAC GRAMMAR, founded on that of Dr. Hoffmann, with additions. 8vo. Cloth 7s 6d

---

BERNSTEIN AND KIRSCH. SYRIAC CHRESTOMATHY AND LEXICON—Chrestomathia Syriaca cum Lexico. 2 vols 8vo. Lips. 1836 (pub. at 12s) 7s 6d

The Advertisers have become purchasers of the entire stock and copyright of this valuable work.

DR. DONALDSON'S CHRISTIAN ORTHODOXY reconciled with the CONCLUSIONS of MODERN BIBLICAL LEARNING; a Theological Essay, with Critical and Controversial Supplements. By JOHN WILLIAM DONALDSON, D.D., late Fellow of Trinity College, Cambridge. 8vo. Cloth 10s

---

DR. DONALDSON'S JASHAR. Fragmenta Archetypa Carminum Hebraicorum in Masorethico Veteris Testamenti Textu passim tessellata collegit, restituit, ordinavit, in unum corpus redegit, Latine exhibuit, commentario instruxit J. G. DONALDSON, S. T. D. editio secunda, aucta et emendata (*In the press*)

KIRKPATRICK. THE UNIVERSITY, its historically-evolved Conception, considered with especial reference to Oxford. By Edward Kirkpatrick, M.A., Oxon. Crown 8vo. Cloth 5s

---

LORIMER. THE UNIVERSITIES OF SCOTLAND, Past, Present, and Possible, with an Appendix of Documents relating to the Higher Instruction, by JAMES LORIMER, Esq., Advocate. 8vo. Bds. 2s 6d

MARIETTE. HALF HOURS OF FRENCH TRANSLATION, or Extracts from the best English authors to be rendered into French, and Translations from Modern French authors to be re-translated, with grammatical notes by ALPHONSE MARIETTE, Professor in King's College, London. 2nd edition, improved and enlarged. 8vo. Cloth. 1860 4s 6d

---

ROCHE (Antonin) HISTOIRE des PRINCIPAUX ECRIVAINS FRANCAIS. 2 vols. 8vo. Cloth bds. 8s

---

ROCHE (A.) GRAMMAIRE FRANCAISE, Adoptée par le Conseil Impérial de l'instruction publique pour les Lycées et les Colleges de France. Nouvelle Edition. A l'usage des Anglais. Par A. ROCHE, Examinateur à l'Université de Londres, Directeur de l'Educational Institute. 12mo. Cloth bds. 2s

---

ROCHE (A.) DU STYLE et de la COMPOSITION LITTÉRAIRE. 12mo. 3s 6d

---

ROCHE (A.) POËTES FRANCAIS, recueil de morceaux choisis dans les meilleurs poëtes, depuis l'origine de la littérature jusqu'à nos jours, avec une Notice biographique et critique sur chaque poëte. Quatrième édition. 12mo. Cloth bds. 6s

---

ROCHE (A.) PROSATEURS FRANCAIS, recueil de morceaux choisis dans les meilleurs prosateurs, avec une Notice biographique et critique sur chaque auteur. Cinquième édition. 12mo. Cloth bds. 6s

---

BIAGGI. PROSATORI ITALIANI. Specimens of Italian Prose Writers, from the 13th Century to the present time, with a Critical and Biographical Notice of each Author; preceded by a Selection of Easy Extracts, with Notes for Beginners.

MARIOTTI'S ITALIAN GRAMMAR. Third Edition. A Practical Grammar of the Italian Language. New Edition, revised, enlarged and improved. By A. GALLENGA, Italian Professor at University College, London, Author of "Italy Past and Present," &c. 12mo. Cloth 3s

---

VEGA'S LOGARITHMIC TABLES of Numbers and Trigonometrical Functions, translated from the 40th or DR. BREMIKER'S thoroughly revised and enlarged EDITION, by W. L. F. FISCHER, M.A., F.R.S., Fellow of Clare Coll. Camb., Professor of Mathematics in the University of St. Andrews. Royal 8vo. Cloth bds. 7s

---

COOLEY (W. D.) THE ELEMENTS OF GEOMETRY simplified and explained, with Practical Geometry and Supplement. By W. D. COOLEY, A.B. 12mo. Cloth 2s

---

SCHEERER and BLANFORD on the BLOWPIPE. INTRODUCTION to the USE of the MOUTH-BLOWPIPE, with a description of the Blowpipe Characters of the more important Minerals. Translated and compiled from the works of Scheerer, Plattner, and others, by H. F. BLANFORD. 12mo. Cloth 3s 6d

---

WILLIAMS' NEW ZEALAND DICTIONARY and GRAMMAR. Dictionary of the New Zealand or Maori Language. Two Parts. With a Grammar and Colloquial Phrases. By Dr. W. WILLIAMS, Bishop of Waiapu. Second Edition. 8vo. Cloth boards 8s

JASHAR.

FRAGMENTA ARCHETYPA

CARMINUM HEBRAICORUM

IN

MASORETHICO VETERIS TESTAMENTI TEXTU

PASSIM TESSELLATA

COLLEGIT, ORDINAVIT, RESTITUIT,

IN UNUM CORPUS REDEGIT,

LATINE EXHIBUIT, COMMENTARIO INSTRUXIT

JOANNES GUILELMUS DONALDSON

S. THEOLOGIAE DOCTOR; COLLEGII SS. TRINITATIS APUD CANTABRIGIENSES QUONDAM SOCIUS.

EDITIO SECUNDA

AUCTA ATQUE EMENDATA.

LONDINI ET EDIMBURGI.

PROSTAT APUD WILLIAMS ET NORGATE.

LIPSIAE APUD RUD. HARTMANN.

MDCCCLX.

PRAEFATIO
EDITIONIS SECUNDAE.

Occasionem hujus dissertationis recognoscendae, a librariis delatam, equidem libenter arripui. Nam tametsi ab ea ratione, qua in universa re versatus sum, ne transversum quidem unguem discessi, et vel paginarum ordinem numerumque integrum reliqui, tamen nihilominus haud ita pauca erant sigillatim, quae vel minuta egerent emendatione, vel brevi aliquo argumento confirmari possent. Ac praesertim in ea *Peccati*, quod vocatur, *Originalis* interpretatione, quam ex vestigiis in textu Hebraeo signatis primus agnoveram, quam verissimam judico, qua tanquam fundamento rationes meae et placita innituntur, praeter jucundissimam summorum virorum approbationem, qui vel sermone vel litteris assensum suum mihi significaverant, nuperrime et quasi forte fortuna comperi Henricum Cornelium Agrippam Nettesheimensem, qui omnibus fere saeculi sexti decimi hominibus ingenio ac doctrina antecellebat, eandem plane sententiam sine ulla bonorum offensione, aperte professum esse, et acri etiamtunc Romanae Ecclesiae dominatione Episcopo cuidam dedicasse. Itaque mihi relligio fuit hanc praeoccupationem cum lectoribus meis quantocius communicare, adjectis aliis quoque adstipulatoribus quos universe meam vel potius Agrippae rationem comprobasse rescivi. Neque enim is sum qui fremam „pereant qui ante nos nostra dixerunt!“ Gaudeo potius ac laetor, quod, dum ii, qui perennem erroris rivulum ex caenosis ecclesiaticae traditionis fontibus hauriunt, lapsum hominis et malorum omnium originem ad callidam Aesopici serpentis facundiam referunt, exstiterunt quovis fere saeculo docti piique viri, qui hominem et peccasse

primitus et peccare adhuc contendunt propter hanc sceleratam pulpam (*Pers.* II, 63), quam circumferamus, qua autem divinior spiritus quasi alligatus teneatur; et verissimam hanc doctrinam in vetustis Judaeorum libris sub tenui allegoriae velo latere existimant. Ad calcem igitur hujus editionis subjeci catenam eorum, qui ad hanc sententiam ante me pervenerunt. Accedunt quoque aliquot dissertationes, ex quibus biblicam scientiam nonnihil bonae frugis percepturam arbitror.

Quum exeunte anno MDCCCLIV hic tractatus publici juris factus est, in Anglia saltim clamosas obtrectationes illicò effutiebant ii qui propter panes et pisciculos se in ignominiosam bibliolatriae servitutem venumdederunt. At enim vero quoniam omnes, qui in Diariis publicis sine suis nominibus in me impetum fecerunt, nisi quod alter altero scurrilitate odiosior erat, easdem ineptias iterabant, satis habui cunctos una responsione confutare in libro quem ineunte anno MDCCCLVII vernaculo sermone conscriptum edidi[1]). Inventus est profecto unus atque item alter inter nostrates theologus, qui sperabat se mercedem ambitionis suae percepturum, si in tali caussa accusatorem ultro ageret. Atque hos ego ita ad incitas redegi, ut inhonestae eos temeritatis statim poeniteret. Sed unum illum, qui in Germania meum librum morosa cavillatione tam cupide insectabatur, huic praefationi reservavi, ut Latino sermone utens eum qualis sit civibus suis et litterato orbi exhibeam[2]). Is est Henricus Ewald, qui mensi Januario a. MDCCCLV, antequam satis diligenter legere posset, nedum perpendere et judicare, id quod tanta cura conscripseram, summa arrogantia, tanquam si ex istius arbitrio totus penderem, me meamque rationem condemnare properabat. Quare tanta festinatione in me incurreret, mihi quidem non potuit esse dubium. Tantummodo dissimilitudo meae rationis offendit hominem. Provocaveram scilicet fatuum censorem, sui amore inflatum, ut qui in verba ejus jurare noluissem, nec promissam loci difficillimi explicationem mea veriorem fore ultro essem auguratus (infr.

---

[1]) *Christian Orthodoxy reconciled with the conclusions of modern biblical learning; a theogical essay with critical and controversial supplements;* London 1857.

[2]) Absurdam Ewaldi rationem leviter attigi libro citato pp. 209, 210.

p. 107). Hinc illae lacrymae! hinc fastiditae quasi mulieris indignatio! Nam in altera meae dissertationis[1]) notitia ad hanc spretae admonitionis injuriam revertitur, et sauciam inanis animi vanitatem aperte testatur. Quodsi in relationem ipsam aspicimus, non ibi probi judicis industriam agnoscemus, sed petulantiam hominis qui nullum obloquentem ferre potest, et quicunque ipsius sententiam impugnaverit, eum infenso odio prosequitur. Dixit Ewaldus! αὐτὸς ἔφα! ergo taceant gentes! Bos Aegyptius locutus est! ergo universo gregi praecipitur ne mugire audeant! Judaeus Apollo oraculum edidit! ergo genibus nixi verba sacrosancta venerabundi accipiamus! Nonne hoc scriptum est in Diariis Goettingensibus? Quid restat nisi ut exosculemur divinum codicem, afflatum caelesti numine?

Quam imperiose, quam inconsulte, quam leviter Henricus Ewald censorem agat, quantopere alios contemnat, quam indignos ducat qui una secum litterata urbe intra eadem moenia aequo jure fruantur, argumento sit haec ipsa scriptionis meae relatio. Nam quum nullis omnino indiciis et testimoniis judicium illud suum praestare dignatus sit, sic loquitur ex cathedra de me, qui, praefiscini dixerim, non minorem Ewaldo saltim philologiae operam me navasse arbitror: „scilicet, meum librum satis refutatum esse apud peritos judices, si quis ipsos capitulorum titulos vel brevissime recitaverit“[2]); „meum conatum prorsus ad irritum cecidisse; et quum appareat, quam temere et ignoranter res singulas tractaverim, quantopere erraverim tam in vocabulis quam in locis explicandis, et quam novas futilesque significationes protulerim, neminem amplius mirari posse, quod ad summum tam perversam sententiam excogita-

[1]) Jahrbücher d. Bibl. Wissenschaft. 1855. p. 126: „Ueber diesen grofsen aber verunglückten Versuch, das im A. T. zweimal angeführte *Buch Jashar* wiederherzustellen und zu erklären, habe ich in den *Gött. G. A.* 1855, S. 143—158 só bestimmt und só ausführlich geredet, dafs es hier weiter keiner Worte darüber bedarf. Hier bemerken wir nur noch, dafs der Vf. wohlgethan haben würde, wenn er die ihm schon vor vier Jahren in diesen Jahrbb. III, S. 205 f. auseinandergesetzten Wahrheiten besser beachtet hätte.“

[2]) p. 152: „Mit dieser Auszeichnung haben wir in der That die Beurtheilung des Werkes Hrn. Donaldson's für alle Fachkenner schon so gut als beendigt.“

verim"[1]); „si vel conjectando assecutus essem qualis revera sit melior illa apud Germanos biblicae scientiae doctrina, (Ewaldiana scilicet!) hanc dissertationem profecto me non scripturum fuisse; at enim vero si ita esset, multam multarum rerum me cognitionem fuisse adepturum, et multum taedii et laboris devoraturum, de quibus adhuc me nondum somniasse"[2]); denique „me vel linguam Hebraeam parum cognovisse, et plurima verba mutasse, propterea dumtaxat quod veram eorum significationem non intelligerem"[3])! Jam vero lectorem quempiam rogatum velim, num Henricus Ewald barbatulum juvenem in classe sua miserrime titubantem acerbius et contumeliosius corripere potuisset? At quare hoc fecerit, nemini potest esse dubium. Volebat utique se ipsum venditare. Nam, ut institor est suarum usque mercium, subjunxit statim[4]) Diariorum suorum commendationem; atque sub initium censurae satis aperte significavit, se jam antea declarasse quidquid de libro Jasharano vel cogitari vel dici liceat[5]), me autem voluisse Ewaldum aemulari, atque, ut ipse latitantem illum *Originum Librum* eruisset, ita pro meo Marte conatum esse

---

[1]) pp. 152, 153: „Wir müssen daher das vorliegende Werk als ein gänzlich verfehltes betrachten: und wenn man alsdann im Einzelnen überall sieht, mit welcher Willkür und Unkenntnifs der Verf. seine Gegenstände behandelt, wie er bei der Erklärung der einzelnen Worte ebensowohl wie ganzer Stücke das Wahre verfehlt und neue, aber völlig grundlose Meinungen aufstellt, so können wir uns auch nicht weiter wundern, dafs er im Ganzen und Grofsen so Verkehrtes aussinnen mochte."

[2]) p. 154: „Hätte Hr. Donaldson auch nur eine richtige Ahnung von dém gehabt, was die bessere biblische Wissenschaft jetzt in Deutschland wirklich sei, so würde er sicherlich sein ganzes Werk nicht geschrieben haben; aber er hätte dann allerdings auch eine Menge der verschiedensten Kenntnisse sich erwerben und Mühen und Arbeiten sich unterziehen müssen, von denen er bis jetzt ebenso wenig eine Ahnung hat."

[3]) p. 158: „Er kennt das Hebräische auch als Sprache viel zu wenig, verändert manches Wort blofs, weil er es nicht versteht etc."

[4]) pp. 158, 159.

[5]) p. 147: „Was über Inhalt, Alter und Namen dieses (man kann sagen) allen jetzigen alttestamentlichen Büchern vorausgegangenen sich sicher denken und sagen läfst, habe ich bereits anderswo erklärt."

materiem *Jasharanam* in antiquum ordinem redigere[1]). At mehercule unde tu me, Ewalde, ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco. Et judicent peritiores uter utro inconsultae sapientiae crimini magis sit obnoxius. Nam Ewaldus iste summa confidentia significat se reperire posse et restituere fragmenta *libri* cujusdam *Originum*[2]), quem, scriptori nescio cui Nathanis prophetae aequali adscribit[3]). Eadem confidentia citat antiquissimum Judaicae historiae librum et quod ei antecessit[4]). Et post *librum Originum* tertium ille[5]) et quartum[6]) annalium scriptorem deprehendit, cujus fragmenta etiamdum in textu Masorethico appareant. At enimvero, ne unum quidem horum quattuor librorum vel nomine tenus citatum invenimus, neque ullo argumento, praeter suas hariolationes, probare potest Ewaldus tales libros unquam exstitisse, nedum fragmenta ipsa, quae ad unumquemque librum pertinuerint, distinguere callet ac denotare. Quinetiam fatetur Ewaldus illud ipsum *Libri Originum* nomen, quod ipse confinxerit, non justam esse ac legitimam talis libri appellationem[7])! Equidem si ita in re critica versatus essem, si tam insulsa temeritate quattuor libros excogitassem et sua cuique fragmenta arbitrio meo distribuissem, ne arrogantem quidem Ewaldi censuram deprecarer. Sed vide quaeso, quid fecerim. Nemo negat fuisse *librum Jasharanum*. Illius libri titulus exstat et apertam significationem prae se fert. Porro duo exploratae fidei fragmenta ex eo libro citantur. Denique concedit Ewaldus ipse, *librum Jasharanum* nullo alio tempore scribi posse, quam sub Salomone[8]), nempe, eodem tempore quo Nathan vel alius quispiam *librum* illum *Originum* edidit, quem tanta fiducia Ewaldus in vitam revocavit. Quid igitur vetat, quominus plurima illa fragmenta, quae in textu Masorethico scatent et quae vel Salomonei vel vetustioris aevi erant, ad verum illum *librum Probitatis* referam, cujus titulo respondent, potius quam ad alium quem-

---

1) p. 149: „Unstreitig schwebte ihm dabei das Vorbild ähnlicher Fälle auf diesem Gebiete vor etc.“

2) *Gesch. d. Volkes Israel.* I. p. 115. — 3) Ibid. p. 116. — 4) Ibid. p. 75.
5) Ibid. p. 119. — 6) Ibid. p. 122. — 7) Ibid. p. 96.

8) p. 147: „Es kann nicht wohl früher als unter Salomo's langer glücklicher Herrschaft, ist aber sicher auch wohl nicht später geschrieben.“

piam librum, cujus designationem pro me ipse effinxero? Nihil profecto, nisi quod Henricus Ewald, qui aliter sentit, se falli non posse existimat.

Sed operae pretium est paucis ostendere, qualis sit ille vir, qui Papam inter Protestantes agit, qui, quum se perpetuum in republica litteraria dictatorem creaverit, Bunsenium autem, equitum haud ita pridem, hodie baronum decus[1]), suum equitum magistrum dixerit, in alios omnes, sine ullo provocationis jure, vitae necisque jus exercere imbibit. Ac profecto, qui ita se semiticae philologiae arbitrum nuncupavit, eum oportet suam saltim familiam ducere. At ne in Hebraea quidem grammatica Germani Ewaldo suo primas deferunt. Ut alios sileam, vide modo quae de isto scripserit Redslobus (*Seebode's neue Jahrbücher* vol. XX, p. 72). Deinde, eum qui se tam severum aliis censorem praebet, alienis bonis gloriari nefas est. At Ewaldus, ut graculus ille Aesopicus, vel in Hebraea grammatica pennis se ornavit, quae Pavoni Britannico deciderant. Vide modo libellum doctissimi Sam. Lee, quo Ewaldum plagii litterati accusat (*An Examination of the Grammatical Principles of Professor Ewald of Tübingen*, London, 1847). Porro, qui sibi erroris immunitatem vindicat, eum sibi constare necesse est. At qui dixerat e. g. radicem nominis proprii למך non posse non congruere cum חמך[2]), idem hodie agnoscit, quod primus indicavi (infr. p. 129), *Lamechi* nomen *Λάμαχον* fuisse[3]). Et quum ita subindicarit verissimum esse quod ego affirmo[4]), ille autem negat[5]), eam rationem in scholis Hebraicis studiose amplectendam esse, qua profanorum scriptorum interpretatio tanta ceperit incrementa, demonstravit Ewaldus se in graecis saltim litteris ne elementa quidem satis didicisse: nam etsi a me meliora edoctus erat[6]), mediae vocis participium *ἀπεκδυσάμενος* (D. Paul. *ad Coloss.* II, 15) pro activo accepit; vertit enim: *ausziehend* d. i. ihrer Herrlichkeit

---

[1]) Ridiculum est, quantopere Bunsenius Ewaldusque gratulationes invicem largiantur.

[2]) *Geschichte d. Volkes Israel.* I, p. 315: „die Wurzel למך ... mufs mit لمك, חָמַךְ zusammenhangen."

[3]) *Jahrb. d. bibl. Wissensch.* VI, p. 2. — [4]) Infra p. 346.

[5]) *Gött. gel. Anz.* 1855. p. 157. — [6]) Infra p. 70.

beraubend *die Obrigkeiten und Gewalten*, quod esset ἀπεκδύσας[1]). In universa philologia quantulum progressus sit Ewaldus, ex eo apparet, quod litteram tenuem ת media ד antiquiorem esse existimat, propterea quia Ariarum linguarum aliquot tenues mediis anteponant[2])! Et spissa est in illo homine Latinae grammaticae ignorantia qui participiales secundae personae formas in-*mini*, -*minor* ad Indicum *dhvám* referri posse arbitratur (*Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes* 1837. pp. 110 sqq.). Sed ut sexcenta alia praetermittam, et hominem me confidentissime admonentem, vicissim admoneam, Ewaldo auctor sum, ut aliquam philologicae, grammaticae, criticae scientiae in linguis Ariis notitiam ex meis operibus vel aliunde sibi comparet, interea autem desinat alios viros, qui his studiis incumbunt, aduncis naribus suspendere.

Verum enimvero non libet plus operae vano homini castigando insumere. Optimae hujus libri vindiciae in intima rationis meae veritate nituntur. Nam si vetus Testamentum novo contrarium non est, si in utroque volumine revelationem a Deo ipso consignatam habemus, quid verius esse potest quam critica illa Judaicorum librorum tractatio, quae in vetustissima sacri codicis materie, in ipsis Mosaicae et Samuelicae relligionis medullis, antequam Sacerdotes Scribaeque Levitici serioris aevi caeremonias ritusque, Christo penitus abolendos, excogitassent, sincerum Dei verbum, doctrinam a Deo unice sancitam deprehendit, nempe omnem pietatem in imitatione Dei probi et misericordis versari? Haec eadem doctrina per scripta prophetarum argute resonat, qui missis sacrificiis et caeremoniis, ad veram Dei obedientiam et imitationem discipulos suos exhortantur (cf. *Jes.* I, 11—17. *Amos.* V, 21—25. *Michas* VI, 6—8. *Jer.* VII, 21—23. *Hos.* VI, 6. *Psalm.* L, 8—15. *Proverb.* XXI, 3). Idem voluit *Jobi* auctor, qui quum librum Jasharanum perpetuo quasi commentario illustraret (infr. p. 328), aperte testatus est (XXVIII, 28) „domini metum esse sapientiam, et maleficii declinationem prudentiam". Et quum uni-

---

1) *Sendschreiben d. Ap. Paul.* Götting. 1857. p. 485; cf. p. 472.
2) *Ausführl. Lehrb. d. Hebr. Spr.* 1844. p. 55.

versa lex et prophetae ex duobus iis mandatis pendeant, ut Deum hominesque diligamus (*Matth.* XXII, 36—40), Christus autem omnia ad mutuam hominum caritatem rettulerit (*Joann.* XIII, 34), haec eadem libri Jasharani doctrina, in ultima fere aetatis apostolicae scriptione iteratur (I *Joann.* IV, 16), qua monemur Deum esse caritatem, et eum, qui in caritate maneat, in Deo manere et Deum in ipso. Quam consentanea sit haec doctrina cum intima animi nostri ratione declarat Graecorum sapientissimus; nam Plato, quum rogasset (*Leges* IV, 716 *c*): *τίς οὖν δὴ πρᾶξις φίλη καὶ ἀκόλουθος Θεῷ;* respondet sibi: *μία, καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δὲ ἄμετρα οὔτε ἀλλήλοις οὔτε τοῖς ἐμμέτροις. ὁ δὴ Θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ που, ὥς φασιν* (Protagorei nempe), *ἄνθρωπος. τὸν οὖν τῷ τοιούτῳ προσφιλῆ γενησόμενον εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα καὶ αὐτὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίγνεσθαι, καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν Θεῷ φίλος, ὅμοιος γάρ, ὁ δὲ μὴ σώφρων ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος καὶ ἄδικος· καὶ τὰ ἄλλ' οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἔχει.* Atque idem philosophus, quum de insita hujus mundi pravitate questus esset, ad caelum nobis confugiendum esse existimat: ait enim (*Theaetet.* 170 *A*): *διὸ καὶ πειρᾶσθαι ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα· φυγὴ δὲ ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Qui igitur vel primo quasi conatu talem doctrinam, per se verissimam, ex antiquissimis Judaicae relligionis documentis exhumare studuisset, eum crederes apud omnes sanae sanctaeque mentis viros nonnihil sibi gratiae ac favoris conciliasse. Quod si ea res in invidiam verteret, putares sane hodiernos homines in usitata quadam superstitione acquiescere malle, quam eam amplecti relligionem quae rationalem Dei cultum cum universa benevolentia conciliat.

Nec desunt criticae ac litterariae rationes, quibus haec vetustissimae scripturae instauratio nitatur. Si enim constat fuisse librum יָשָׁר, latissima illa nominis significatio et diffusus scriptionis ejusmodi ambitus, quae, quum prima esset propheticarum scholarum soboles, omnia probitatis relligiosae praecepta

complectebatur, et majoribus prophetis alimentum spirituale ministrabat, efficere poterant, ut rarius nominatim citaretur, ut auctoritas ejus sensu potius intelligeretur, quam exprimeretur verbis. Nam quum ישר et עקב semper ita invicem opponantur, ut hoc sit „curvum“ vel sensu morali „perversum“, illud autem „rectum“ vel sensu morali „probum“ (cf. e. gr. *Jes.* XL, 3. 4), et quum ipsum eponymi nomen יעקב, qui a Deo ישראל vocatus est, designet pravum ac perversum populum, qui Dei gratia probus ac rectus fiebat, non subinde sed passim et ubique scatebant inter compilatas undique Masorètharum scripturas disjecta libri Jasharani membra, ut longe tutius sit quidvis ad priscam illam pietatem pertinens ut Jasharanum excerpere, quam quidquam ejus generis ut non Jasharanum repudiare. Itaque, ut jam olim significavi, quod in hoc opusculo tentavi simile est, ac si quis ex structura quadam quum vetustis lapidibus tum recentioris aevi lapidibus, emblematis vermiculati instar, in relligiosos usus composita, lapidum istorum aliquot, qui priscis temporibus aedis sacrae vestibulum conficiebant, ita evelleret vel potius evulsos imitaretur, ut pristinam architecturae formam instauraret. Ipsam Jasharani templi molem, multo ampliorem illam, non conatus sum reconcinnare, nam antiqua materies in novis Masoretharum caementis et calce ita est commista et confusa, ita est luto interlita, novi lapides in veterum speciem ac magnitudinem ita sunt quadrati, vix ut possis diversas novitii operis partes sine discidio perniciali sejungere atque segregare. Quod critici erat pro virili parte molitus sum; quod harioli fuisset intentatum reliqui. Itaque, si conatus ille mihi ex sententia processerit, spero fore ut novam toti theologiae lucem accenderim. Sin minus, *μεγάλων ἀπολισθαίνειν ὅμως εὐγενὲς ἁμάρτημα.* Adversarios atque obtrectatores neque adhuc reformidavi, neque in posterum aut refugiam invidorum hominum incursus aut deprecabor. Scio enim, quantumvis sit mens humana per se novitatis avida, illam esse uniuscujusque aetatis consuetudinem, ut insolitas opiniones paulisper impugnent acti temporis laudatores, donec tenerae auriculae veritati adventiciae assuefiant. Mihi quidem crebro insusurrat mathematicorum princeps mo-

nitum illud suum: „si quis novi quid protulerit, in opinione sua defendenda servitutem serviet"[1]).

De ipsa libri confectione non opus est ut prolixe disseram. Latine scripsi propterea, quod ad Clerum concionor, neque ullam nisi cum doctis viris concertationem provoco. Imperitum vulgus et seditiosos partium duces odi et arceo. Qui si mediocriter sapiunt hunc librum ita negligent, ut si publici juris nunquam factus esset. Sin, quod antea fecerunt, meam sententiam coram populo recitandam existimabunt[2]), meminerint isti se nullam a me libri in vernaculum sermonem convertendi veniam impetrasse, et se ipsos incriminentur, quod inscios laicorum foeminarumque animos offenderint. Ad orationis genus quod attinet, puerilem illorum gloriolam aspernatus sum, qui incorruptam Ciceroniani sermonis integritatem imitari volunt. Illud mihi satis est, ut sine calamistris et fucatis medicamentis meam sententiam iis planam faciam, quos praecipue appello, theologis qui latiori criticae incumbunt. Equidem credo nondum collapsam esse neque intermortuam veterem illam Romanorum linguam, si quis eam in docta materie ad suas cogitationes exprimendas adhibebit, sine putida illa diligentia, qua tanquam nutricis fascia instabiles puerorum gradus grammatici informatores sustentant.

Hunc igitur librum, qualiscunque tandem est, Deo Optimo Maximo iterum commendo, quippe quem nullo alio consilio scripserim, quam ut virtutem pietatemque promoveam. Et faxit Ille, ut mea verba, quatenus ea cum Ipsius voluntate congruant, bonorum eruditorumque studium ac favorem concilient.

Cantabrigiae a. d. III. Id. Januarias MDCCCLX.

---

1) „I see a man must either resolve to put out nothing new, or to become a slave to defend it." (Isaac Newton to Oldenburg.)

2) Vide *Edinburgh Review,* April 1857. p. 512.

CONSPECTUS RERUM

IN PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS TRACTATARUM.

PROLEGOMENA.

CAPIT. I.

CAPIT. II.

CAPIT. III.

CAPIT. IV.

CAPIT. V.

CAPIT. VI.

COMMENTARIUS.

IN PARTEM PRIMAM.

IN PARTEM SECUNDAM.

IN PARTEM TERTIAM.

IN PARTEM QUARTAM.

IN PARTEM QUINTAM.

IN PARTEM SEXTAM.

IN PARTEM SEPTIMAM.

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURAE

QUI

IN PROLEGOMENIS ET COMMENTARIO CITANTUR, EXPLICANTUR, ILLUSTRANTUR, EMENDANTUR.

Emendationes asterisco *, novae majoris momenti interpretationes duobus asteriscis ** notantur.

DEUTERONOMIUM.

JOSUA.

JUDICES.

JUDICES.

1 SAMUELIS.

1 SAMUELIS.

2 SAMUELIS.

1 REGUM.

PROLEGOMENA.

CAPITULUM I.

Sacra Scriptura pro verbo Dei habenda est, non carnali aut mechanica quadam ratione, sed quia concentu quodam suo divinae voluntatis significationem inclusam continet.

Sacros Judaeorum Christianorumque libros divino quodam afflatu animari nemo negaverit, qui vel aliquem habeat sincerae relligionis sensum, vel in veritate investiganda candide atque aperte versetur. Quam equidem sententiam tametsi libentissime ac verissimo animi affectu profiteor, non tamen idcirco in eorum verba jurarem, qui de Sacra Scriptura ita loquuntur tanquam si omnes clausulae, omnia vocabula, omnes syllabae, quin etiam omnes apices et accentus ab ipso Dei Spiritu emanassent. Nam quod dixit Gustavus Adolphus Schumann (Genesis p. LXXI), »exspiravit inspirationis absurdae doctrina, quae sanae et legitimae librorum divinorum interpretationi summum damnum intulit,« id utinam affirmare possem. Vivunt etiamdum vigentque, praesertim inter nostrates, relligiosi fortasse et pii [1]) homines, sed

[1]) Quantopere differant homines *relligiosi* et *pii* optime admonuit Godofredus Hermann (Opusc. V, p. 119).

non satis instructi bonis litteris, qui illa Osiandri aliorumque commenta caeca veneratione retinent, qui de Christianismo actum iri exclamant, si quis propter recentiorem scientiam Pentateuchi auctoritatem in rebus geologicis imminuerit, qui plane cerebrum sibi excuti putant, si quis nova interpretatione veterum commentatorum luminibus offecerit. Quod si hos homines praeterimus — neque enim seria argumentatione digni sunt, sed potius referendi ad puerilem illam disciplinam cui nimis mature se subduxerunt — si igitur hos omittimus, omnes relligiosos et sanae mentis Christianos in eo consentientes reperiemus, quod Sacram Scripturam pro Dei verbo habendam autument, non carnali aut mechanica ratione, quasi voces aut litteras caelitus oriundas exhiberet, sed quia, respectu habito ad librorum argumentum, concentu quodam suo inclusam contineat divinae voluntatis significationem; quia revelationem, a Deo ipso consignatam, *potentialiter*, ut scholastici aiunt, implicet atque involvat. Ipsa illa locutio *θεόπνευστος γραφή* nullum sensum habere potest, nisi ad argumentum scripturae potius quam ad modum scriptionis referatur. Liceret utique de scriptoribus *θεοπνεύστοις* dicere, sicut legimus (II Pet. II, 21), »spiritu sancto impulsos loqui sanctos Dei homines.« Scriptio autem quaepiam nullo pacto *θεόπνευστος* appellari potest, nisi si respexerimus ad illud Dei effatum quod scriptio ista declarat et continet. Nihil aliud credendum censet Ecclesia nostra Anglicana, quae quum ne verbo quidem tenus de inspiratione [1]) aliqua sententiam protulerit, praecise

[1]) Ecclesia Anglicana non aliter adhibet vocabulum »inspirationem«, quam ad illam illuminationem significandam qua Sanctus Spiritus singulorum Christianorum mentes informat. Nec ista vox aliam significationem habet in Anglica versione Jobi XXXII, 8. Occurrit tamen eadem vox in versione 2 Tim. III, 16., ubi fallitur interpres noster. Nam *θεόπνευστος* ibi est epitheton, *ὠφέλιμος* autem praedicatum sententiae. Neque enim *γραφή* per se *Sacram* Scripturam denotat, nec *πᾶσα γραφή* i. e. qualiscunque scriptio, est *θεόπνευστος*. Praeterea jam antea dixerat (v. 15) *τὰ*

tamen affirmavit »Sacram Scripturam omnia *continere* quae ad Salutem sint necessaria«; scilicet, non unumquodque Scripturae verbum et syllabam auctoritatem divinam sibi impressam habere, sed revelatam Dei voluntatem ita his libris *contineri,* »ut quidquid in ea nec legatur neque inde probari possit, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur aut ad salutis necessitatem requiri putetur.« In eandem sententiam concessit Joannes Augustus Ernesti, vir celeberrimus, qui ad theologiae laudem politioris humanitatis decus adjecit; ait enim: »testimonium autem illud Spiritus Sancti, non intelligimus quod sit in *verbis,* sed in *rebus,* non *dicentis* libros hos esse divinae originis et auctoritatis, sed *agentis* in hominum animis, per eos libros lectos vel auditos, et eos sensus motusque cientis, qui divinitatem eorum, quae legerint vel audierint, ita manifeste arguant, ut dubitationis nihil relinquatur, sitque manifestum eam vim esse humana majorem et Deo ipsi tribuendam« (Opusc. Theol. p. 610). Ipsum Sacrae Scripturae canonem in eo consistere quod relligiosum diversorum librorum argumentum unum sit et singulare, quod per totum Scripturae corpus concentus quidam et harmonia ubique appareat, id jampridem testatus est Patrum longe doctissimus, Clemens Alexandrinus. Nam postquam injecisset (Strom. VI, p. 803 Potter.) scripturarum stylum parabolicum esse, et divinam in his libris veritatem translationum quasi involucris tegi, addit ille: »sed *omnia,* inquit Scriptura, *recta sunt coram' iis qui intelligunt* (Prov. VIII, 9), hoc est, omnibus qui ab ipso [Domino] declaratam Scripturarum expositionem ex *ecclesiastica regula* accipientes conservant. *Regula* autem *ecclesiastica* est concentus et consensio legisque et pro-

---

ἱερὰ γράμματα τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι, quod istam praedicationem *ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν* praeoccupat. Ad positionem *καί* ante praedicatum quod attinet, satis est citare Aristot. *Eth. Nic.* I, 10 §. 10: *τούτων δ' αὐτῶν αἱ τιμιώταται καὶ μονιμώταται.*

phetarum cum testamento quod per Domini adventum traditur« (*κανὼν δὲ ἐκκλησιαστικὸς ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ*).

Hanc sententiam, nempe, canonicam librorum divinorum auctoritatem ex eo praecipue pendere quod continuationem exhibent seriemque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur, haud ita pridem instauravit Britannus quidam doctus ac disertus, cujus nomen nondum prodiit. Is enim sic fere rem exposuit[1]). Sacros istos libros ab hominibus quidem conscriptos esse: quum tamen inter tot tantasque saeculorum, scriptorum, et scriptionum varietates, una eademque vox conscientiae humanae usquequaque resonet, una vel potius unica docendi ratio semper appareat; quum praeterea divinum aliquid pectori nostro insideat atque inhaereat; id, quod ita nobiscum in intimis sensibus confabuletur, Dei non hominum voce loqui putandum esse, id divinius quiddam atque excelsius sapere, quam ut a meris hominum ingeniis profluxerit. Communem omnium opinionem, qui Sacra Scriptura familiariter usi sunt, appellare licet, annon iste liber singularem quandam vim ac potestatem exerceat. Et quum ibi in unaquaque pagina inveniamus quod dejectos erigat, quod nimis sibi placentes repercutiat, quod latentes virtutis igniculos suscitet, quod ad veram felicitatem quasi viam muniat, haec utique divina sunt, nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possent, nisi a Deo. Uniuscujusque scriptionis ea profecto natura est, ut per se ipsum surda sit ac muta, et si quid rogaveris verecunde admodum sileat. Videlicet, ut cum Platone loquar (Phaedr. p. 275 ad

---

[1]) A Vindication of Protestant Principles by Phileleutherus Anglicanus. London 1847. pp. 48 sqq. Scio fuisse inter nostrates qui me tanquam istius opusculi auctorem denunciaverint. Quod illi criminationis loco objiciunt, id ego summo esse honori deputo.

fin.), »omnis sermo, quum semel scriptus est, volutatur ubique pariter inter intelligentes, atque eos ad quos non pertineat: nescitque dicere quibus oportet, et quibus non oportet tacere; injuria vero immerito contumeliaque affectus, patris i. e. auctoris ipsius, semper indiget praesidio; ipse enim neque adversario repugnare potest, neque sibi ipsi auxiliari.« Jam vero convenientia, quae intercedit inter verbum Dei, quod in Scriptura continetur, et spiritum humanum, qui immortalem et caelestem sibi prosapiam vindicat, liquido persuadet Sacram Scripturam à Deo esse inspiratam; ita enim auctor ipse legenti praesto adest, ita patrocinium verbi sui suscipit, ut quisque mente perculsus cum Patriarcha Bethelensi exclamet: »Profecto Jehova est hic, at ego nesciebam. Quam verendus est hic liber: haec est Dei habitatio, haec est porta coeli!« (Gen. XXVIII, 16, 17). Nam fidi homines, qui oculos divino spiritu purgatos atque illuminatos habent, ii sane in mundo visibili sacramentalem agnoscunt characterem, atque, ut Sospitator ipse promisit, »coelum apertum vident, et Deum per ministros suos ascendentem et descendentem in filium hominis« (Joann. I, 52). Relligiosissimos quosque et sanissimae mentis homines de Sacrae Scripturae theopneustia ita judicare, sciunt omnes qui rem interrogando exploraverunt. Ne Gaussenius quidem, acerrimus idemque parum ingenuus mechanicae illius et carnalis doctrinae propugnator, quum ad suam sententiam defendendam descendisset, ullam aliam opinionem profiteri ausus est, nisi si forte quid reapse sentiret dissimulandum censuerit, et verborum nebulis obvolvendum. Namque ita scripsit in epistola ad ephemeridis Anglicae redemptorem data: »Mea methodus id singulare habet, quod nullam omnino methodum de modo inspirationis adsciscendam puto. Scripturam divino afflatu inspiratam esse, id tanquam verum affirmo; quemadmodum id factum sit nec scio nec scire cupio, quoniam a Deo non est revelatum. Nonne mihi satis esse debet,

ut in Jesu Christo semper filium Dei et filium hominis, ita in Sacra Scriptura ubique verbum Dei et verbum hominis agnoscere?«[1])

Ac ne quis vereatur ne nulla sit quasi obrussa qua discernamus inter divinum verbum, quod in Scriptura continetur, et humana ingenia, a quibus isti libri provenerint, is meminerit »testimonium Dei in se ipsis habere eos, qui in filium Dei credant« (I Joann. V, 10). Divinus ille doctrinae in Sacra Scriptura concentus non modo demonstrat coelestem revelationem in illis libris contineri, verum etiam ea est ipsius revelationis medulla. Jesus enim breviter declaravit, »duo tantum esse in lege Dei mandata, primum, ut Deum ex corde et penitus diligamus; alterum, ut diligamus ceteros homines eodem affectu quo nosmet ipsos diligimus; et universam legem et prophetas ex his duobus mandatis pendere« (Matth. XXII, 36—40). Quicquid ergo sive in Vetere sive in Novo Testamento cum his verbis quadrat, quodcunque eorum significationem confirmat, explicat, illustrat, illud est Dei Verbum, illa est revelata Dei voluntas. Quodcunque cum his verbis insociabile est, quicquid ab eorum sententia dissidet, perspicuum est id non Dei esse sed hominis, non corporis sed pallii, non leguminis sed siliquae, non coeli sed terrae, non sempiternae veritatis sed fluxi et caduci ingenii, non spiritus, qui vivificat, sed litterae, quae occidit. Ita per amoenum hunc quasi Dei hortum vagantibus spiritalem licebit ex arbore vitae fructum desumere, neque a nobis quisquam exiget, ut corticem aut folia, ut crassius quoddam nutrimentum, perniciose comedamus.

---

[1]) Gaussenii verba sunt: »My distinctive theory on this subject is not to have a theory at all. It is the fact of the plenary inspiration of Scripture which I hold dear and sacred, while the mode is unknown and indifferent to me because it is not revealed. — Is it not enough for me always to see in Jesus Christ the Son of man and the Son of God, as it is for me always to see in the holy Scriptures the word of man and the word of God?«

CAPITULUM II.

Veritas divina in Sacris Litteris identidem sub pallio latet et retegenda est.

Quodsi verbum Dei ipsius — revelata divinae veritatis significatio, optatissimus ille coeli nuntius — non in littera quae occidit, sed in spiritu, qui vivificat (D. Paul. ad Cor. II, 3, 6), quaerendum est, non in singulis syllabis et locutionum clausulis, sed in universa sacrorum librorum compage, continuatione, et concentu; insipientis est sperare fore ut interiorem Sacrae Scripturae sensum ubique quasi primoribus labris gustare liceat, ut tanquam plumas in summa aqua colludentes, ita scriptum Spiritus Sancti testimonium colligere debeamus. Immo vero quo altius rimamur occulta illa mysteria, eo tutius ad corpus ipsum per velamenta ac vestes penetrabimus; quo magis expiscamur operta Dei mandata, eo constantius indipiscemur Creatoris nostri promissa. Non otiose atque aliud agentes, sed summo nisu et quasi armatis oculis in Scripturam introspicere debemus, si certum aliquem et maturum relligionis fructum inde deportare volumus. Ceteroqui verbum istud absconditum manebit nobis, neque intelligemus ea quae scripta sunt (Luc. XVIII, 34). Sed contra diserte pronuntiavit Jesus: »nihil opertum est quod non revelabitur, et occultum quod non scietur« (Matth. X, 26). Atque Idem nos admonuit: »petite et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur« (Matth. VII, 7. 8). Vel in Novi Testamenti libris multa etiamdum restant, atque ea non parvi momenti, quae commentatoribus fraudem fecerunt, propterea dumtaxat, quia in his rebus dilucidandis paullo negligentius versati erant. Ut uno exemplo defungar; quid ad christianismi veri-

tatem comprobandam gravius excogitari potest, quam illorum testimonia qui de Jesu in vitam reditu fidem suam praestiterunt? Maxime sane nostra refert, ut haec testimonia inter se congruant, ut nulla ibi discrepantia compareat. Jam vero Paulus ad Corinthios scribens (I Cor. XV, 4—7) inter alias Christophanias, quas nulla opera cum Evangelistarum narrationibus conciliare licet, unam annumerat, de qua illi, ut videtur, prorsus tacent: ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ. Profecto nihil impedit quominus haec vera fuisset manifestatio, etiamsi Evangelistae eam vel consulto vel imprudentes omisissent. At enimvero longe majorem utrisque, tam Paulo quam historicis, fidem faciemus, si evincere possumus ne Evangelistas quidem ad unum omnes illam Jacobi αὐτοψίαν silentio praetermisisse. Quod equidem certis quibusdam, etsi haud ita manifestis, vestigiis eruere conabor. Quod si assecutus fuero, non modo locupletissimo testi, Paulo, sua constabit auctoritas, verum etiam confutavero fictam illam ac futilem traditionem, quam ex Evangelico secundum Hebraeos citavit Hieronymus, alii autem huc relatam voluerunt. Ac primum quidem opera danda est, ut intelligamus, quis fuerit ille Jacobus, quemnam inter Apostolos locum obtineret: neque enim cuiquam adhuc compertum est, quam inter sese cognationem haberent principes illi Servatoris asseclae et ministri. Habemus utique tres, eosque non ad amussim congruentes, duodecim Apostolorum indices:

Matth. X, 2—4.	Marc. III, 16—19.	Luc. VI, 14—16 [1]).
1. Σίμων Πέτρος	1. Σίμων Πέτρος	1. Σίμων Πέτρος
2. Ἀνδρέας	2. Ἰάκωβος ὁ Ζεβεδαίου	2. Ἀνδρέας
3. Ἰάκωβος ὁ Ζεβεδαίου	3. Ἰωάννης	3. Ἰάκωβος
4. Ἰωάννης	4. Ἀνδρέας	4. Ἰωάννης
5. Φίλιππος	5. Φίλιππος	5. Φίλιππος
6. Βαρθολομαῖος	6. Βαρθολομαῖος	6. Βαρθολομαῖος

[1]) Lucae index alter est (*Act. Apost.* II, 13), qui Iscariota omisso eadem nomina ordine aliquantum immutato exhibet.

7. *Θωμᾶς*	7. *Ματθαῖος*	7. *Ματθαῖος*
8. *Ματθαῖος ὁ τελώνης*	8. *Θωμᾶς*	8. *Θωμᾶς*
9. *Ἰάκωβος ὁ Ἀλφαίου*	9. *Ἰάκωβος ὁ Ἀλφαίου*	9. *Ἰάκωβος Ἀλφαίου*
10. *Λεββαῖος*	10. *Θαδδαῖος*	10. *Σίμων ζηλώτης*
11. *Σίμων ὁ Καναναῖος*	11. *Σίμων ὁ Καναναῖος*	11. *Ἰούδας Ἰακώβου*
12. *Ἰούδας Ἰσκαριώτης*	12. *Ἰούδας Ἰσκαριώθ*	12. *Ἰούδας Ἰσκαριώθ.*

Ex Evangelio Joannis (I, 40 sqq.) perspiciamus licet, Dominum nostrum primos sibi comites e Baptistae discipulis adscivisse. Inter eos, qui principio Messiam agnoverunt, agmen ducunt Andreas, frater Simonis Petri, et alter quidam, cujus nomen siletur, scilicet, Joannes ipse Evangelii illius scriptor. Andreas autem fratrem suum adduxit, et proculdubio Joannes etiam Jacobum fratrem suum cooptandum curavit. Unde consequimur, ut primus in his indicibus quaternio, duo fratrum paria continens, nempe filios Jonae, et filios Zebedaei, quattuor eos homines exhibeat qui primi Jesum comitabantur. Et profecto tres horum, Simon, Joannes, Jacobus, Mediatoris claudunt latus, ubicunque praecipuos et selectos sectatores aut testes sibi adjungendos putavit. Proxime accessit »Philippus ex Bethsaida civitate Andreae et Petri« (Jo. I, 44), isque Nathanaëlem ad Christum adduxit. Et quoniam *Bartholomaeus* i. e. בַּר תַּלְמַי »filius Thalmaei«, patronymicum est vocabulum, semper jure conclusum est Nathanaelem istum a Bartholomaeo non fuisse diversum. Et quum Philippus et Bartholomaeus in unoquoque apostolorum indice conjuncti appareant, haud absurdum foret si quis conjiceret, ut Andreas Simonem, ita Philippum fratrem suum, »verum illum Israelitam in quo dolus non erat«, Domino nostro commendavisse. Igitur Philippum et Nathanaelem fratres fuisse, filios Thalmaei. Inde fit, ut sex priores Apostoli in tria fratrum paria dividantur, filios Jonae, filios Zebedaei, filios Thalmaei, omnes ex eadem regione oriundos, ut facile sit intellectu quamobrem eos Jesus binos (*δύο δύο* Marc. VI, 7)

emitteret. Jam vero cuncti indices Matthaeum et Thomam proximi loco conjunctos ponunt. Quod si comparamus Marc. II, 13—17. Luc. V, 27—32. cum Matth. IX, 9—13, videbimus Matthaeum non alium fuisse ac Levim, Alphaei filium. Atque haud scio an *Λεββαῖος* et *Θαδδαῖος*, qui in prioribus catalogis decimum locum obtinent, eundem hunc Alphaei filium significent, ut ille sit *Λευὶς ὁ τοῦ Ἀλφαίου*, hic autem confusionem quandam repraesentet inter טרי et מתי (ܡܬܝ). Utcunque ea se res habuit, mirari subit quod *Thomas* תאמא i. e. *δίδυμος* i. e. »gemellus« (Jo. XI, 60, XX, 20), qui a Matthaei latere divelli non potest, cum Thaddaeo illo et Juda ab ecclesiasticae historiae scriptoribus confunditur et permutatur. Eusebius enim ita scribit (H. E. I, 13. p. 79. Heinichen): *Θωμᾶς, τῶν ἀποστόλων εἷς τῶν δυώδεκα, Θαδδαῖον τὸν ἀδελφὸν ἐν ἀριθμῷ καὶ αὐτὸν τῶν ἑβδομήκοντα τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν κατειλεγμένον ἐπὶ τὴν Ἔδεσσαν ἐκπέμπει*, ubi non omnes codices agnoscunt *τὸν ἀδελφὸν* post *Θαδδαῖον* insertum; et rursus (p. 82): *ἀπέστειλεν αὐτῷ* (i. e. *Ἀβγάρῳ*) *Ἰούδας, ὁ καὶ Θωμᾶς, Θαδδαῖον τὸν ἀπόστολον, ἕνα τῶν ἑβδομήκοντα.* Unde Hieronymus (in c. X. Matthaei): »*Thaddaeum* apostolum ecclesiastica tradit historia missum Edessam ad Abgarum regem Chosdroenae, qui ab evangelista Luca *Judas Jacobi*, et alibi appellatur *Lebbaeus*, quod interpretatur *Corculum*; credendumque est eum fuisse *τριώνυμον*.« Omnia haec non satis explicata habebimus, nisi his positis; (1) Matthaeum et Thomam fratres gemellos fuisse, filios Alphaei; (2) *Thomam* cognomen fuisse, verum viri nomen *Judam*; (3) alium fuisse *Judam* cujus cognomen fuerit *Lebbaeus*; (4) *Thaddaeum* fuisse aliam nominis *Judae* formam, nam Apostolum Syrorum tam ܐܕܝ quam ܠܒܝ appellatum fuisse constat; (5) *Thomam* propriam suam denominationem abjecisse ne cum Juda illo vel Thaddaeo confunderetur. At quis fuit ille Judas, qui *Ἰάκωβον τὸν Ἀλφαίου* comitatur? Si, id quod

plerique autumant, frater fuisset, non scriberetur *Ἰάκωβος Ἀλφαίου* et *Ἰούδας Ἰακώβου*, sed *Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου καὶ Ἰούδας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ*, sicut, in eodem indice, *Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ*. Quidni fuerit, ut plerumque indicat illa genitivi appositio, filius Jacobi, nepos Alphaei? Qui contendunt fratrem quoque intelligi posse in hac genitivi appositione, id equidem non negaverim, si loci ipsius contextus rem ita esse significaret. Ceteroqui idiotismus linguae Graecae postulat, ut *πατρόθεν* appellari putemus eum, qui ita designatur. Neque quidquam interest, quod *Ἰούδας Ἰακώβου* non *ὁ τοῦ Ἰακώβου* appellatur. »Nihil enim«, ut verissime Hermannus pronunciavit (*de Ellipsi et Pleonasmo,* Opusc. I, p. 163), »mutat articulus, qui cum initio his quoque in formulis pronomen esset, perinde erat, nomen ipsum, an pronomen poneretur. *Ἀλέξανδρος Φιλίππου* est *Alexander Philippi, non alius cujuspiam. Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου,* quum dicitur, primo simpliciter nominatur *Alexander*, deinde, ut ab aliis distinguatur, adjicitur *ille Philippi,* quod num est aliud quam si repetito nomine diceretur, *Ἀλέξανδρος, Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου?*« Putandum est igitur, tametsi priores octo Apostoli quasi bini fratres, septimus autem et octavus quasi gemelli prodeunt, tamen nihilominus in quinto bijugo patrem et filium conjungi; quod minus erit mirum, si animadvertimus in ultimo loco eandem copulationem valere; nam Judas ille Iscariota Simonis filius fuit (Jo. VI, 71. XII, 4. XIII, 2, 26), et apud Matthaeum Marcumque cum patre suo componitur. Quod allegant, epistolam Judae in titulo suo habere: *Ἰούδας, Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου*, ex argumento nostro satis patet auctorem istius epistolae, si Apostolus esset, non fuisse fratrem sed filium Jacobi; sed Judam istum non fuisse Apostolum intrinsecus demonstratur ipsis Epistolae verbis (v. 17): *ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοὶ, μνήσθητε τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν ἀποστόλων τοῦ Κυρίου*

ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Qui ita de apostolis loquebatur, qui lectores suos admonet ut eorum verba, tanquam praedicta vel antea dicta, meminissent, is jam neque Apostolus erat neque Apostolorum aequalis. Sive igitur verum est sive falsum quod H. Grotius censebat, hanc epistolam non Judae apostolo, sed decimo quinto Hierosolymorum episcopo tribuendam esse, ἀδελφὸς Ἰακώβου significare debet, non fraternam cognationem, sed ministerii sive Episcopatus communionem. Ad verum Thomae nomen quod attinet, quum satis aperte innuatur duos dumtaxat Apostolos fuisse, qui Judae nomen portarent (Jo. XIV, 22), concludamus licet patruum cognomine contentum fuisse, fratris filium nomen istud usurpasse, donec id propter Iscariotae facinus odiosum esset factum; deinde vero Thaddaeum se nuncupasse. Neque nimis urgendum est, quod Jacobi filius immaturior futurus esset, quam ut in duodecim discipulorum numerum adscisceretur. Quodcunque enim de Jacobo justo traditum est, nos docet eum aliquanto provectiorem annis fuisse, quo tempore ad Episcopatum Hierosolymitanum accedebat; potuisse igitur maturae aetatis filium habere. Et quum Thomas Thaddaeum istum sive Judam ad Edessam mittendum curabat, quendam se ipso minorem natu misisse putandus est. Sed dixerit fortasse quispiam, nonne Alphaeus ille, trium Apostolorum pater, Judae Thaddaei avus, idem fuit atque Clopas vel Cleopas ille, qui Mariam Servatoris nostri materteram uxorem duxit (Jo. XIX, 25)? Illud verum esse demonstrat, tam aperta declaratio hujus uxorem Jacobi nostri matrem fuisse (Marc. XV, 40), quam nominis ipsius ratio; nam prout omittimus vel conservamus initialem aspirationem, nomen חלפי sonat graece vel Κλωπᾶς vel Ἀλφαῖος; cf. חגי, Ἀγγαῖος, et similia (vide Thorndike, *of the Government of Churches* p. 5. Lightfoot ad Act. I, 13). Mariam autem sorore provectiorem fuisse quid vetat? Quid vetat Cleopam jam vetulum fuisse? Quid? si Jacobus quinquagesimum complesset annum? Si Judas

Thaddaeus admodum adolescens in numerum duodecim apostolorum admissus esset? Sed his omissis ad summam quaestionis nostrae transeamus. Ex Lucae narratione (XXIV, 13 sqq.) constat hunc Cleopam sive Alphaeum, cum uno comite, qui intimis Domini discipulis adnumerandus est (*δύο ἐξ αὐτῶν* sc. *ἀποστόλων καὶ ἀδελφῶν*), eo ipso die, quo Jesus resurrexit, ad castellum nomine Emmaus, profectos esse atque in itinere sermones conseruisse cum redivivo Servatore. Quid verosimilius, quam Alphaeum nostrum a filio natu maximo deductum esse? Et si alter ille viatorum fuisset Jacobus Alphaei, nonne is Paulo rem narrare potuit, qui eo familiariter usus est (Act. XV, 13. Galat. II, 9)? Paulus utique nomen Cleopae silebat, ut qui non amplius in vivis esset; Jacobum commemorabat, quia principatum in nascente ecclesia obtinebat. Lucas, traditionem sequens, malebat patrem quam filium nominare. Equidem rem ita se habere contendo; aliter fieri potuisse vix crediderim. Si, quod Paulus injicit, *ὀπτασία* quaedam singularis Jacobo contigit, vix aliam excogitare valemus quam miram illam in via ad Emmaum, qua Jesus patri Jacobi atque innominato comiti se ostendit. Qui fratres habuit filiumque inter Apostolos, qui Jesum sanguinis vinculo attigit, qui postea summum sanctitatis nomen (Eusebius, H. E. II, 23), summum in ecclesia locum sibi vindicavit, is certe non indignus fuit, qui, una cum patre, redivivum Sospitatorem conveniret et quasi gratularetur. Haec omnia, etsi verisimillima, non in aperto sunt, sed e rerum vestigiis, et quasi litterarum ductibus eruenda. Quodsi talis labor in singulis Evangelii narrationibus consectandis non sine fructu ponetur, quid facies in casca vetustate Pentateuchi exploranda? Profecto, ut ait Cicero (de Finn. I, 3), »nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris; et quaerendi defatigatio turpis est, quum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum.« Ut in Californiae convallibus et saxosis Australasiae campis, ita in tota sacrorum librorum serie haud

ita penitus defossum delituit tamen aurum, quod indagatoribus immensas divitias suppeditabit.

CAPITULUM III.

Sacra Biblia immutata quadamtenus forma ad nos descenderunt, quae tamen restitui possit.

Quum igitur in rebus maximi momenti, quae in aprico debebant esse, in Apostolorum, qui Episcopis auctoritatem praebuerunt, nominibus digerendis, in *ἀναστάσεως* testimoniis explorandis, a quibus fides nostra dependet, mera interpretis diligentia quiddam explorare queat, quod prioribus nondum suboluit, et largior explanationis seges ab antiquioribus libris sperari par sit, sequitur alia consideratio eaque gravissima. Ne in Novo quidem Testamento, nedum in vetustis Judaeorum libris, primitivam ubique possidemus et intemeratam scriptionum formam ac materiem. In plerisque Pauli ceterorumque Apostolorum Epistolis non est cur suspicemur quidquam immutatum esse. Pauca in libro Actorum, paucissima in Evangelio Joannis recentiorem manum produnt. Sed inter omnes sanioris judicii criticos constat Marci historiam in fine mutilam esse, Lucae libellum farraginem esse quam a diversis testibus mutuatus sit; et si non satis appareat, utrum Marci synopsis quae in usum Romanensium concinnata sit, eorum lingua an Graeca primitus sit scripta, nemo dubitat quin Matthaei adumbratio, qualis ad nos pervenit, Aramaei sit libri vetusta in Graecum sermonem translatio. Id scilicet uno ore affirmant Papias (apud Euseb. H. E. III, 39), Irenaeus (contra Haeres. III, 1; pp. 173, 174), Origenes (apud Euseb. H. E. VI, 25), Eusebius (H. E. III, 24. Quaest. ad Marin. ap. Maii Script. vet. nov. collect. Tom. I, p. 64), et Hieronymus

(adv. Pelagianos III. Opp. Tom. IV, p. II. col. 533 et passim); neque quisquam veterum contradixit. Et ne in Novo Foedere diutius immoremur, hoc uno exemplo demonstremus quantopere conducat ad communem Christianorum utilitatem, ut in hujusmodi quaestionibus aliquando paullulum subsistamus. Omnes scimus fuisse, qui Osiandream illam Evangeliorum harmoniam amplexi essent, quae deposcit, ut »nullius verbum ullum sit omissum, nihil alienum immixtum, nullius ordo turbatus, nihil non suo loco positum.« Quae quidem ratio, ut Chemnitzius ostendit (Prooem. c. 2), »unum tantum incommodum habet, quod historias, quae consensu totius antiquitatis et circumstantiis hoc manifeste testantibus apud diversos Evangelistas *eaedem* sunt, ipse cogitur alias seu diversas facere.« Inter has discrepantias, quae Osiandrum tantopere ludificabant, infidos autem homines spe certa triumphi lactaverunt, praecipuum semper locum obtinuit, quod Matthaeus *duas* personas induxit, ubi ceteri Evangelistae, eandem rem narrantes, *unum* dumtaxat hominem in scenam protulerunt. Id si semel intercidisset, pronum fuisset dicere Evangelistam memoria lapsum vel aliter erravisse; sed similis illa semper et constans variatio aliam explicandi rationem efflagitat. Nam non modo duo testes adversus unum eadem narrantem plus valent, sed ipse narrationum contextus evincit, singulis hominibus non binis eas res accidisse. Ut hoc utar, quis dubitaverit, quin Marco et Lucae assentiendum sit, qui unius tantum meminerunt, quam Matthaeo qui duos daemonia habentes e Gadarenis sepulcris exeuntes inducit? (Matth. VIII, 28 sqq. cf. Marc. V, 1 sqq. Luc. VIII, 26 sqq.). Incredibile enim foret, si quis duos daemoniacos posuisset eidem morbo obnoxios, eadem prorsus hallucinantes, easdem locutiones ejicientes. Similiter, quum Lucas *unum* tantum ad Hierichuntis portas caecum hominem collocat (XVIII, 35), Marcus autem nomen ejus *Bartimaeum* adjicit (X, 46), Matthaeus

duos caecos ad viam sedentes depingit (XX, 29), et jam antea (IX, 27), quasi eandem rem narrans, binos mirae illius sanationis participes fecerat. Quid quaeris? Consimiles litterarum ductus in Aramaico Matthaei textu vel caecutienti vel imperito interpreti hic et alibi fraudem fecerant: quum enim vel חַד, *unus, aliquis, quidam*, vel הָדֵין, *iste*, legisset, id permiscuit cum תְּרֵין *duo*, ac proinde totam narrationem vitiavit. Talem errorem e characterum forma oriri potuisse demonstrat confusio nominum *Γαδαρηνῶν, Γερασηνῶν, Γεργεσηνῶν* in eodem loco notata. Hebraice scriptum nomen גדר, *Γάδαρα*, quod celebrem quandam urbem designat, permutabatur cum גרס, *Γέρασα*, quod nullum in vicinio lacus Tiberiadis oppidum significat. Magis etiam mirus et incompertus est iste error nominis in Marc. VIII, 10, ubi legimus: *ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά*, pro eo quod reperimus in parallelo Matthaei loco XV, 39: *ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά*. Ibi enim urbs quaedam munita significatur cui nomen fuit מִגְדַּל־אֵל *turris Dei*. Nullibi autem mentio fit de Dalmanutha illa. Quidni suspicemur *Δαλ-* istud residuum esse veri nominis *Μαγδαλά* scil. מִגְדַּל־אֵל, *μανουθά* autem repraesentare pluralem vocis מָנָה *pars, portio*, quam in Graeco *μέρη* conversam habemus? Ita textus ille vulgaris duplicem exhibet lectionem, utramque mutilam — *τὰ μέρη Δαλ-μανουθά*, i. e. *τὰ μέρη Μαγδαλά* = *μανουθὰ μαγδαλά* = מְנוֹת הַמִּגְדַּל־אֵל [1]). Similiter in eodem Evangelio scribitur (X, 46) *ὁ υἱὸς Τιμαίου, Βαρτίμαιος*, ubi Graeca interpretatio praecedit.

Sed Novi Foederis critice atque hermeneutice nihil ad nos, aut si ad nos, nihil ad hunc locum. Res postulat ut de vetustis Judaeorum libris dicam; et quae adhuc de nostro canone disserui eam vim habent ut quasi argumentum, quod aiunt, *a fortiori* effingant. Nam si in ipsis Evangeliis quasi per transen-

[1]) Fieri potest ut *μανουθὰ* exprimat formam definitam ܡܢܘܬܐ.

nam in priorem scriptionum formam aliquando intuemur, longe majoris operae erit et studii in immensa illa multorum saeculorum farragine quam vetus Testamentum complectitur nova a primaevis separare, et ad ipsa archetypa redire. Etenim nulla habemus autographa, nullas inscriptiones sive hieroglyphicas, sive litteris consignatas, nullam palaeographiae materiem, nihil omnino, quod fidem diplomaticam confirmet. Haec omnia aliunde petenda sunt, scilicet ab Aegyptiis vel a Ninevensibus. Hebraei ipsi nihil nobis reliquerunt, nisi illam scriptorum collectionem, quam vero, nec satis intellecto, nomine *Masoram*, i. e. meram traditionem appellant[1]). Quaenam haec fuerit satis dilucide explanavit Everardus Van der Hooght in praefatione ad accuratissimam illam Bibliorum editionem (§ 24): »Certum est *viros synagogae magnae* praeside *Ezra* sacerdote, juxta Parastatam Nehemiam et Primores Sapientes populi post LXX annorum exilium coronam legis in pristinum statum reduxisse, et Sacram Scripturam a Pseudoprophetarum, et aliorum corruptelis repurgasse; atque hinc Talmudicos jure merito scripsisse: *viri synagogae magnae restituerunt magnificentiam in pristinum statum.* Desiit hoc Synagogae magnae concilium in Simeone Justo, qui obviam prodiens Alexandro Magno, ejus clementiam impetravit, anno ab exstructo templo XLII. Permagna itaque apud Hebraeos fuit auctoritas hujus Concilii, cujus membra annos ultra XL supervixerunt. *Masora* haec ab Ezra sacerdote orta, per successores pluribus aetatibus studio plurimorum virorum haud vulgariter doctorum, continuata fuit usque ad horrendam Hierosolymae ruinam. Quin etiam, post istius per Titum Vespasianum excidium, in terra Israelis Scholae et Ecclesiae in quibusdam locis paulatim sunt restauratae. Inter eas recensentur ab

[1]) Quam plena sint vanitatis ea quae de divina Masorethicorum scribarum auctoritate traduntur videas licet ex libro apocrypho 4 Esdr. XIV, 39 sqq.

Hebraeis *Jabneh, Tsiphoriah, Caesaria,* et *Tiberia.* In qua urbe, usque ad annum Christi 230, claruit Rabbi *Jehuda.* Post cujus fata praecipua litterarum studia migrarunt in Babyloniam. Ubi celeberrimae fuerunt Academiae continuatae usque ad annum Christi 1037. Atque ita ad idem tempus penes solos Babylonios totius doctrinae Judaicae fuit culmen [1]).« Videmus igitur Masorethicum nostrum textum traditione sola niti; nam quod aiunt: »omne instrumentum Judaicae litteraturae per Esdram constat restauratum« (Tertull. de habitu mul. vol. III, c. 3); et »Esdras Dei sacerdos combustam a Chaldaeis in archivis templi restituit legem« (Augustin. vol. III. pars II. App.), unde *ὁ τῶν θεοπνεύστων ἀναγνωρισμὸς καὶ ἀνακαινισμὸς λογίων* (Clem. Alex. Strom. I. p. 392 Potter); id ipsum nonnisi tralaticia quaedam fabula est, a majoribus tradita, accepta a posteris magis quam probata. Sacra autem Biblia promiscua esse collectanea diversis fontibus derivata testimonio sunt ipsi compilatores, qui non modo antiquiores libros subinde laudant, verum etiam locos eclogarios identidem intertexunt. Praeter librum Jasharanum, quem tractandum suscepi, alios quoque auctores in numerato habuerunt scribae illi et compilatores; non modo in iis scriptis, quae populi origines et initia describunt, ut quum in Num. XXI, 14 citatum invenimus *Librum bellorum Jehovae* (סֵפֶר מִלְחֲמֹת יְהוָה), et generaliter *eos qui in carminibus loquuntur* scil. *poetas* (הַמֹּשְׁלִים), verum etiam in iis, qui regum seriorum res gestas continent, ut quum in libro I. Reg. XXII lau-

---

1) Quantum contulerit Babylon ad litteras Judaicas informandas discas licet a Julio Fürstio (Kultur u. Literaturgeschichte der Juden in Asien. Leipz. 1849). Bene ille observat: »Babylonien war das Saatfeld für die meisten Gattungen der jüdischen Literatur« (p. 2). Septuagintaviralis interpretatio, quae sive tota sive potius ex parte paullo ante christianae ecclesiae primordia Alexandriae facta est, Masorethici textus vestigiis plus aut minus insistit.

dantur *annales* vel *ephemerides* (סֵפֶר דִּבְרֵי הַיָּמִים) *regum Israeliticorum* (v. 39) vel *Judaeorum* (46). At vero isti libri, ceterique ejusdem generis, ad res gestas potius quam ad relligiosos Hebraeorum sensus respexerunt. Qui sane si etiamdum superessent fusius nobis declararent, ubinam in deserto Arabiae subsisterent Israelitae, quot bella profligarent, quot gentes devicerent, urbes caperent, quali postea splendore reges ipsorum viverent, quibuscum populis commercia exercerent. Quae res ut pretium suum habeant, neque fructu quodam vel ad relligionem colendam careant, Christianorum tamen plus interest, ut ultima Hebraeae pietatis elementa expiscemur, quo reddi ac resoluta referri possint commixta illa traditae sapientiae effata. Quod quo cumulatius effecerimus, eo propius ad integros fontes accedere licebit atque haurire; eo sincerius depascemur aurea illa dicta

»Aurea perpetua semper dignissima vita«

eo certiorem veritatis divinae obrussam nanciscemur, eo clarius ac distinctius audiemus coelestem illam vocem, quae per totum Bibliorum concentum ubique resonat, et quasi pallium retegentes in ipsa oraculi penetralia viam nobis aperiemus.

Ac mihi quidem propositum est ut demonstrem relligiosam Sacrae Scripturae medullam in libro Jasharano contineri, eamque criticae rationis ope enucleari posse atque in pristinam formam quadamtenus restitui ac redintegrari.

CAPITULUM IV.

Librum, qui *Jashar* nuncupatur, Veteris Testamenti, quoad pietatis normam, archetypum fuisse, vel ex ipsa nominis significatione statui potest.

E libro Jasharano duos solummodo locos in Sacro contextu electos nominatimque laudatos habemus. — Unum videlicet, atque illum brevi quattuor versiculorum pericopa comprehensum, in libro Josuae (X, 13), ubi victoria illa, quam Gibeone Israelitae reportabant, veteris cantici ope commemoratur; — alterum in secundo libro Samuelis (I, 18 sqq.), ubi pulcherrimam illam de Saulo et Jonathane naeniam excerptam habemus. Utrobique fere eandem legimus citationem: הֲלֹא־הִיא כְתוּבָה עַל־סֵפֶר הַיָּשָׁר, *nonne hoc scriptum est in libro Jashar?* vel הִנֵּה כ״, *ecce scriptum est* etc. Nam »הֲלֹא proprie *nonne?* facit ad attentionem excitandam, ut הִנֵּה *ecce!* pro quo הֲלֹא haud raro ponitur praesertim in Chronicorum libris« (Rosenmüller ad l. Jos. p. 173). Qui liber qualis fuerit, si quis quaeret, facile recensebit multa Judaeorum et Christianorum figmenta. Inter quae praecipue placuit Lowthii conjectura, qui opinabatur Librum *Jashar* fuisse »aliquam Syllogen Canticorum Sacrorum, variis de rebus et diversis temporibus conditorum, eumque habuisse Titulum ex eo quod et ipse liber et singula pleraque cantica cum voce וישר inciperent« (*de sacra poesi Hebraeorum* p. 229 not.). Quod addit, in eadem opinione fuisse veterem interpretem Syrum, id parum ponderis habere satis ostendit Ilgenius a Rosenmüllero citatus (u. s. p. 174). Equidem omnia alia interpretamenta confidenter abjicio, quippe qui unice veram existimem illam tituli explicationem quam in suo Thesauro protulit vir, dum vivus fuit, summa doctrinae atque ingenii laude florentissimus, quique in his litteris facile principatum obtinuit, Guilielmus Gesenius: nam sic ait (p. 642): »סֵפֶר הַיָּשָׁר, *liber probi*

s. *proborum* (vulg. *liber justorum*), est anthologia veterum carminum Hebraeorum.« Sed ne is quidem satis liquido videbat, quam isti explicationi sententiam subjiceret. Addit enim: »a laudibus proborum hominum, vel quacunque alia de causa (solent enim Orientales librorum titulos saepe a rebus verbisve cum argumento minus connexis repetere) ita dicta.« Et in *lexico manuali* ad Ilgenii opinionem inclinare videtur: »modo«, inquit, »probari possit יָשָׁר etiam de bellica virtute usurpatum esse, non male illius libri inscriptionem transtuleris: *liber virtutis*, coll. Arabum nobilissima Anthologia حماسة dicta i. e. *virtus.*« Equidem miror Virum doctissimum, quum tam dilucide perspiceret vocis Hebraeae etymon et significationem, in iisdem ad libri inscriptionem transferendis haesitare potuisse. Nullus enim sum dubius quin vocabulum יָשָׁר communiter designaret cunctos homines, qui moralem, quae vocatur, et relligiosam rectitudinem ac pietatem colunt; proprie autem ad Israelitas relatum esse, qui hac appellatione ideo gaudebant, quia ad pietatis et virtutis opera facienda, quae vero atque unico Deo Jehovae grata sunt et accepta, sese circumcisionis ritu devoverant. Voces צַדִּיק et יָשָׁר fere semper *ἐκ παραλλήλου* usurpantur, ita tamen ut significatio hujus in illius aliquando transeat. Si ad insitas verborum notiones respiciamus, צָדַק ejusdem prosapiae est, atque Indo-Germanicum illud *sad-* vel *sed-*, denotatque fixam et ratam rei alicujus conditionem; unde ad certa juris fundamenta exprimenda accommodatum est, et apud LXX. fere semper *δίκαιος* stat pro Hebraeo צַדִּיק, ut significemus aliquem qui officium suum praestet. Radix autem alterius vocabuli יָשָׁר est שָׁר, quam complectuntur etiam verba אָ-שַׁר, חָ-שַׁר, קָ-שַׁר, et fortasse שׁוּר, quae notionem firmiter insistendi continent. Quibuscum elementis Indo-Germanicis ea radix congruat, longum esset enumerare: Graeca quaedam videas in Novo Cratylo § 216. Si igitur ad radicitus insitas notiones attendimus, צָדַק et יָשַׁר idem

fere significare debent, et quum LXX. suum *εὐθύς* vel *ὀρθός* pro יָשָׁר reponant, sed pro synonymo צַדִּיק *δίκαιος* subjiciant, ambo quasi in unam significationem coalescunt, ideoque in eadem clausula collocantur, haud aliter quam quum Graeci *δίκην εὐθύνειν* dicunt, atque eos *εὐθυδικαίους* vel *ὀρθοδικαίους* appellant, quicunque *εὐθεῖαν* vel *ὀρθὴν δίκην* exercent (cf. Ps. XXXII, 11. XXXIII, 1. XCVII, 11).

Constat igitur יָשָׁר fere idem valere atque צַדִּיק, eoque sensu de quibuslibet hominibus communiter praedicari posse, qui recta via procedunt, h. e. probitatem et justitiam colunt; nam »Deus«, ut confirmat Ecclesiasta (VII, 20), »fecit hominem יָשָׁר.« Unde passim recurrit istud verbum ad probos homines designandos vel per se (ut Prov. XI, 3) vel adjecto דֶּרֶךְ (Prov. XXIX, 27) aut לֵב (Ps. VII, 11). Neutraliter autem יָשָׁר ipsam probitatem denotat (Ps. XXXVII, 37).

At enim vero, quum Hebraei scriptores ad suam ipsorum gentem pleraque omnia referrent, hoc quasi proprio nomine יָשָׁר bonos quosque Israelitas insigniendos putabant. Neque immerito. Nam quum Deus decrevisset hunc populum, ut sibi peculiarem, segregare, ii, qui divino numine afflati ideo scribebant, ut posteros ad veram relligionem capessendam quasi manu ducerent, veros illos et sine fuco ac fallacia Israelitas jure quodam suo יְשָׁרִים nuncupare potuerunt. Hinc promissa gentis felicitas ex eo pendet, ut faciant »id quod *rectum* (הַיָּשָׁר) est *bonumque* (וְהַטּוֹב) coram Deo« (Deuteron. VI, 18). Hinc si quis Regum, sicut Asa, a nascente idololatria abhorrens, ad verum Dei cultum reversus est, is utique fecisse fertur »quod *rectum* est (הַיָּשָׁר) coram Jehova.« (I. Reg. XV, 11). Hinc rex ille justus, qui venturus erat, ita inducitur: »judicabit in justitia tenues corrigetque in rectitudine (בְּמִישׁוֹר) mansuetos« (Jesaias XI, 4). Neque aliam significationem habet id, quod serior propheta praedixit »ingressurum regem illum in suam dominationem *probosque*

(וִישָׁרִים) cum eo« (Dan. XI, 17). Haec omnia ut vere dici queant de probis Israelitis, benigna quadam anticipatione transferuntur ad eos, quicunque visibili gentis electae coetui adscribebantur, eodem jure quo Ecclesia nostra omnes qui Christianismum profitentur τοὺς σωζομένους vocat (Act. II, 47). Si igitur conferamus Psalm. CXXV, 4, 5. Jes. XXVI, 7 cum Psalmo CXI, 1, utrumque autem cum Psalmo LXXIII, 1, colligemus nomen *Israel* fere idem valere atque hanc *proborum* designationem. Et significationem ejusdem rei minime obscuram habemus in Vaticinio Bileami (Num. XXIII, 10), de quo fusius agam quum ad illud carmen accessero. Nec tamen titulum יָשָׁר, textus unius atque item alterius collatione, Judaeis quasi precario vindicamus. Nam certissimum est nomen יְשֻׁרוּן in Sacra Scriptura quater obvium (Deut. XXXII, 15. XXXIII, 5, 26. Jes. XLIV, 2) populi Israelitici appellationem esse eandemque ab hoc ipso יָשָׁר leviter deflexam. Ut plerisque placet diminutiva est vel blanda designatio, unde Gr. Ἰσραέλισκος scribitur. Fürstius (in Concordd. p. 534) ait: »fortasse vertendum gens a rectis (h. e. Abrahamo, Isaaco, Jacobo, a quibus etiam Genesis Βίβλος εὐθέων appellatur) oriunda.« Quod Gesenio (in Lex. Man.) placuit יְשֻׁרוּן fuisse »diminutivum nominis יִשְׂרָאֵל vulgo et in vita communi frequentatum pro pleniore יִשְׂרָאֵלוּן«, id sine exemplo esse ipse postea vidit (Thes. p. 642). Meam de nomine יְשֻׁרוּן sententiam postea declarabo, scilicet in *Commentario ad Partem quintam.* Sed nihil impedit quominus nostrum יָשָׁר in isto יִשְׂרָאֵל contineatur, quamvis illa posterioris vocabuli analysis omnes adhuc interpretes latuerit. Quorum ne unus quidem animadvertit duas hujus nominis explanationes in Genesi prolatas esse, priorem, ut omnes sciunt (XXX, 29), ubi post miram illam cum Jehova luctationem Jacobo declaratur »non *Jacob* dicetur nomen tuum, sed *Israel,* quia pugnatorem te gessisti (שָׂרִיתָ) cum Deo«, ita ut יִשְׂרָאֵל sit pro יִשְׂרָה אֵל a radice שָׂרָה. Postea tamen

legimus (XXXV, 9, 10) Deum Jacobo apparuisse, quum reverteretur e Mesopotamia, eique his verbis *benedixisse:* »nomen tuum non amplius vocabitur *Jacobus,* sed *Israel* erit nomen tuum« — quod cum benedictione aliter congruere nequit, quam si referamus priorem nominis partem ad verbum אִשֵּׁר, *felicem praedicavit* (Gen. XXX, 13), unde unus e Jacobi filiis nomen suum deduxisse traditur. Hanc compilatoris conjecturam ad veritatem proxime accessisse demonstrat nomen אֲשַׂרְאֵלָה (I Paralip. XXV, 2) vel יְשַׂרְאֵלָה (v. 14), quod explicari potest *erectus ad Deum.* Nam אָשַׁר et יָשַׁר, ut supra monui, eandem significationem, formas leviter immutatas habent. Omnes enim, qui Hebraeam grammaticam callent, satis noverunt litteram א in י facile transire posse. Equidem nullus dubito priorem compilatoris etymologiam ex eo dumtaxat manasse, quod, respectu habito ad luctationem, nomen Israelis pro arbitrio suo interpretari voluit. Quod ad discrimen attinet, quod inter *sin* et *shin* intercedit, illud locum habere non potuit ante inventum illud signum diacriticum, idque recentioris industriae fuisse affatim constat. Et quum natio Israelitica nominibus יָשָׁר et יְשֻׁרוּן gauderet, rationi consentaneum est appellationem יִשְׂרָאֵל eodem pertinere. Fuit igitur relligiosum piae gentis cognomen, haud aliter quam quum *Sikhi,* qui Pentapotamiam Indicam possidebant, nomen sibi sanctitatis indiderunt.

Jam vero satis constare debet, qualis fuerit liber ille יָשָׁר. Fuit proculdubio collectio veterum carminum aliorumque monumentorum ad pietatem ipsam atque ad populi Jehovicolae historiam pertinentium. Sive cum Graeco סֵפֶר הַיָּשָׁר reddas *βιβλίον τοῦ εὐθοῦς,* sive cum Chaldaeo סִפְרָא דְאוֹרַיְתָא i. e. *librum legis* [1]), concludas necesse est, hunc librum syntagma fuisse aut

[1]) Josephus quadamtenus significat librum יָשָׁר in templo asservatum fuisse (Antiq. V, 17 § 1), unde consequimur librum legis in illa collectione fuisse inclusum.

syllogen continentem omnia illa fragmenta, quae relligionis normam, legis medullam tradebant, quae vel probitatis naturam exhibebant, vel verorum et sincerorum Israelitarum victorias celebrabant, felicitatem praedicabant, futuram beatitudinem pollicebantur. Quidquid hujus farinae, in sacris Judaeorum scriptis implicitum, pro vetere fragmento haberi potest, id scilicet inter libri Jasharani relliquias locum sibi vindicabit et tanquam postliminii jure revertetur.

CAPITULUM V.

Quanam ratione eruenda sint et digerenda libri Jasharani fragmenta.

Ad libri Jasharani fragmenta recolligenda ut recta via progrediamur, in primis quaerendum est, quonam tempore ista poematum sylloge in unum corpus redacta sit. Et omnia confirmant, id quod primo obtutu verisimillimum est, Solomone regnante vetusta illa carmina, cascum illud Hebraeae pietatis monumentum, convasata esse, descripta, et inter pretiosissimam florentissimi imperii supellectilem reposita. Nam tunc temporis res Hebraicae ad summum felicitatis culmen pervenerant. Solomo Ben-David latiorem exercebat dominationem, quam ullus antea rex seu sufes gentis Israeliticae. Regni sui fines ab Aegypto et Philistaeis usque ad Euphratem propagavit. Naves ejus ex Ophire aurum et pretiosa ligna, ex Tartessiis regionibus aurum et argentum, ebur, et rariora animalia afferebant. Cum potentissimo Aegypti rege affinitatem matrimonii contraxerat. Hiramo Tyrio familiariter utebatur. Unde istos rectores et socios habebat et amicos. Pax alma et commercium dona sua ubique largiebantur. Inter tot humanitatis et opulentiae emolumenta proculdubio litterae et poesis non sordebant, praesertim quum *hinc,*

amicissimum Solomonis et Hirami commercium Hebraeos cum Tyriis illis conciliaverat, qui in totam Europam scribendi artem intulerunt, *illinc* Pharaonis affinitas multiplicem Aegypti scientiam in Palaestinam migrare patiebatur. Ut Augustus Caesar apud Romanos, et Vicramaditias apud Indos, ita Solomon Ben-David apud Israelitas omnigenae doctrinae et auctor erat et patronus. Rex ipse multa scribebat, et ab eo acceptas habemus complures relliquias ad philosophiam poesinque pertinentes. Fuerit ille tyrannus, at theocraticus, at relligiosus, quique se divini numinis afflatum accepisse profiteretur. Et quum undique tanta bonarum rerum abundantia circumfluebat, quum unusquisque Israelitarum dicere potuisset pacem ipsam in sacra tellure sedem suam fixisse:

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit laetus: —

quum omnes vicini felicia omnia ac magnifica de civitate Jehovae praedicarent, quid accommodatius inveniri posset tempus, quo promissa et praecepta Dei recolligerentur, quo libri beatam illam proborum vel vere Jasharanorum sortem depingentes in unum corpus stiparentur, adjectis si quid apte declararet virtutem et pietatem Davidis, splendorem et felicitatem filii illius atque heredis?

Talia sunt in universum ea argumenta, quae me impellunt ut credam Jasharanum illud carminum syntagma regnante Solomone conditum esse atque conflatum. Jam sequamur singula.

(1) Quum certum sit, naeniam illam Davidis de Saulo et Jonathane partem fuisse istius libri, profecto ipsa collectio Davide posterior fuerit.

(2) Quum in Benedictione Jacobi (Gen. XLIX) et in Nun-

cupatione Mosis (Deuter. XXXII, XXXIII), quae certissime ad Jasharanam syllogen referendae sunt, omnes tribus, quasi adhuc conjunctae, inducantur, collecta fuerit Anthologia nostra ante defectum Jerobeami.

(3) Quum in Benedictione Jacobi (Gen. XLIX, 5) occurrat Graecum verbum מְכֵרָה i. e. *μάχαιρα*, neque id innotescere posset ante id tempus, quo Davides se Cretensibus stipulatoribus circumcinxit (2 Sam. XV, 18. XX, 7. 1 Reg. I, 38, 44), id quod ad posteriores regni Davidei annos spectare debet, collectio Jasharana ad idem illud temqus attribuamus licet.

(4) Quum verisimillima loci difficilis in eodem Cantico interpretatio (Gen. XLIX, 10) Solomonem, שְׁלֹמֹה, curtata forma שִׁילֹה, tanquam אִישׁ מְנוּחָה (1 Paralip. XXII, 9), nominatim agnoscat, hoc ipso regnante scripta fuerit ista cantilena.

(5) Quum liber ille *probitatis* ab eo pendere debeat quod Deus Adamum *probum* fecerit, atque haec sit ipsissima Solomonis sententia (Eccles. VII, 30), patet Solomonem aptissimum fore collectionis istius auctorem vel suasorem.

(6) Davides subegit Idumaeos (2 Sam. VIII, 14), sed Solomone regnante Idumaei suam *αὐτονομίαν* recuperabant (1 Reg. XI, 15—22), id quod in Jasharano Fragmento (Gen. XXVII, 40) diserte significatur. Ergo non ante Solomonem compactus erat iste liber.

His ita constitutis haud difficile erit videre ubinam lateant disjecta Anthologiae Jasharanae membra, atque ea rursus in pristinum ordinem cogere. Nam multos habemus itineris indices, qui nos a via declinare non sinent. Primum se offerunt libri istius inscriptio, et Solomonis sententia Adamum probum fuisse factum. Hinc perspiciamus licet, unde Jasharana sylloge initium sibi sumeret, et quomodo singularem illam relligiosi populi sortem exhibitura esset. Deinde, quum lex a Deo data per Mosem quasi fundamenta Israeliticae pietatis et officii com-

plecteretur, Chaldaea illa nominis יָשָׁר interpretatio nos admonet, ut quaedam fragmenta in *libro legis* quaerantur. Huc accedent promissa felicitatis, et benedictiones quae obedientiam sequi debebant. Duarum libri nostri citationum prior docet nos syntagma illud epinicia quaedam comprehendisse, quae triumphos *proborum* commemorabant; altera innuit Davidis res gestas locum ibi invenisse; et si Solomone vigente ista carminum farrago subacta est, non par est credere talem tantumque regem suam felicitatem et splendorem silentio praeteriisse. Denique, ne palantes oberrare possimus, praesto nobis adest oculatus testis, qui veteres terminos bene noverat, quique nos inire viam docebit, Michas ille Morashtaeus. Is utique, quum Jothamo, Ahaso, et Hiskia regnantibus prophetae munere fungeretur, in manibus habere potuit absolutum illud Jasharanae poeseos corpus, nec plures alii libri, cujus verba in suos usus transferret, tunc temporis exstabant. Jam vero certissimum est Micham verbatim exscripsisse (I, 10) paronomasticam illam Jasharanae naeniae clausulam (2 Sam. I, 20): בְּגַת אַל־תַּגִּידוּ, *In Gath ne nuncietis.* Praeterea alludit ad Bileami vaticinium (VI, 5), quod quisque huc rettulerit, et frequens est in citando Deuteronomio, quod, ut videbimus, locis e Jasharano libro exscriptis maximam partem confectum est. Et quod praecipue valet, ipso vocabulo ישר ita utitur (VII, 2), ut qui ad principia nostri libri lectores suos amandatos velit.

Tali testium ac testimoniorum filo adductus *librum Probitatis* instaurandum suscepi. Quem, si verum video, in septem partes distribuere licebit, quarum *prima* notionem vocabuli יָשָׁר explicat; *secunda* docet quapropter יִשְׂרָאֵל sit adoptatus; *tertia* ostendit quemadmodum gens electa tranquillitatem promissam nacta sit; *quarta* continet praecepta probitatis; *quinta* benedictiones et *sexta* triumphos Israelis praedicat; *septima* denique Davidis et Solomonis fortunas quasi praesentes adumbrat.

PARS PRIMA.

Homo factus est probus (יָשָׁר), sed per carnalem sapientiam in peccatum delapsus est.

Fragmentum Primum.

Brevius Elohistae carmen.

Gen. I, 27, 28, VI, 1, 2, 4, 5, VIII, 21, VI, 6, 3.

Fragmentum Secundum.

Fusior eaque poetica Jehovistae descriptio.

Gen. II, 7—9, 15—25, III, 1—19, 21, 23, 24.

PARS SECUNDA.

Abramidae, tanquam *probi* (יְשָׁרִים), adoptantur in filios Dei; rejiciuntur vicinae gentes, Kinnaei, Ismaelitae, Canaanitae, et Edomitae.

Fragmentum Primum.

Rejectio Hamitarum et Canaanitarum in genere.

Gen. IX, 18—27.

Fragmentum Secundum.

Rejectio Kinnaeorum.

Gen. IV, 2—8, 8—16.

Fragmentum Tertium.

Rejectio Hagarenorum.

Gen. XVI, 1—4, 15, 16, XVII, 9—16, 18—26, XXI, 1—14, 20, 21.

Fragmentum Quartum.

Rejectio Edomitarum.

Gen. XXIV, 32—34, XXVII.

PARS TERTIA.

Aegypto elapsi probi Israelitae post quadraginta annos in deserto absumptos multasque alias fluctuantis fortunae vicissi-

tudines in terram tranquillitatis sub pacifico rege Solomone Jehovae aedem dedicant.

Gen. VIII, 6—12.

PARS QUARTA.

Leges divinae probo populo observandae.

Fragmentum Primum.

Decem probitatis praecepta.

Deuteron. V, 1—19.

Fragmentum Secundum.

Medulla divinae legis.

Deuteron. VI, 3—5, X, 12—22, XI, 1—9.

Fragmentum Tertium.

Obedientiae inculcatio.

Deuteron. VIII, 1—3, VI, 6—25.

PARS QUINTA.

Benedictiones proborum et monita.

(I) Jacobi canticum.

Gen. XLIX.

(II) Bileami canticum.

Num. XXIII, XXIV.

(III) Mosis canticum.

Deut. XXXII, XXXIII.

PARS SEXTA.

Mirae probi populi victoriae ac liberationes.

(I) Mosis ac Mariae ovatio.

Exod. XV, 1—19.

(II) Josuae ovatio.

Jos. X, 12—13.

(III) Deborae ovatio.

Jud. V, 1—20.

PARS SEPTIMA.

Varia carmina de proborum imperio et felicitate regnantibus Davide et Solomone.

Ut Jasharanum syntagma in septem partes digestum exhiberem nihil me movit, nisi ipsa Fragmentorum ratio ac materies. Nec tamen oblitus sum, quanta veneratione veteres Hebraei multaeque aliae Semiticae stirpis nationes septenarium numerum suspicerent, quam libenter omnia sua instituta et ipsam loquendi rationem huic computationi accommodarent, quae *ἐπίτριτον πυθμένα* complectebatur (Plat. Respubl. p. 546), et summam duorum laterum *γαμηλίου διαγράμματος*, magna illius aestimatione inter Aegyptios (Plutarch. Is. et Osir. p. 373 *E*), conficiebat. Ita septem ovium sacrificio juramentum sancitur (Gen. XXI, 28. cf. Herod. III, 8) et radix ipsa שָׁבַע ad jusjurandum significandum adhibetur. Ita septem dumtaxat planetas agnoscebant veteres, quibus dierum hebdomada consecrabant, diem autem septimum, tanquam Sanctissimum, septimo eidemque lucidissimo, ut ipsi putabant, planetarum Saturno dedicatum volebant, quem interpretes Chaldaei שַׁבְּתַי appellabant (vide Creuzer Symbol. II, 186). Denique orbem terrarum et sidera coeli septem diebus creata esse praedicabant. Quum igitur argumentis intrinsecus petitis Jasharanam collèctionem septemplicem fuisse ponimus, ex tralatitia hac numeri septenarii aestimatione argumentum, quod aiunt, a *priori* adjicere licebit, praesertim quoniam hae septenae partes in quaterna et trina membra sponte sua discedant. Talem enim partitionem diagramma illud efflagitat. At hic quoque prior quaternio Jasharanam doctrinam per se exhibet, alter autem ternio non nisi tres separatorum carminum classes complectitur.

CAPITULUM VI.

Ex his Fragmentis collectis, digestis, atque enucleatis optimi fructus sua sponte provenient.

Denique, ut jam conclusa mihi sit haec omnis ratio, quaerendum est quinam proventus ex hoc laboris dispendio rediturus videatur. Equidem, ut verum fatear, nihil usquam excelsius inventum iri existimo, nihil majoris momenti, nihil dignius, quod omnes Christiani ac Theologi facultates exerceat, quam ita ad intimos Sacrae Scripturae recessus descendere conari. Neque enim aliter nobis vere revelata fiet quam vocamus revelatam Divini Verbi significationem. Nam quomodo is nudam veritatem sibi vindicare potest, qui pro solido corpore inanem vestitum amplectitur? quomodo is veram animo suo sustentationem atque alimentum arripiet, qui pro ipso legumine aridam et quassantem siliquam comederit? Quinetiam, quum confirmet Apostolus (Eph. VI, 17), verbum Dei esse quasi Spiritus Divini gladium, quî fieri potest, ut Christi miles ad incitas redigat ecclesiae et relligionis suae hostes, si gladium illum semper quasi vagina inclusum gestet, si eum nolit destringere, et infesto mucrone adversarios cominus aggredi? Non abdito ense honoris et ornamenti causa cinctus, sed *σχέδιον αὐτόκωπον νωμῶν βέλος* fidus homo infidelium cavillationes dissipabit. Qui autem, vagina contentus, laminam intus conditam nunquam extraxit, is utique ignorat Spiritum, qui vivificat, Litteram autem, quae occidit, servili mente amplectitur. At enim vero duae potissimum factiones sunt eorum, qui destricto Spiritus gladio uti nolunt — traditionum ecclesiasticarum fautores, qui doctores sibi nescio quos ex primitivis Christianismi temporibus eligunt, quibus aniles quaslibet fabulas garrientibus solis esse obtemperandum clamant, qui

quum intemeratos divinae veritatis fontes haurire possent, malunt coenosos humanae inventionis rivulos combibere; et superstitiosi syllabarum aucipes, qui suam quoque Vulgatam habent, suas quoque traditiones, non ecclesiasticas illas quidem, sed quae simili ratione corrumpunt veritatem et subvertunt fidem. Ut sibi videntur, toto coelo dissidentes, ambae tamen factiones in eo consentiunt quod interiorem illam cordis et conscientiae relligionem, quae in piis omnibus dominatur, nisi cum suis opinionibus congruat, nihili existimant; quicunque in sua verba jurare nolunt, etiamsi in bonis operibus sancte ambulant, eos aversantur, oderunt, et infenso animo persequuntur; humanam rationem, divinae aurae particulam, quam Dei Spiritus illuminat, in relligione versantem conviciis insectantur; denique, ut Sospitatoris praeceptum (Marc. IX, 38) utrinque labefactetur, neque sale se ipsos condiunt, neque pacem inter se exercent. Jam vero Christianismi interest ut utramque patagiorum familiam a praesepibus nostris arceamus, ne assuta illa vestium ornamenta nobis obtrudant pro candido et splendente byssino, quo propter justitiam sanctorum se cooperiet Ecclesia (Apoc. XIX, 8). Hos relligionis corruptores, qui Dei verbum cauponantur, haud aliter confutabimus, quam si ad interiorem Scripturae veritatem confugiemus. Ibi enim videbimus Vetus Testamentum Novo contrarium non esse: legem Mosaicam non in caeremoniis ac ritibus, antiquo populo observandis, constitisse, sed in eo amoris erga Deum et hominem praecepto, quod Christianos quoque obstrictos tenet. Haec, haec est illa coelitus demissa lex, a qua ne una quidem litterula aut apex praeteribit, donec transeat coelum et terra (Matth. V, 18). Hic audimus tenuem illum divinae vocis sonum (1 Reg. XIX, 12, 13), qui conscientiam et stimulat et consolatur (1 Joann. III, 19—21). Haec est digna theologo et philosopho materies, in qua elucubranda vel serenas noctes vigilare debeat. Nam ut Clemens Alexandrinus prae-

clare admonet: ἡ φιλοσοφία περιληπτικῶς θεολογεῖ (Strom. VI, p. 802, l. 8. Potter). Atque utinam omnes Theologi, nil sibi proponentes, nisi ut veritatem explorarent, tranquilla mente philosophari possent! Ita enim certius ad illam cognitionem perveniremus, quae veram Ecclesiam alit et sustinet, quae paganae ignorantiae facem accendit, quae haereticos errores confutat. Confirmat enim idem Clemens (Strom. VI, p. 894 l. 12 Potter): τριῶν οὐσῶν διαθεσέων τῆς ψυχῆς ἀγνοίας, οἰήσεως, ἐπιστήμης, οἱ μὲν ἐν τῇ ἀγνοίᾳ τὰ ἔθνη· οἱ δὲ ἐν τῇ ἐπιστήμῃ ἡ Ἐκκλησία ἡ ἀληθής· οἱ δὲ ἐν οἰήσει οἱ κατὰ τὰς αἱρέσεις. Jam vero Christianismi lumen illas infidelium tenebras serius ocyus dissipabit; dies delebit illa opinionum commenta; illa veritas magna est et praevalebit. Sed nihil ad hunc exitum maturandum plus conducet, quam Christianorum inter se fraternus amor atque unitas, vinculum illud relligiosae perfectionis (Coloss. III, 14). Equidem quoties hodiernum Ecclesiae statum contemplor, ubi in seditiosa opinionum conflictatione alter alterum sub haeretici nomine compellat, atque omnes ἀγαπὴν illam exuentes, suos in Christo fratres infesto odio persequuntur, quia scilicet in quisquiliis nescio quibus dissentiunt, non possum quin in memoriam revocem verba illa, quibus Dominus ipse noster in nimis anxiam Marthae sollicitudinem animadvertebat: »Martha, Martha! sollicita es et turbaris circa plurima. Sed uno opus est, et Maria bonam illam sibi partem elegit, quae ab ea non auferetur« (Luc. X, ad fin.). Iis profecto, qui ad theologiae docendae munus accedunt, non aliud propositum est officium, quam quod D. Paulus in nascente Ecclesia Timotheo suo praescripsit (2 Tim. II, 23—26) nempe »ut devitent insipientes atque indoctas quaestiones, quum bene noverint eas non nisi lites generare (hoc est, *polemicam* illam, quae vocatur, *theologiam*); nam servum ac ministrum Domini non oportet litigare (hoc est, *controversiis studium impendere*),

sed humanum esse et mansuetum erga omnes, prolatandae cognitioni deditum, calumnias tolerantem, summa morum lenitate castigantem eos qui aliter sentiunt, si forte dat illis Deus poenitentiam ad veritatem cognoscendam, si forte laqueis se peccati expediant, quum praeceptor eos tanquam hominum piscator a tumultuosis mundi fluctibus eripuerit, atque ad Dei voluntatem exsequendam adduxerit.«

Quod ad hunc laborem attinet, in fragmentis Hebraicis enucleandis positum, satis equidem scio rem non ita in liquido esse, ut omnia et singula pro certis habeantur. Quisquis enim cascam ac mutilam antiquitatem sibi tractandam sumit, ἐς ἀφανὲς τὸν μῦθον ἀνενείκας οὐκ ἔχει ἔλεγχον (Herod. II, 23). Erunt ergo complures, quibus meam rationem non sim persuasurus; alii concedent verisimillimum esse omnia, quae disposui fragmenta, ad Jasharanam illam anthologiam referenda esse; sed id non ita fixum certumque esse, ut demonstrari queat. Ut dixit olim vir quidam in his litteris princeps: »argumenta omnes difficultates removentia produxisse minime credo. Quodsi cui summa quaestionis displicuerit, capiat inde cetera utilia, si qua obiter docuimus. Sed nihil prohibet, quominus nostra vera sint.« Nam nemo unquam argumentatione evincet, ut ullum in hoc libro fragmentum Jasharano syntagmati abjudicandum sit, et quum unusquisque prima concesserit, nemo consequentia reprehendet. Atque, ut ut censeant viri docti de criticis hujus operis rationibus, manebit tamen haud minima laus, quod primus docui dorsalem quandam spinam per totum Vetus Testamentum currere, disruptis quidem, sed inter se consentientibus, vertebris, quae ipsam divinae veritatis medullam contineat, quibus cuncta illa Biblia nervos suos ac vires acceptas referre. Verum enimvero, laudes hominum non aucupor. Judicia hominum non suspicio. »Domino meo aut stabo aut cadam« (Rom. XIV, 4). Et quum divina me providentia a juris studio

ad philologiam, deinceps ad theologiam avocaverit, talentum, unum illud quidem, accepi, unam ministrandi occasionem et adjumentum nactus sum; quod equidem relligioni duxi ne in terra absconderem, ne candelam qualemcunque meam sub modii tenebras obscurarem; et unica mihi merces erit, si aliquando ista verba, dulcissimum illud alloquium, sum auditurus: »bene factum, bone et frugi serve, qui vel in pauculis et minutis quibusdam rebus te fidelem praestiteris!« (Matth. XXV, 23).

PARS PRIMA.

Homo factus est probus (יָשָׁר), sed per carnalem sapientiam in peccatum delapsus est.

FRAGMENTUM PRIMUM.

Brevius Elohistae carmen.

Gen. I, 27. 28. [27] Deus creavit hominem ad imaginem suam;
Ad imaginem Dei eum creavit;
Perforantem et perforatam creavit eos.
[28] Iisque bene precatus est Deus,
Et sic locutus est:
»Foetificate, multiplicaminor, et replete terram;
Et vindicate eam vobis,
Et domini estote piscium maris et avium coeli
Et omnium animalium, quae reptant super terram.«
Gen. VI, 1-5. [1] Et factum est, quod coeperit homo augescere super facie terrae.
Et filiae natae sunt iis.
[2] Et viderunt filii Dei filias hominum pulcras esse;
Et ceperunt sibi mulieres ex omnibus, quas sibi delegerunt.

Gen. VI. [4] Gigantes igitur erant super terram in diebus illis;
Nam postquam ingressi sunt filii hominum ad filias Dei, atque hae pepererant illis,
Tum nati sunt potentes illi, qui a longo inde tempore magno nomine fruebantur.
[5] Vidit autem [Deus] quod multiplicata est hominis nequitia in terris,
Et quod omne figmentum cogitationis cordis ejus merum malum erat omni tempore,
Gen. VIII, 21. Quia figmentum cordis ejus malum est inde a pueritia.
Gen. VI, 6. Tum poenituit [Deum], quod hominem fecisset in terra,
[3] Et doluit in corde suo; dixitque Deus:
»Non perpetuo regnabit in homine spiritus meus
Propter peccatum eorum, id est, carnem.
Sed constituo homini, tanquam vitae terminum, centum et viginti annos.«

FRAGMENTUM SECUNDUM.

Fusior eaque poetica Jehovistae descriptio.

Gen. II, 7-9. [7] Finxit Jehova Deus limum de terra in hominem,
Et spiravit in faciem ejus spiritum vitae;
Et factus est homo in animam viventem.
[8] Ab initio autem Jehova Deus hortum deliciarum plantaverat,
Ibique constituit hominem, quem confinxerat.
[9] Progenuitque Jehova Deus de humo
Omne lignum visu pulcrum et ad vescendum suave,
Arborem etiam immortalitatis in medio horti,
Arboremque cognitionis bonorum ac malorum.

Gen. II, 15-18.
[15] Tulit ergo Jehova Deus hominem,
Et fecit eum requiescere in horto deliciarum,
Ut laboraret et custodiret eum.
[16] Praecepitque Jehova Deus homini dicens:
»Ex omni arbore horti edens comedes,
[17] Sed de arbore cognitionis bonorum ac malorum non edes.
Nam simulatque ederis ex illa, moriens emorieris.«
[18] Tum dixit Jehova Deus:
»Non est commodum esse hominem solum;
Adjutricem ipsi similem ei creabo.«
[25] Erant autem ambo nudi, homo mulierque sua,
At eos non pudebat.

Gen. III, 1-19.
[1] Sed serpens erat nudus
In omnibus animantibus terrae,
Quot Jehova Deus fecerat.
Itaque is dixit mulieri:
»Itane vero dixerit Deus:
Non edetis de omni arbore horti?«
[2] Cui respondit mulier:
»De fructu arborum, quot sunt in horto, vescimur;
[3] De fructu vero arboris, quae est in medio horto,
Praecepit nobis Deus, ne edamus neu tangamus illum,
ut ne moriamur.«
[4] Dixit autem serpens mulieri:
»Haudquaquam morientes emoriemini.
[5] Scit contra Deus, simulatque ederitis ex ea,
Oculos vestros apertum iri,
Vosque futuros, sicut Deum,
Scientes bona ac mala.«
[6] Vidit igitur mulier arborem esse bonam ad vescendam,
Eamque esse oculis delectabilem,
Et jucundam, ut quae cognitionem praestaret;

Ergo tulit de fructu ejus et comedit,
Deditque viro quoque suo una cum ipsa, et is quoque comedit.
Gen. III. [7] Tum vero aperti sunt amborum oculi,
Et animadvertebant se nudos esse.
Ibi consutis ficus foliis fecerunt sibi subligacula.
[8] Quum vero audiissent vocem Jehovae Dei
Quae gradiebatur in horto sub auram vesperae,
Tum abscondit se homo et uxor ejus
A facie Jehovae Dei in mediis horti arboribus.
[9] Sed acclamavit Jehova Deus homini,
Et dixit ei »Ubinam es?«
[10] Tum ille, »Postquam audivi«, inquit, »vocem tuam in horto,
Pertimui, utpote qui nudus sim, et abscondi me.«
[11] Ille autem, »Quis indicavit tibi te nudum esse?
Num edisti de qua ne comederes tibi praeceperam?«
[12] Dixitque homo: »Mulier quam mihi associasti,
Ea mihi dedit de fructu illius arboris et comedi.«
[13] Tum dixit Jehova Deus mulieri: »Quare hoc fecisti?«
Illa autem respondit: »Serpens seduxit me, ut comederem.«
[14] Ergo Jehova Deus serpenti dixit: »Quoniam fecisti istud,
Sacer tu es in omni pecude et bestia agri.
Super ventrem tuum incedes et pulverem comedes, quamdiu vives.
[15] Inimicitias autem ponam inter te et mulierem,
Inter tuum semen et semen ejus;
Hoc laedet te in capite, tu vero laedes illud in cavitate.«
[16] Mulieri vero dixit: »Augebo tibi quamplurimum graviditatis molestias,
Et cum dolore liberos paries.

Nihilominus mariti tui consuetudinem denuo appetes,
Isque in te dominabitur.«
Gen. III. [17] Denique homini dixit: »Quoniam uxoris tuae dicto obediens fueris,
Et de arbore comederis, cujus tibi usum atque esum diserte interdixeram:
Infelix sit terra propter te!
Cum dolore comedes ex ea, quamdiu vives:
[18] Spinam et tribulum tibi proferet,
Atque ita (i. e. tali cum molestia) herbis agri vesceris.
[19] Cum vultus tui sudore victum tibi comparabis,
Donec in terram, ex qua sumptus es, revertaris,
Nam pulvis es, atque in pulverem redibis.«
[21] Tum fecit Jehova Deus homini atque uxori suae
Tunicas pelliceas, et vestivit eos.
[23] Dein Jehova Deus expulit hominem ex horto deliciarum
Ad colendam terram ex qua sumptus erat.
[24] Sed expulso homine collocavit ante hortum deliciarum
Rapidos ventos et flammam versatilis gladii,
Ut custodirent viam, quae ad arborem immortalitatis conducit.

COMMENTARIUS IN BINA FRAGMENTA.

Utrumque fragmentum fere eodem pertinet. Ambo enim significant, id quod Ecclesiasta declaravit (VII, fin.), hominem *probum* (יָשָׁר) esse factum, sed per concupiscentiam et impiam ambitionem multa ad suam perniciem inventa excogitasse. Nam initio duplici materia concretus est homo: *spiritum* habuit a Dei

ipsius spiritu manantem; *carnem* autem, terreno pulvere derivatam; et quum haec diversa appetant, debuit utique, Dei mandatis obediens, terrenam suam naturam caelesti subjungere. Verum enimvero, vana specie abductus in peccati laqueos declinavit; — *εἰς ἀρκύστατα τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν* — carnalem concupiscentiam immortalitati praetulit; unde ad brevius vitae spatium redactus est; dein conatus deus fieri et scandere caelum, beatis sedibus exulavit, et sub iniquo laborum pondere, aetatem contrivit. Haec est universa utriusque fragmenti significatio. Jam persequamur singula.

Ac primum quidem exteriora duarum narrationum lineamenta inter se conferantur. Utique prior illa in gentilitiam Israelitarum historiam illico delabitur. Nam Adamus, ut Evangelista loquitur (Luc. III v. ult.), fuit filius Dei. Sethitae igitur et Shemitae, a quo originem suam deducebant Israelitae, eandem sibi appellationem vindicabant; et in secunda parte videbimus designationem *Habeli,* qua gens electa a rejectis Kinnaeis distinguitur, significasse eos, qui Deum diligebant atque ab eo dilecti erant. Homines autem ii, qui procero corpore notati sunt, Canaanitae sunt, qui Israelitas, tanquam pusillam imbellemque pastorum nationem, despectui habebant. Quae quum ita sint, quidquid in priore fragmento ab altero dissidet, illud ad secundam partem referendum duco. Cohaerent tamen arctissime ambo fragmenta in ea sententia quam Gen. VI, 3 declarat, nempe carnem nostram tam peccati quam mortis in se semina habere. In hac re declaranda non modo communio quaedam inter duos locos intercedit, ita ut ab altero ad alterum inde transire possimus, sed ita in eo consentiunt, in quo cardo rei versatur, ut duo haec fragmenta, tanquam binae valvae, ad unam ejusdem doctrinae significationem viam aperiant.

Verum sensum verborum בְּשַׁגָּם הוּא בָשָׂר, eum esse, quem in versione Latina posui, confirmant cuncti sanioris judicii

interpretes. Brevissime rem exposuit Maurerus: »*non perpetuo regnabit* (יָדוֹן, יָדוֹן = דִּין *judicavit,* hinc *regnavit*) *in homine,* in hominibus; i. e. non perpetuo agitabit homines *spiritus meus* i. e. vitae principium et fons (Ps. CIV, 29, 30), auferam spiritum vitalem ab eis, non diu, ut majores, superstites erunt isti homines, *quia delinquunt,* quippe *caro est iste* homo i. e. quia carnis, qua constant, libidine in errores abduci se patiuntur.« Quod veteres censuerunt vocabulum בְּשַׁגָּם compositum esse ex בְּ, relativo שְׁ et particula גַּם, id jam olim antiquavit Berndius, quem Rosenmüllerus laudat in commentario ad h. l. [1]) Recentissimus quidem Pentateuchi interpres, Augustus Knobel (kurzgef. exeg. Handb. zum A. T. XI Lief. 1852), ad explosam illam sententiam se propensiorem exhibuit, propterea quod plurale suffixum in בְּשַׁגָּם neque cum אָדָם neque cum בָּשָׂר הוּא apte congruat. Quod ad אָדָם attinet, satis erit provocare ad primum h. c. versum, ubi לָהֶם subsequitur הָאָדָם. In verbis הוּא בָּשָׂר, perperam, ut mihi videtur, Maurerus aliique pronomen הוּא ad אָדָם relatum voluerunt. Certissimum est hac quasi epexegesi verbum בְּשַׁגָּם explanatum esse; »propter peccatum eorum, id est, carnem.« Hanc pronominis הוּא significationem usitatissimam esse quivis novit; cf. Gen. XIV, 7. Non quia הוּא verbi substantivi vices expleat, sed quia hoc pronomen, emphasi quadam sua, ad antecedentia respiciat, et novam

[1]) »Pluribus refutavit illam de voce בְּשַׁגָּם sententiam J. F. Bernd in peculiari de hoc vocabulo ejusque significatu Exercitat. crit. philol. Hal. 1732. 4. docuitque referendum esse ad radicem שָׁגָה *erravit,* ita ut בְּשַׁגָּם sit Infin. Piel c. praefixo et affixo, et cum verbis הוּא בָּשָׂר vertendum *dum errare eos facit caro,* i. e. dum eos in varios libidinis errores abduxit corrupta eorum indoles; quia *carni* laxarunt dominium, et carnis voluptatibus adeo alte sunt immersi, ut emendationis opes plane nulla sit. Ita etiam σάρξ, qua voce LXX. p. l. usi sunt, in N. T. de vitioso et corrupto homine usurpatur.« De *spiritu* Dei, qui *carnem* nostram animat, vide etiam Num. XVI, 22, XXVII, 16.

praedicationem inducat. Hanc interpretationem confirmat auctor locupletissimus D. Jacobus, in loco vexatissimo, qui levi mutatione sic refingendus est (IV, 5): *πρὸς φθόνον ἐπὶ πόθῳ τὸ πνεῦμα οὐ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν.* Legitur *ἐπιποθεῖ* et *ὃ κατῴκησεν.* Sed quum nemo adhuc invenerit S. Scripturae locum, quo haec sententia respexerit, et versus ita emendatus cum Gen. VI, 6, 3, ubi Deus dicitur *doluisse animo suo* (יִנָּחֵם) propter impudicos hominum amores, et dixisse *οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις εἰς τὸν αἰῶνα διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας* (ita enim LXX.) aptissime congruat, et commodam significationem praebeat: »propter invidiam adversus libidinem spiritus non habitavit in nobis«, mihi certissimum est tali mutatione opus esse. Quam frustra doctissimi homines sudent in vulgato explicando discas ex commentatione Zyronis (Theolog. Stud. u. Krit. 1840. pp. 432 sqq.). Et quoniam Wetstenius demonstravit Jacobum non pauca transtulisse ex libro Sapientiae, ei non incognitum erat istud effatum (II, 23—25): *ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ᾽ ἀφθαρσίᾳ καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν· φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες.* Jam vero ut ait D. Paulus (Gal. V, 17) *τὸ πνεῦμα ἐπιθυμεῖ κατὰ τῆς σαρκός.* Ergo *τὸ πνεῦμα καὶ ἡ σὰρξ ἐπιφθόνως διάκεινται.* Et quum *πόθος* ea sit *ἐπιθυμία σαρκὸς* quae in sexuali amore versatur (cf. Eurip. Hipp. 536: *ἔρως ὃ κατ᾽ ὀμμάτων στάζεις πόθον.* Iph. A. 1303: *ἐπὶ πόθῳ τρυφῶσα Κύπρις*), Spiritus Dei recusabat hominem inhabitare *πρὸς φθόνον ἐπὶ πόθῳ,* »quia libidini invidebat vel infenso odio amorem sexualem prosequebatur.« Praepositio *πρὸς* valet עַל; vide Matth. XXIX, 8. et cf. Fischer. ad Welleri Gr. III, 2. p. 260.

Videbat igitur prioris fragmenti auctor Dei spiritum idcirco in homine semper regnare non potuisse, quia caro contra spi-

ritum militaret, quia concupiscentia et mors in pejore compositi hominis natura semina sua jacerent. Eandem de peccato et morte ex inferiore appetitu oriundis sententiam, quam nimis confirmat experientia nostra, Jehovista symbolica quadam ac mystica narratione fusius exponit. Sic enim rem declarat.

Quum Deus hominem ex duplici, eaque inconcinna, materie conflasset, hinc e terreno pulvere, illinc e coelesti spiritu, eum utique in duplici quodam *deliciarum horto* (גַּן־עֵדֶן) collocavit [1]. Nam in medio horto, tanquam centro unde omnes istae deliciae emanarent, duas arbores, alteram prope alteram consitas (Gen. II, 9. III, 3), ita ordinavit, ut altera alteri perpetua quadam atque infesta oppositione repugnaret. Una harum arborum, quae arbor *vitae,* sive *immortalitatis,* nuncupatur, inter fructus suos aurea illa gaudia proferebat, quae divinum hominis spiritum, opera ac labore suo rite defungentem, in vita et post mortem prosecutura sunt. Altera arbor, quae vocatur arbor *cognitionis bonarum malarumque rerum,* scilicet ejus cognitionis quae cum pubertate conjuncta est (cf. Ies. VII, 15, 16. Deut. I, 39. Ep. ad Hebr. V, 14), illa dumtaxat gaudia pro fructu suo ostentabat, quae carnem, vel animalem hominis naturam, oblectare debent; quae, quum primo obtutu bona appareant, experimento facto mala, vel saltim non ita bona, esse deprehenduntur. Et quum hortus ille omnia vitae ornamenta atque instrumenta contineret, omnia quae suavia, dulcia, amoena et jucunda essent vel visu vel gustatu (II, 9), quumque haec omnia homini liceret pro arbitrio suo usurpare (16), constat vetitum cognitionis fructum nihil aliud esse quam centralem quasi concupiscentiae vim, quae in abusu, vel nimio usu deliciarum sensus versatur, atque ob eam rem ab altero centro

[1]) Haud sine consilio scriptor Jasharanus verbum הִנִּיחַ a נוּחַ (II, 15) adhibuit; nam sub Edene praesignificatur promissa populi probi *requies* (cf. Ps. XCV, 11).

quam longissime abhorret; adeo ut illa arbor ad vitam sempiternam, haec autem ad mortem conducat. Jam vero centralis concupiscentiae vis, si ad moralem, quae perhibetur, virtutem spectamus, *fornicatio* est, i. e. stupri consuetudo vel illicita sexualis appetitus indulgentia. Si ad relligionem respicimus, eadem peccati dominatio in idololatria, sive in sensuali Deorum cultu, cernitur. Quam arcte binae peccati phases inter se congruant, satis ostendunt veteres Hebraei, qui imaginum venerationem pro scortatu quodam semper habendam confirmant. »Quaenam pax esse potest«, ait Jehu (2 Regg. IX, 22), »dum durant *scortationes* זְנוּנִים i. e. idololatria, Isabelae matris tuae?« Similiter Jeremias, Ezekiel, Hosea aliique prophetae vocabulo זְנוּת vel תַּזְנוּת q. d. *stuprum* vel *scortationem* utuntur ad idololatriam significandam (cf. Jer. III, 9. XIII, 27. Ez. XVI, 26, 29. XXIII, 8, 17, 27. XLIII, 7, 9. Hos. IV, 11. VI, 10). Et Sirachides diserte affirmat (Sapient. XIV, 12, 27): *ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, εὕρεσις δὲ αὐτῶν φθορὰ ζωῆς. — ἡ γὰρ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία παντὸς ἀρχὴ κακοῦ καὶ αἰτία καὶ πέρας ἐστίν.* Hinc profluxerunt significationes illae quae apud scriptores apostolicos ubique occurrunt. Ita enim veram ecclesiam alloquitur D. Paulus (2 ad Cor. XI, 2): *ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ.* Contra autem superstitiosa Roma describitur (Apoc. XIX, 2) tanquam: *ἡ πόρνη ἡ μεγάλη ἥτις ἔφθειρε τὴν γῆν ἐν τῇ πορνείᾳ αὐτῆς.*

Nec negandum est, quin polytheismus et polyandria inter veteres nationes miris modis concurrerent. Nam ne dicam de Veneris apud Corinthios, aliosque Graecos, impudica adoratione (vide ad Pind. Fragment. 87), constat numen illud Midianitarum et Moabitarum, *Baal-Peorem,* cujus cultum Israelitae praecipue vitare debebant, non alium fuisse ac *Priapum,* sive phallicum generationis deum, atque ad orgia ejus concelebranda publicam

stupri consuetudinem adhibitam esse (Num. XXV, 8). Nam auctor est Hieronymus (ad Hos. IV, 14), »coluisse maxime foeminas *Beelphegor* ob obscoeni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare»: idemque in Jovin. 1, 12: »*Phegor* in lingua Hebraea Priapus appellatur.« Scriptores Talmudici rationem etymologicam excogitarunt, quare puellae in hoc numine colendo pudicitiam suam publici juris facerent; nam referebant nomen פְּעוֹר ad *ὑμένα* puellarum aperiendum. Quam montis a Dei cultu explicationem rejicit Gesenius (ad v. Thes. p. 1119), cui potius *Baal*, alias generandi numen, a monte *Peor* apud Moabitas illud cognomen traxisse videtur. Novimus sane Graecos mystico hymenaeorum carmine ad vaginam novae nuptae aperiendam allusisse; clamitabant enim pronubae ad thalami fores: *ἐκκόρει, κόρη, κορώνην σὺν κόροις τε καὶ κόραις* (vide Böckh. ad Pind. Pyth. III, pp. 257—9. ad schol. Pind. p. 330; cf. Hermann. opusc. II, pp. 327, 328). Quodsi daemon ille Moabiticus a monte *Peor* suum nomen derivavit, possumus eum cum *Belial* vel *Beliar* (2 Cor. VI, 15) comparare, ita ut haec *τοῦ πονηροῦ* designatio non sit composita ex בְּלִי *non*, et יַעַל *utilitas*, sed sit potius denominativum in statu constructo pro *Bel* (בֵּל vel בַּעַל) *qui supra est* (הַ-עַל); cf. מַלְכִּיצֶדֶק pro מֶלֶךְ הַצֶּדֶק, et similia. Certe Arabicum وَعْل valet *nobilis, princeps,* et Syrorum lexicographi *Beliar* »aeris dominum» interpretantur.[1]) Utut haec se res habuerit, luce clarius est, veteres Hebraeos scortationem et idololatriam, tanquam consimiles res, sub eadem designatione com-

[1]) Verisimillimum est vocem בליעל accommodatam esse a serioribus Israelitis ad eam quam prae se fert significationem. Nam ut abominationem obscoeni illius cultus בעל in בשת vertentes significabant, ita בלי־יעל pro בל־יעל pronuntiantes innuebant nihil prodesse ejusmodi Deos, nihil praesentis numinis vim habere: vide *Jes.* XLIV, 9, qui, ut videtur, ad utrumque Baal-Peoris opprobrium respexit. Accedit, quod בַּל pro בְּאַל et בְּלִי pro בְּלֹא (*Jer.* II, 11. *Jes.* XLIV, 9) compositae sunt et serioris aevi particulae. Fuerst (*Handwörterb.* p. 192) vertit בליעל, *nicht-höhe.*

plexos esse, et quasi summum peccatum illuc rettulisse. Non igitur mirum fuerit, si, in primaevi peccati delineatione, Jehovista noster similem cogitationum seriem conglutinaverit. Atque eum ita voluisse ex unaquaque narrationis particula satis patet. Ac primum quidem נָחָשׁ ille sive serpens, qui incentivas struit *mulieri*, non *viro*, insidias, phallicum Baal-Peoris signum denotat. Quanta intersit inter hoc signum et generationis organon similitudo, non opus est ut fusius exponam. Elephantis epitheton *angui-manus*, quod pendulam plerumque, sed, si opus est, erectam vibrantemque istius belluae proboscidem designat, per se sufficit ad imaginem explicandam. Praeterea, apud veteres plerosque serpens est vitae symbolum, et in gemma insculpta apud Knightium (On the worship of Priapus p. 19. Pl. V) serpens erectus ithyphallicum signum depingit[1]). Et qui ad diabolicas nescio quas machinationes cuncta referenda censent, ii non debent oblivisci Priapum, quem *κόσμον* vocabant veteres, easdem partes sustinere atque *ἄρχων* iste *κοσμοκράτωρ*, quem peccati auctorem perhibent. Deinde, facillimum est intelligere, quemadmodum conspectus ipse phallici serpentis in muliere peccati igniculos et ignota cognoscendi studium suscitare posset, quae in vetitum appetitum inducta viro persuasit ut *una cum ipsa* (עִמָּהּ) fructum a Deo denegatum comederet. Quum igitur *conjunctim*, non *seorsim*, esitarent, ad mutuam quandam operationem respicit poeta noster. Jam vero simplicem edendi actionem unusquisque pro se absolvit; neque ulla alia mutua est appetitus fruitio, praeter eam, ad quam omnia hic pertinent, nempe, sexualem viri foeminaeque coitum, *ἣ θέμις ἀνθρώπων πέλει, ἀνδρῶν ἠδὲ γυ-*

---

1) Constat aeneum serpentem, quem Moses faciundum curavit, vitae et sanationis signum fuisse, eundemque ad *uraeum* Aegyptiorum spectasse, qui *Solem* denotat, vitae et generationis symbolum, et *Dionysum*, cujus in phallicis orgiis tanta erat auctoritas. De phallico serpente apud Athenienses, cf. Gerhard, *Anthesterien*, pp. 158, 160.

ναικῶν. Ne quid autem dubii relinqueretur, addidit auctor, *πρωτογόνους* nostros una edendo perspexisse se *nudos* (עֲרֻמִּים) esse. Pudorem istum sexualem non ante pubertatem oriri, certissimum est. Pueri puellaeque infantes summa morum cogitationumque innocentia una degunt, tanquam si diversi sexus non essent; sed quum semel conscii fuerint facti potestatis et desiderii sexualis, illico pudorem concipiunt, ea quae sexum distinguunt contegenda existimant, et, quamvis sint rudes ac barbari, subligaculo qualicunque se praecingunt. Quod praecipue valet de virili generationis organo, quod singularem quendam obscoeni inguinis horrorem incutit. Hoc illud est quod verissime observavit sanctus noster vates: »serpentem in omnibus animalibus eximia nuditate conspicuum fuisse« (Gen. III, 1)[1]). Scio equidem omnes ad hunc diem interpretes verbum עָרוּם reddidisse »callidus« vel »malignus«. Scio etiam veteres multa dixisse de maligna et callida serpentis indole (cf. Gen. XLIX, 17. Matth. X, 16. Aristot. H. A. I, 14. Aesop. fab. 70 cet.). Scio denique, quum ambae voces ad radicem עָרַם referantur, Lexicographos distinguere inter עָרוּם, »callidus«, et עָרוֹם vel עָרֹם, »nudus«. Quum tamen hoc vocabulum pro foeminino habeat עֲרֻמָּה, pro plurali עֲרוּמִּים, equidem non dispicio cur punctatores nescio quos tam caeca veneratione prosequi debeam. Si igitur uno stemmate continentur notiones *calliditatis* et *nuditatis*, non duo erant adjectiva inde derivata, sed unum solummodo, quod propter foeminini et pluralis conformationes per vocalem *shureq* exprimens עָרוּם pronuntio. Quod ad interpretationem hujus loci attinet, quis quaeso crediderit eundem scriptorem in duobus versiculis tam proxime connexis, idem, vel, si magis placet, tam fere idem vocabulum, quod in tota narratione tantum ponderis exerceat, diversa signi-

[1]) Quantopere, praesertim in gente pastorali, *τὰ τοιαῦτα θεάματα ἐξορμᾷ εἰς ἀφροδίτην*, discas ex Theocrito I, 87 et Longo III, 13. Vide etiam Calderon, *el Mágico prodigioso*, Tom. III, 415 ed. Keil.

fication usurpare potuisse[1])? Vir et foemina *nudi* erant, sine pudore; serpens fuit *nudus* in omnibus animalibus; serpens iste in causa fuit, cur protoplasti se *nudos* esse reperirent. Haec omnia uno tenore currunt, quem interruperis, si per intercapedinem subjicias serpentem istum non *nudum*, sed *callidum*, fuisse.

At enimvero summa totius rei in triplici imprecatione rite interpretanda versatur. Nam tres personae, sive agentes, quibus drama hoc sustinendum traditur, tanquam rei et damnati singulari quisque ac proprio vexantur incommodo. Serpenti enim, qui mulieri persuaserat ut vetitum fructum viro suo comedendum daret, injungitur, ut deflexo capite sordidum pulverem perpetuo devoret, ut mutuas cum muliere inimicitias et struat et subeat. Mulier autem ad longa gestationis taedia et parturitionis labores damnatur, quae tametsi praevidet mala, ad viri amplexum semper libens reditura sit, ejusque dominationem redintegratura. Denique vir ipse, ut qui tam cupide oblatae voluptati se dedisset, ad molestiam et sudorem agri colendi devovetur, et quum divinum spiritum terreno appetitui posthabuisset, ad suum pulverem post brevius vitae spatium redire cogitur. Quod ad virum foeminamque attinet, satis patet hanc imprecationem praecipuà utriusque sexus incommoda describere. Mulierem enim in pariendo, virum autem in sustentando liberos, maxima vitae taedia fatigant. Haec igitur narrationis filum egregie continuant. Nihil enim aptius excogitari posset ad poenam protoplastorum cum culpa, quam in se admiserant, quadrandam. Qui gaudia praesentis horae tam cupide gustaverant, iidem, nec immerito, praesentis horae dolores ac molestias sibi conciliaverunt. Sin ad serpentem transimus, et sub hoc nomine merum illud animal reptile intelligimus, nihil haec confert narratio ad reptationis ser-

[1]) Nonnulli, quos citat Schumannus, eodem judicio, sed conversa vice, ערומים (III, 25) transferunt חכימין *intelligentes*. Quos tamen contextus ipse confutat.

pentinae originem et causam explicandam. Quod serpens prono ventre labitur, quod in terreno pulvere volutatur, id non magis mirum quam quod pisces in aqua natant, quod sine pernicie undas aperto ore excipiunt. Et si primitus serpens, tanquam plesiosaurus qualiscunque, erecto capite, et quattuor, vel, si mavis, centum pedibus perambulabat, non tamen idcirco ad mulierem contaminandam plus valuit. Ceteri enim quadrupedes idem facere potuissent. Si poena ad eam facultatem referenda erat, qua abusus tanta mala in mundum induxit, exspectare oportet futurum fuisse, ut hac sententia conclusa esset: »tu, qui antea humano sermone loquebaris, qui humana calliditate pollebas, in posterum mutus fies, et bruto pecori adnumeraberis.« Ut omnia uno tenore currant, redeamus ad mysticam serpentis significationem. Si igitur sub serpentis imagine phallicum signum intelligimus, quam plana sunt et concinna cuncta picturae lineamenta! Nam ut instrumentum lapsi hominis poena quadam sua mulctaretur, et ignominia rei apta afficeretur, condemnatio serpentis tali modo promitur: »inter omnes pecudes et animalia illud generationis signum dedecori erit et opprobrio; ventri suo illigatum, et devexo capite, inter pedes progredientium perpetua pulveris nube circumfundetur, et terrenis sordibus tanquam alimento vescetur.« Locutionem מִכֹּל partitive usurpari posse, ut respondeat Latino *inter omnia* vel *omnium,* probatur loco Jer. XVII, 9, ubi legimus לֵב מִכֹּל, *cor omnium;* cf. etiam Gen. VII, 15, 16, 22. Similiter 1 Sam. XV, 33: מִנָּשִׁים, *inter mulieres.* Quod de naturali serpente fere idem dici potest (Jes. LXV, 25. Mic. VII, 17), id dumtaxat valet ad figurae veritatem declarandam. Neque enim pro phallo poneretur serpens, nisi res significata cum typo accurate congrueret. Sed nondum animum advertimus ad alterum imprecationis membrum (Gen. III, 15). Plerisque theologis perplacuit haec verba ita interpretari ut significent infestum odium, quo Satanas, veteris serpentis proles, promissum Messiam, mulieris semen, prosecuturus erat. Qui

tamen, ut opinioni alienae antiquissimum fundamentum jaciant, apertam hujus loci sententiam perniciose subvertunt. Agitur enim hic de *poena* serpentis et mulieris. Suffixorum virile secus in יְשׁוּפְךָ et תְּשׁוּפֶנּוּ spectat ad vocem generalem זֶרַע. *Semen* vel *proles* (i. e. species, *γέννημα* Matth. III, 17) utriusque simili damnatione implicatur. At Messias ille, qui oblatione sua semel facta omnes homines a reatu et morbo originis redempturus erat, in ea damnatione obvolvi non potuit, quae de perpetuis inimicitiis, et de perpetua capitis calcisque contritione loquitur. Dixerit fortasse quispiam Sospitatorem nostrum non nisi per vulnera sua victoriam adeptum esse, et laudabit fortasse D. Paul. Ep. ad Rom. XVI, 20. Apoc. XII, 17. Sed haec, ut mihi quidem videtur, aliorsum spectant. In vivida orientalium rhetorica, quicunque triumphat, is inimicos sibi ponit tanquam scabellum pedum suorum (Ps. CX, 1). Atque, ut mox constabit, longe alia erat illa Christi victoria, quam ut cum perpetua calcis illius victricis laesione compararetur. Intimum hujus versiculi sensum nemo assequetur, nisi qui in ipsis verborum vestigiis institerit. Omnia enim pendent ex vera definitione vocum שׁוּף et עָקֵב. De priore vocabulo verissime observavit Scheidius (in nota ad h. l. ap. Rosenmüllerum ad Psalm. CXXXIX, 11): »verbum שׁוּף proprie notavit *fricare, terere,* uti certissime constat ex dialecto Aramaea.« Versio LXXviralis idem verbum שׁוּף reddit *ἐκτρίβειν* in libro *Iob.* IX, 17, ubi in altera clausula *vulnera* nominantur. Et nonnullis haud immerito placuit versio *τρίψει,* quod h. l. in Cod. Coislin. pro *τηρήσει* repperit Montefalconius (vide Aristoph. *Vesp.* 739. 1343). Utut hoc verbum interpreteris, necesse est eandem in utraque clausula significationem exhibeat, quae tam in serpentis רֹאשׁ conveniat, quam in mulieris עָקֵב. Nam sermo est de mutua quadam sive reciproca laesione. Mulier et serpens in perpetuum »vulnera alterna dantque feruntque manu.« Sed quum serpentis caput humano pede conterere non idem est vulnerationis genus, ac serpentis morsus, quaerendum est, num alia in-

terpretatio excogitari queat, num nomen illud עָקֵב aliud quiddam denotare possit, atque ipsam mulieris *calcem*. Ac primum quidem certissimum est vocem עָקֵב *calcaneum* sive *extremam pedis partem*, tam in homine quam in ceteris animalibus, designare; deinde vero *vestigia* significare, i. e. *signa et impressiones, quae a pedibus relinquuntur*. Sed quaenam fuit insita radicis vis? Fuerstius quidem (Concord. p. 857) pro radicis diversitate triplicem significatum ponit (1) *nere, texere*, ut in עָ-כַב, חָ-גַב, (2) *altum, elatum esse*, »qua significatione a rad. עָ-קַב exit, quae radicatur etiam in vv. גַּב, גָּב, גָּבַ-ע«, (3) »*Pi.* עִקֵּב *cunctari, morari, retardare*, quanquam alii vi insequendi *vestigia*, s. *investigandi* vertunt.« Ut mihi autem videtur verbum עָ-קַב unice dependet ex radice קַב, quae in קָבַב producitur, et significat *fornicatum, concameratum esse*. Sed in unaquaque *fornice* sive *camera* tam *concavi* quam *gibbi* vel *convexi* notio implicatur (Aristot. *Eth. Nic.* I, 13, §. 10). Itaque dum עָקֹב est *locus acclivis, clivus, jugum montis*, et עָקֵב est *pars pedis extrema*, »elata illa prominens ac rotundosa« (Fuerst.), נָקַב est *perforare, efforare, fodere*, unde נְקֵבָה est »foemina«, a *cava* s. *perforata* genitalium figura, opp. זָכָר, »masculus«, a *penetrando* sic dictus. נֶקֶב est *foramen*, מַקֶּבֶת est *terebra*, et מַקֶּבֶת est *caverna*. Notio insidias struendi, quam verbo עָקַב tanquam primitivam injungunt, derivata est et secundi ordinis; manat enim a significatione calcis et »calce ferire in luctando« denotat i. e. *supplantare*. Quid igitur sibi vult illud עָקֵב mulieris, quod serpentis caput non sine sui vulneratione laesurum erat? Primum, animum advertere oportet ad locum observatu dignissimum, in quo bis occurrit radix קַב, in quo etiam obscoenus Baal-Peoris cultus diserte declaratur. Nam postquam Zimri Ben-Saluh ad apertam cum Cozbi Bath-Tsur fornicationem in thalamum ingressus esset, Phineas eos secutus esse dicitur (Num. XXV, 8) אֶל-הַקֻּבָּה, quod vertunt *in cameram*, ibique framea confodit ambos, mulierem autem קֳבָתָהּ, quod vertunt

in vulvam ejus. Intime igitur conjuncta erant קֻבָּה *fornix,* et קֵבָה, *cavitas vaginae*, chald. נְקוּבָה, quae ambae ad Belphegoream illam scortationem vel fornicationem valebant. At enim vero, non tantum קֹבָה sive נְקֵבָה, sed etiam עָקֵב quasi peculiariter de foeminis praedicari potest. Legimus enim apud Jeremiam (XIII, 22): »ob magnitudinem criminis tui reteguntur laciniae tuae, violenter tractantur i. e. *nudantur ignominiose* עֲקֵבָיִךְ calcanei tui.« Ubi Rosenmüllerus calcium violationem intelligit injectis compedibus, captiva abducenda. Sed, ut Maurerus recte observavit, utriusque membri idem debet esse sensus. Quod Gesenius existimat, meram calcium nudationem intelligendam esse, quia calces honestae mulieris syrmate tegantur, id parum ignominiae declaraturum esse satis demonstrat v. 26, ubi legimus: »atque ego retego syrmata tua *super faciem tuam,* et cernentur *pudenda tua*« (קְלוֹנֵךְ): cf. Nahum III, 5: »retego syrmata tua *super faciem tuam,* et videre facio gentes nuditatem tuam (מַעְרֵךְ) et regna *pudenda tua*« (קְלוֹנֵךְ). Similiter Jes. III, 17. XLVII, 3. Quibus locis inter se collatis efficitur vocem עָקֵב ex mente Jeremiae eam mulieris partem significare posse, quae maxime obtegi atque celari debeat. Quid vero? si denique עָקַב et נָקַב, initio vocis, quod Teutones *Anlaut* vocant, quam minime immutato, unam eandemque formulam exhibent, ita ut utraque *antrum mulieris* denotare queat? Si verum admittimus, haud ita multum interest inter articulationes ע et נ, quarum utraque per nasum effertur, utraque pro re nata elidi sive omitti potest. Ut uno exemplo, eoque sua ipsius caussa gravi ac luculento, defungar, sciunt omnes, qui Ninevensibus Layardi monumentis operam dederunt, statuisse Rawlinsonum, v. cel., (Journal of Roy. As. Soc. vol. XII, p. 426) *Assaracum,* summum Assyriorum Deum, non alium esse atque Biblicum *Nisroch,* נִסְרֹךְ, cujus in templo occisus est Sancheribus (2 Reg. XIX, 37. Jes. XXXVII, 38). Nam litteram nasalem, qua incipit illa vox, mobilem esse ostendunt variae scri-

bendi rationes in LXX. obviae: *Νασαράχ*, *Μεσεράχ*, *Ἐσθράχ*, *Ἀσαράχ*. Falsa igitur est eorum opinio, qui de figura sacerdotis, ut videtur, capite aquilino ornata cogitantes, nomen נִסְרֹךְ ad Hebraicum נֶשֶׁר, »aquila« rettulerunt. Neque enim ulla est caussa cur aquilinum illud caput Assaraci humeris injungamus, et diversitas litterarum שׁ et ס haud ita negligenda est. Si rem ad philologicam scientiam perpendamus, constabit radicem esse עסר, nam mobilitas nasalis cum aspirata ע praecipue congruit. In nominibus regum Assyriorum saepissime occurrit elementum illud אסר vel נאסר. Ita habemus notissimum אֵסַר־חַדּוֹן (vel *Sar-dana-palum*), שַׁלְמַנְאֶסֶר, quique inter hunc et *Phulem* regnavit תִּגְלַת פִּלְאֶסֶר (2 Reg. XV, 29. XVI, 7), cujus agnomen scribitur etiam נְאֶסֶר (1 Par. V, 6. 2 Par. XXVIII, 20) vel נֶסֶר (1 Par. V, 26). Ut mihi videtur haec vox significare debet aliquod praesentis Dei attributum, quale est »*auxilium* quod cultoribus suis praestat«, nec dubito quin idem sit atque Hebraicum עֶזֶר, *auxilium*, ita ut פִּלְאֶסֶר congruat cum Damasceno nomine אֱלִיעֶזֶר. Fluxam illam et evanidam nasalem optime exprimit aspirata ע; et quum LXX. reddant עֶזְרָא per *Ἐσδράς*, נִסְרֹךְ autem per *Ἐσδράχ*, nemo negaverit quin נסר et עזר in eadem articulatione concurrere possent. Ex hoc exemplo satis patet inititialem נ cum initiali ע commutabilem esse, utramque autem elidi posse. Non igitur mirum foret si נָקַב, עָקַב, et קָבַב, quae significationes praebent tam consimiles, ad eandem originem redirent. Utut haec se res habuerit, locus Jeremiae supra laudatus demonstrat vocem עָקֵב de mulieris verendis praedicari posse. Si igitur ad serpentem phallicum revertemur, planissimum erit quid de reciproca illa laesione intelligere debeamus, ut anatomica omni disquisitione supersedere possim. Ac mitto quaerere, num circumcisionis ritus, qui inter Judaeos saltim relligiosus erat, et qui, quum naturali orientalis populi incommodo mederetur, munditiam quoque et carnis mortificationem significabat, ad poenam serpenti irrogatam quadamtenus respexerit.

Quod si quis hanc interpretationem minus honestam judicabit, quam quae in sacrum vatem conveniat, id ipsum objiciet, quod Veteri Testamento exprobrabat Voltairius (*Lettres d'Amabed*, Contes, III, p. 307). Nam in sacris scripturis multa inveniuntur, quae nobis quidem obscoena sunt, orientalibus autem erant familiaria (vide infra p. 216: cf. Lowth, *de sacra poesi Hebraeorum*, Praelect. XXXI, pp. 302, 303. Vers. Angl. II, pp. 318 sqq.). Ut silentio praeteream *Gen.* XIX, 5, 32. XXXIV, 2, 25. XXXIX, 12. *Num.* XXV, 8. 1 *Reg.* XXI, 21. *Jes.* XXX, 22. *Ezek.* XVIII, 6 et alia, quae in ecclesiis publice praeleguntur, quid planius, vel, si mavis, obscoenius, dici potest, quam illa quae de Thamare produntur (*Gen.* XXXVIII, 9, 28, 29)? et quid apud eos scriptores non feremus, qui semper et ubique voces עָרֵל et עָרְלָה sine ulla circumscriptione vel verecundia proferunt? »Caveant igitur severiores« (Valckenaerii verba sunt, *ad Ammon.* p. 41) »ne nostram in his exponendis diligentiam insulse reprehendant. Placet veteris poetae dictum, quo importunum aliquando repressit Aristippus:

καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν

ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.« Mihi profecto satis est, quod non nisi ad pietatem ac virtutem stabiliendam in hac disputatione versatus sum: nam ut ait D. Paulus (*ad Tit.* I, 15): *πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς· τοῖς δὲ μεμιαμμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρόν, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις*[1]).

Si igitur sana et certa est haec enarratio atque exegesis, ecquod luculentius Jasharani libri prooemium excogitari potuisset, sive ad communem omnium hominum culpam, sive ad propria Israelitarum delicta spectamus? Nam quod ad peccatum originis attinet, confirmat Solomo hominum in genere factum esse *probum*, sed suo ipsius appetitu lapsum esse; quocum

---

[1]) Auctores qui meam rationem praeoccuparunt citatos invenies in Excursu II. ad finem libri.

congruit tum brevior illa declaratio peccatum et mortem e carnis concupiscentia profluxisse, tum tota haec narratio de vetito arboris fructu comedendo. Neque alia erat Israelitarum, *probae* illius nationis, culpa, quoties a vero Deo desciverunt migraruntque legem divinam. Nam quid ait sacer ille Psalmorum scriptor? (Ps. CVI, 28—39)

Addixerunt se cultui Baal-Peoris,
Et comederunt sacrificia mortuis oblata;
Polluebant sese factis suis,
Scortantes cum idolis ab ipsis factis.

Sed etsi facile quispiam concesserit phallicam Baal-Peoris venerationem cum fornicatione conjunctam summum fuisse nefas atque inexpiabile, invenientur qui censeant peccatum originis non posse constare in sexuali appetitu, quippe qui homini eo consilio insitus esset, ut genus ipse suum multiplicaret. Dixit enim Deus (Gen. I, 28): »foetificate, multiplicamini, replete terram, eamque vobis vindicate.« Vetitus igitur arboris fructus vix potuit in ea gustatione contineri, quam non modo non vetuerat, sed etiam praecise imperaverat Deus. Obliviscuntur ii, qui hoc modo argumentantur, veram relligionem cum monogamia semper esse comparatam, idololatriam cum scortatione. Non in sexuali appetitu, quatenus ad domesticam caritatem et liberorum procreationem pertineat, sed in polygamia, eaque foeminae fruitione, quae ad voluptatem tendit et procreationem pessumdat, latent illa peccati semina. Rem acu tetigit, etsi aliud agens, impudica illa mulier Populia Marci filia »quae miranti cuidam, quid esset quapropter aliae bestiae nunquam marem desiderarent nisi quum praegnantes vellent fieri, respondit: *Bestiae enim sunt*« (Macrob. Saturn. II, 5 § 10). Haec illa, utpote meretrix, contemptim ausa est effutire; sed homines plus etiam quam bestias decet Venere moderata uti *οὐκ ἐρωτικῆς ἐπιθυμίας ἕνεκα, ἀλλὰ τὸ πλεῖον τῆς παιδοποιίας χάριν* (Diod. Sic. IV, 9); et nullus

equidem dubito, quin effusa sexualis appetitus indulgentia summum sit illorum peccatorum, quae ex concupiscentia profluunt; perniciosius gula, perniciosius etiam temulentia, ut quod plures morbos et miserias mundo induxerit[1]), plures animas immortales pessumdederit.

Jam vero quaeramus, quemadmodum haec enarratio concinat cum reliquis Scripturarum locis, qui de lapsu hominis tractant, de origine mali ac peccati, et de tentationis natura. In primis examinandus est versus ille jam saepe laudatus, quo Solomo declarat: »dumtaxat hoc, vide, inveni; Deum hominem fecisse *rectum;* illi vero quaesiverunt multas machinationes.« Nomen plurale חִשְּׁבֹנוֹת, quod praeter hunc locum occurrit tantum in 2 Par. XXVI, 15, bellicas machinas designat; hinc malas artes quascunque, *πανουργίας, σκολίας ἀπατάς,* quae notioni nominis יָשָׁר repugnant. Eadem radix implicatur vocabulo מַחְשְׁבוֹת, quod in priore Fragmento (Gen. VI, 5) pravas humani cordis cogitationes describit. Homo igitur factus est rectus, sed lapsus est in peccatum propter suam pravitatem. Non aliunde ergo, sed intrinsecus orta est hominis perversitas et pernicies. Quod idem affirmavit D. Paulus (ad Rom. V, 12): *δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος.* Atque hanc perniciosam culpam intrinsecus oriundam ex carne humana pendere, quae divino spiritui repugnet, testantur plures in Novo Testamenti enunciationes. Ita D. Paulus (ad Gal. VI, 8): *ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν· ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον.* Auctor 2 Pet. Ep. I, 4: *ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ*

[1]) Confirmant medici morbum regium seu scrofulam, cui magna nostri generis pars obnoxia est, ex abusu sexuali originem suam duxisse.

φθορᾶς. cf. Tit. II, 11: τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας. Quam arcte haec cum nostri Fragmenti doctrina cohaereant non opus est ut fusius demonstrem.

Sed duae sunt longiores in Paulinis Epistolis pericopae quae ad primigenium hominis peccatum explicandum referri possunt.

(*a*) In priore (ad Roman. VII, 7 sqq.) peccati natura describitur, et demonstratur quemadmodum concupiscentia insinuet se in vacillantem hominis animum.

(*b*) In altera (ad Phil. II, 5 sqq.) sublimis divini Sospitatoris humilitas opponitur insanae illi arrogantiae, quae πρώταρχον ἄτην comitabatur.

Utrumque locum paullo attentius contemplari operae pretium erit.

(*a*) Interdictum divinum, ne comederet homo de fructu arboris, quae inter malum et bonum discerneret, ita intelligit Apostolus (ad Rom. VII, 7), ut pro mandato ponat: »Non concupisces« (οὐκ ἐπιθυμήσεις). Itaque, vetitus ille fructus fuit carnalis ἐπιθυμία. Et quum mulier se excusans dixisset (Gen. III, 13): »serpens me *decepit* ut comederem«, Apostolus sic rem interpretatur (u. s. v. 11): »peccatum (ἁμαρτία) occasione arrepta per mandatum *decepit* me (ἐξηπάτησέν με) et per illud me occidit.« Pergit Apostolus affirmare (v. 14) »legem divinam *spiritalem* esse, hominem autem *carnalem*, peccati mancipium«; et quum duplici constemus natura, superiore illa quidem, quam Dei *spiritus* informet, inferiore autem, quae pravis terrenae *carnis* cupiditatibus sit obnoxia, (v. 22, 23) »condelectamur legi divinae secundum interiorem hominem, videmus autem aliam legem in membris nostris, i. e. in *carne*, repugnantem legi mentis nostrae, i. e. *spiritus*, et subigentem nos legi peccati, quae regnat in nostro corpore.« Respiciens ergo ad illam orationis Dominicae clausulam, qua precamur »ut Deus nos a malo *liberet*«

(ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ), exclamat Paulus (v. 24): »infelix ego homo, quis me *liberabit* a morte, miseriis, et delictis, quibus hoc meum corpus obnoxium est (τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου)?« Respondit idem gratias Deo habendas esse, qui per Christum effecerit, ut verior et praestantior hominis pars, qua ratio et conscientia contineantur, suam dominationem exercere possit. Summa igitur disputationis eo redit, ut peccati fons et operatio in carne ponatur, i. e. in concupiscentia vel ἐπιθυμίᾳ, quae mentem atque animum degenerat, et perniciem inducit, et quae omnimodis divino spiritui perniciose contradicit. Neque alia est Fragmenti nostri doctrina.

(*b*) Ad Philippenses scribens idem Paulus exemplo Jesu Christi relligiosam humilitatem commendat, non sine respectu ad primarium hominis peccatum (II, 5 sqq.). Qui hujus loci sensum parum sunt assecuti, sicut versionis Anglicanae auctores, iis fraudem fecit vox ἁρπαγμὸς minus intellecta, quam tamen recte exponunt Theodoretus: οὐ μέγα τοῦτο ὑπέλαβε — et Rufinus: *non sibi magni deputat.* Nam ἁρπαγμὸν, vel rectius ἅρπαγμα, sive ἑρμαῖον, ἡγεῖσθαί τι (cf. Heliod. Aeth. VII, 20), est *praedam ducere* v. *in lucro ponere negotium aliquod.* In verbo ἁρπάζειν continetur notio *cupide sibi arripiendi id quod sui juris non est*, vel saltim *cupiditatis et nimii ardoris et studii* significatio innuitur. Hinc habemus κέρδεα ἁρπαλέα (Hom. Od. VIII, 164), ἁρπαλέως ἐσθίειν (Id. ib. VI, 250), ἁρπαλέος ἔρως (Theogn. 1353), ἄνθεα ἥβης ἁρπαλέα (Mimnermus I, 4), δέξεται ἁρπαλέως (Theogn. 1046), ἁρπαλέα δόσις (Pind. Pyth. VIII, 65), ἁρπαλέαν σχέθοι φροντίδα τὰν πὰρ ποδός = »magni faciat praesentes delicias«, (Pind. Pyth. X, 62), χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά· θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω (Hes. ἔ. κ. ἡ. 320). His ita constitutis, facillimum est declarare Apostoli sententiam. Nam Philippenses sic hortatur: »Jesu Christi humilitatem imitaminor: qui quum in forma Dei ab initio esset,

non tamen idcirco in lucro posuit Deum aequiparare, sed exuit dignitatem suam, et factus est non modo homo, verum etiam servus, et servilem mortem occubuit. Inde ad summos coeli honores humanitatem suam evexit.« Hic, ut alibi, D. Paulus Adamum et Christum comparat et contendit. Quum enim Adamus creatus esset ad imaginem Dei (Gen. I, 27), quum vetitum fructum, tanquam ἄνθος ἁρπαλέον, cupide arripuisset, persuasus oculos suos apertum iri, Deoque similem se futurum, boni et mali intelligentem (Gen. III, 5), quum denique, hoc facto, ex Edenis pomario summa ignominia expulsus esset (Gen. III, 25), meritas insanae arrogantiae poenas sibi conciliavit. Contra autem Christus, non ille quidem *creatus* ad imaginem Dei, sed in ea imagine ab initio *existens* (ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων), ultro se exinanivit atque abdicavit divina sua majestate, et hac demissione majorem sibi, qui non modo Deus, sed etiam homo esset, gloriam ac triumphum acquisivit. Quod primitus tam diversa essent conditione prior ille et alter Adamus, id, ut probe perspexit Apostolus, discrepantiam, quae in hac comparatione versatur, augeat necesse est. Prior Adamus, ut animal ratione praeditum, Deum creatorem specie quadam et similitudine adumbravit; Jesus autem fuit ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ (ad Hebr. I, 3): prior Adamus creatus est; Jesus autem »Deus de Deo genitus est, non factus«: prior Adamus ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν; Jesus autem εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν (1 Cor. XV, 45); denique prior ille, ut Deus fieret, arrogantia sua omnia perdidit; Jesus, qui Deus erat, humilitate sua factus homo amissam hominis felicitatem recuperavit. Itaque secundum Apostoli mentem primus ille humani peccati auctor fuerit quasi Titan, qui coeli muros scanderet, et Dei αὐτονομίαν sibi vindicandam putaret. At enim, ut recte observavit J. P. F. Richter, vir celeberrimus, qui de hoc argumento notam illam fabulam contexuit, quicunque coelum vi et

armis scandere imbiberit, is utique serius ocius in Tartarum qualecunque suum casurus est. Simile quid voluerunt veteres Graecorum mythographi, quum de Gigantomachia et de montium coacervatione scripserunt; atque haud scio an ejusdem arrogantiae poena describatur in alia sacri codicis pericope (Gen. XI, 4 sqq. cf. New Cratylus §§ 45, 46).

Fuerunt etiam qui Prometheum, »qui fraude mala gentibus intulerit ignem aetheria domo subductum«, cum Adamo compararent. Joannes Diaconus (in Alleg. Hesiod. p. 477 Gaisford.) rem ita tentavit: *οὐκ ἄτοπον δὲ, εἴ τις ὀρθῶς θέλει νοεῖν τὰ λεγόμενα, καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν αὐλὴν τὴν εὐσεβῆ παρεισάξαι τὸν μῦθον, καὶ ἐπὶ τοῦ προπάτορος ἐκλαβέσθαι τὸ νόημα εὐσεβῶς, ὡς ἠπάτησε μὲν τὸν δημιοῦργον ὁ πρωτόπλαστος, τὴν ἐντολὴν παραβὰς, ἐξόριστος δὲ γέγονεν ἐκ τότε τῆς Ἐδέμ, καὶ τὴν ἐπίπονον διαγωγὴν κληροῦται καὶ τὴν εἰς τὸ κλαυθμῶνος πέδιον κατάκρισιν, — ἕως οὗ Ἡρακλῆς ἐλθὼν, ὁ ἐμὸς Ἰησοῦς, τῶν δεσμῶν ἠλευθέρωσεν* [1]. Herculem vero, mythicum illud verae virtutis exemplar, multimodis ad sospitatoris et redemptoris notionem accedere, excogitarunt etiam hodierni inter nostrates theologi (vide R. C. Trench, Hulsean Lectures 1846 p. 40 et, quem citat, Buttmann. Mythologus I, p. 252 sqq.). In eo tamen Adamo dissimillimus, Christi autem simillimus reperitur Alcides, quod voluptatem aspernatur et generosis se laboribus et morti humani generis ergo addicit. Unde *Σωτὴρ* appellatur (Spanhem. de usu et pr. num. p. 418), et Pindarus eum ita alloquitur (Nem. VII, 9): *δύνασαι βροτοῖσιν ἀλκὰν ἀμαχανιᾶν δυσβάτων θαμὰ διδόμεν.*

Quae quum ita sint, dubium non est quid de intima nostri Fragmenti significatione censuerit Apostolus longe omnium doctis-

[1]) De hoc argumento vide Edgarum Quinet de la Fable de Prométhée considérée dans ses rapports avec le Christianisme (Revue des deux mondes tom. XIII, p. 337 sqq.).

simus. Nimirum reatus illius primitivi duplicem posuit materiem. Oritur enim tam e carnis concupiscentia, quae praesertim in sexuali appetitu versatur, quam e carnali arrogantia, quae Dei mandatis prorsus spretis et abjectis coelum oppugnare aggreditur et Deum aequiparare audet. Hic propria verbi significatione de machinis illis sive חִשְּׁבֹנוֹת loqui possumus, quibus, ut supra vidimus, homo nativam probitatem derelinquens viam sibi corrupit. Sed de peccato universo in carne depravata quaerendo fusius loquitur Apostolus in Epistola ad Romanenses c. VIII, ubi generalis sententia versiculo sexto continetur: *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος, τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη,* »studium *carnis* mors est, sed studium *spiritus* vita est et tranquillitas.« Atque idem Apostolus idem argumentum jam antea in Epistola ad Galatas (c. V) tractaverat, ostenderatque quam penitus inter se militent depravata illa *σάρξ,* et divinum homini a Deo inspiratum *πνεῦμα.* »Moneo autem«, inquit (v. 16), »ut *spiritu* (*πνεύματι*) ambuletis, et *concupiscentiam carnis* (*ἐπιθυμίαν σαρκὸς*) nullo modo amplius perficietis. *Caro* enim *concupiscit* (*ἡ σὰρξ ἐπιθυμεῖ*) adversus *spiritum, spiritus* autem adversus *carnem.* Haec utique invicem opponuntur, atque haec lucta vos impedit, quominus liberae voluntati obsequium praestetis.« Addit autem (v. 24): »qui Christi sunt *carnem* cum passione ejus et concupiscentia (*τὴν σάρκα σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις*) cruci fixerunt« — i. e. eandem quam Christus ipse ovationem celebrarunt. Quum ibidem fructus utriusque, tam *carnis* quam *spiritus,* dinumerat (vv. 19—23), propius etiam alludit ad arbores illas *discriminis* et *vitae* in deliciarum horto consitas, et quasi significat reditum ad amissam felicitatem, ad clausum illum Edenem, iis patere, qui per Christum ad spiritalem vitae fontem accessuri erant. Talibus enim, ut Psalmi XXXVI. auctor declaravit, potum praebebit Deus e flumine *deliciarum* Suarum (עֲדָנֶיךָ), quia

apud eum est fons *vitae* (חַיִּים), et in lumine ejus sempiternam lucem intuebimur (v. 9, 10).

Illud quoque observatu dignum est, quod prioris Fragmenti auctor pro carne, cui peccatum attribuit, cor humanum tanquam aliam rei ejusdem significationem posuit. Ait enim non modo *carnem* esse peccati materiem (Gen. VI, 3), verum etiam omne figmentum sive consilium, quod *cor* hominis meditatur, pravum esse (VI, 5), et omnem cogitationem *cordis* humani pravam esse inde a pueritia (VIII, 21). Atque Hebraeis quidem defuerunt voces, quibus humanae naturae trichotomiam accurate distinguerent. Itaque uno vocabulo לֵבָב, *cor,* non modo *ἐπιθυμίαν* vel *concupiscentiam* significabant, verum etiam *λόγον* vel *rationem,* haud aliter quam Romani (Cic. Tusc. Disp. I, 9), cordi tribuebant (1 Reg. X, 2), et eidem loco assignabant *θυμὸν* i. e. fortitudinem, voluntatem, et consilium agendi (1 Sam. XIV, 7. 2 Sam. VII, 27) [1]). Sed longe frequentior est vocis לֵבָב usus ad denotandum affectus, appetitus, variasque *τῆς ἐπιθυμίας* commotiones, quod cuivis innotescet, qui Lexicon Hebraicum vel Concordantiam inspexerit. Et vocabulum מַחֲשָׁבָה, quod radicem חָשַׁב continet et ejusdem prosapiae est ac חֶשְׁבּוֹן, de quo supra egimus, innuit potius turbidas illas, inquietas, et cupidas inferioris naturae machinationes et conatus, quam sedatam et solidam rationis deliberationem. Hoc est profecto *cor* illud, quod »pessimas cogitationes machinatur« (לֵב חֹרֵשׁ מַחְשְׁבוֹת אָוֶן) (Prov. VI, 18), hoc est *cor* illud quod »in unoquoque homine tortuosum est et insanabile« (עָקֹב הַלֵּב מִכֹּל וְאָנֻשׁ הוּא) (Jer. XVII, 9). Denique hoc est illud *cor,* de quo Dominus noster Jesus Christus solemni voce pronuntiavit: »ab intus de *corde* hominum malae cogitationes procedunt — adulteria, forni-

[1]) Apud Joannem Epist. I, 3, 20, 21 *καρδία* idem valet atque *συνείδησις* ea, quae accusat et defendit (Paul. Rom. II, 15) secundum *τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις.*

cationes, homicidia (et similia, quae enumerat); omnia haec prava (*πάντα ταῦτα τὰ πονηρὰ*) ab intus procedunt, et totum hominem coinquinant« (Marc. VII, 21—23).

Tali auctoritate freti confidenter asseveremus licet, omnem peccati et perniciei fontem et materiam in depravata carne vel corde hominis unice versari, i. e. in concupiscentia inferioris naturae, cui divinus animi nostri spiritus illigatur, quae cum ratione militat, et sponte sua propensior est ad peccatum. Hanc doctrinam e vetustissimis Pentateuchi fragmentis eruimus. Hanc proclamant Apostoli. Hanc Jesus ipse non obscuro oraculo, sed candide atque aperte, ut solitus est, pronuntiavit. Sed tamen inhaesit complurium theologorum animis, eorum praesertim qui doctrina ac judicio minus pollent, opinio quaedam, vel potius hallucinatio, peccatum ipsum et sollicitationes ad culpam non ex intimo homine profluere, sed aliunde et extrinsecus derivatas esse. Nam ponunt, fuisse, antèquam factus esset homo, sublimiorem quandam animalium ratione praeditorum gentem, quos *angelos* vocant; hos utique *creatos* esse, sed tamen *immortales*; incorporeos, sed concupiscentiae nescias quomodo obnoxios. Peccasse horum quosdam antequam homo peccaverit, et agmine facto a Deo descivisse. Dein perpetuo eos bello fatigare Deum ipsum, et quos fecerit homines. Horum principem Beelzebub, assumpto serpentis corpore, Evae persuasisse ut vetitum fructum comederet. Eundem ad hunc usque diem unicuique homini subjicere quodcunque malae cogitationis in mentes nostras se insinuet. Immo etiam Jesum Christum sollicitasse, ut officium suum exueret, et apostatae ac rebelli obedientiam voveret. Haec est illa doctrina, quam Joannes noster Miltonus ingenio suo commendavit, ne dicam consecravit; cui si infitias iveris sunt etiamnunc inter doctores nostros qui cerebrum sibi excuti putent. At enim vero, etsi concesseris reperiri posse nonnullos dubiae auctoritatis locos, translationes quasdam vel accommodationes

verborum, et parabolicas rerum enarrationes, quae huic sententiae quadamtenus favere videantur, contendas tamen necesse est eandem universo Scripturarum consilio, et apertissimis Christi Apostolorumque verbis perniciose repugnare. In tam perversi erroris originem et causas fusius inquirere, et monstrare ubi et quomodo auctores istius opinionis Sacrae Scripturae sensum male sint interpretati, non esset hujus loci et temporis. Satis erit, si rei totius summam brevissime profligavero. (1) In primis igitur ostendam, si natura hominis talis est, qualem describit Sacra Scriptura, et confirmat philosophia, quae vocatur, metaphysica, nullo pacto fieri posse, ut auctor atque agens, ratione praeditus, hominem ad scelus sollicitet aliter quam per sensus corporeos, quibus omnia percipimus. Jam vero, secundum Sacras litteras, homo est duplici natura concretus; constat enim terreno corpore i. e. *carne,* et divino *spiritu.* Utique, ut Thomas Browne, vir singulari ingenio, praedicabat (Religio Medici XXXIV), homo est solum atque unicum in hac terra *ἀμφίβιον.* Nihil igitur, nisi Deus ipse, se in divinum hominis spiritum immiscere et insinuare valet, ut vel cogitationes humanas intelligat vel novae quid cogitationis subjiciat. Id est Spiritus Sancti officium, nec cum alio, eoque maligno, Spiritu, si maligni Spiritus essent, communicari posset. Ergo Diabolus ille, quem perhibent, non agit statim atque immaterialiter in animam peccantis. Si autem affirmas eum membra et carnem hominis occupare, atque inde per appetitus in superiorem mentis sedem ascendere, illud est omnem personalem et rationalem naturam Diabolo abjudicare, et negare quidquam interesse inter ipsum et carnem humanam. Veluti quum D. Paulus, de infirmitate quadam sua scribens, *ἐδόθη μοι,* inquit, *σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος σατανᾶ, ἵνα με κολαφίζῃ* (2 Cor. XII, 7), patet eum, cum reliquis Judaeis, etiam morbos corporeos, quorum origo nondum innotuerat, ad spiritalem qualemcunque ma-

lignitatem rettulisse. Sed nihilosecius scimus nos omnia haec dumtaxat in nervis corporeis sedem suam obtinere. Si igitur haud quidquam interest inter Diabolum istum et carnem, persona sive essentia rationalis nulla est, quae nos vel per carnem vel per mentem vexat et sollicitat. Atque hac conclusione nulla apud Euclidem demonstratio certior est. (2) Deinceps probabo Sacram Scripturam disertis verbis docere, nullam aliam esse ad peccatum sollicitationem, praeter eam, quae vel in carne uniuscujusque hominis sita est, vel in mundo, qui carnalium constat hominum coetu, versatur. In oratione Dominica, auctore Jesu Christo, Deum precamur: »ne inducas nos in peccatum, sed libera nos a pravo illo« (*μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*). His verbis unam *ἐκ παραλλήλου* petitionem contineri docet oppositio per particulas *μή — ἀλλά*; nec temere omissa est altera clausula in quibusdam Lucae (XI, 4) Codicibus. Malim tamen staret, ut quae pleniorem explicationem inducat. Genitivos *τοῦ πονηροῦ* masculini generis esse testantur loci sequentes: Matth. XIII, 19, 38. Ephes. VI, 16; praesertim 2 Thess. III, 2, 3: *ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων .... Κύριος ὃς φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.* Quidquid autem *ὁ πονηρὸς* designat, ex loco ipso apparet in eo contineri fontem sollicitationis; ut auctor 2 Petr. II, 9 non immerito *ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι* posuerit pro *ῥύεσθαι ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.* Ille autem sollicitationis fons quis fuerit, certatim docent Sancti apostoli. Inter quos D. Paulus, ad Corinthios scribens, talem consolationem affert (1 Cor. X, 13, 14): »sollicitatio vos non aggressa est, nisi quae *humana* (*ἀνθρώπινος*) sit; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos sollicitari super id quod valetis, sed faciet cum sollicitatione etiam effugium, ut possitis eam sustinere.« Hinc concludamus necesse est, illecebras peccati ab ipso homine oriri; Deum autem subventurum, divini spiritus auxilium ministrantem.

Quum igitur Deum in oratione dominica precamur, ne nos in sollicitationem inducat, sed, quod contra est, nos a pravo illo liberet, desideramus sanctum illud auxilium quo adjuti inferioris naturae illecebras debellare queamus. Aoristi *εἰσενέγκῃς* et *ῥῦσαι* hic ut alibi rei cito transeuntis significationem continent. Non perpetuam igitur sollicitationem innuunt, sed quae de tempore in tempus oriatur. Precamur ergo ut, quotiescunque illae peccandi insidiae nobis struuntur, vi Divinae gratiae evadere atque exire possimus. Vix quisquam est, opinor, qui existimet verba *μὴ εἰσενέγκῃς* denotare actionem quandam Divinae potentiae. Valent potius »ne sine nos inferri« quam »ne inferas nos«, quod satis docuit Dominus ipse noster quum dormitantes discipulos monuit: »vigilate et precamini ne intretis in tentationem (*γρηγορεῖτε, καὶ προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν,* Matth. XXVI, 41). Deus quum in homine creando terrenum pulverem cum suo spiritu conjunxit, effecit ut spiritus ille carnali concupiscentiae esset obnoxius. Inde, ut cum scholasticis loquar, tentationem *potentialiter* in mundum induxit. Verum, ut dixit Origenes (ad Ps. XVII, 19): *εἰς πειρασμὸν οὐκ εἰσέρχεται οὐ τῷ μὴ πειρασθῆναι, ἀλλὰ τῷ μὴ ἁλῶναι ταῖς παγίσι τοῦ πειρασμοῦ* (cf. 2 Tim. II, 26). Quod ad futuram nostram felicitatem attinet, tentatio non est per se deprecanda; confirmat enim Jacobus in lucro deputandum esse si quis christianus in varias incidat tentationes (Jac. I, 1—4). Et Jesus ipse patrem suum pro discipulis precatus est: »non rogo ut tollas eos de *mundo,* sed ut serves eos a *pravo* illo« (*οὐκ ἐρωτῶ ἵνα ἄρῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ κόσμου, ἀλλὰ ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ,*' Joann. XVII, 15). Hic locus, per se maximi momenti, satis nos docet, quis sit ille *ὁ πονηρός,* vel ut alibi vocatur *ὁ πειράζων* (1 Thess. III, 5), vel *ὁ διάβολος* (Matth. IV, 1). Nam ipsa clausularum contentio ostendit *pravum* illum vel cum *mundo* aequiparari vel in *mundo* saltim conti-

neri [1]). Nempe is est ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων (Joann. XIV, 30 et al.), notio quaedam mundanae nequitiae, a materie sejuncta, sed persona donata; exemplar, species, et cogitatio rei, quae in omnibus versatur, sed sejuncta exsistere nequit. Nam quum mundus constet hominibus, qui concupiscentia reguntur, rex hujus mundi est ista concupiscentia. Hinc auctor 2 Petr. I, 5 lectores suos admonet ut vitent τὴν ἐν τῷ κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθοράν. Sed haec τοῦ κόσμου ἐπιθυμία est etiam ἐπιθυμία σαρκός (Gal. V, 16). Christianis igitur cum tricipite peccati cerbero dimicandum est *carne, mundo,* et *diabolo.* Quatenus haec nomina diversas peccati rationes ac modos designent, infra docebimus, quum ad decalogum explicandum accedimus. Hic satis est indicare quemadmodum tamquam tria capita uni culpae corpori injungantur. Has vero *carnalis, mundani,* et *diabolici* peccati illecebras in uniuscujusque hominis corde nasci testatus est Jesus ipse, in loco supra laudato (Marc. VII, 21—23) ubi τὰ πονηρὰ πάντα ex corde humano provenire docet; eandemque doctrinam exponit auctor locupletissimus, Jacobus ille Justus, qui Servatori nostro tam sanguine quam relligione maxime fuit cognatus [2]). Ait ille (I, 13): μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω ὅτι ἀπὸ θεοῦ πειράζομαι. ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα. ἕκαστος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος. εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν, ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον. En! omnes circumstantias, quae lapsum Adami comitabantur. (3) Sed pergo evincere So-

---

[1]) Cf. etiam 1 Joann. II, 13: νενικήκατε τὸν πονηρόν cum 1 Joann. V, 4: πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ θεοῦ νικᾷ τὸν κόσμον.

[2]) Jacobum, quum vocabula δαιμόνια (II, 19) et διάβολος (IV, 7) adhibet, carnalem tamen peccati originem intelligere constat ex III, 15, ubi conjunguntur tanquam praedicata idem significantia ἐπίγειος, ψυχική, δαιμονιώδης, atque ex IV, 7 cum Ephes. IV, 27. Rom. XII, 19 comparato.

spitatorem ipsum non aliis peccandi sollicitationibus obnoxium fuisse, quam quae e carne humana sponte sua profluunt. Illam in deserto tentationem nihil moror. Jesum enim hac narratione depinxisse, quam periculosis cum cogitationibus luctaretur, antequam ad docendi munus cum coelesti potentia conjunctum accessisset, quivis viderit [1]). Auctor autem Epistolae ad Hebraeos (IV, 15) diserte affirmat: *οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας.* Et si quis roget, quaenam sint istae *infirmitates* sive *ἀσθένειαι,* praesto adest Christi ipsius effatum (Matth. XXVI, 41): *τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής,* »spiritus quidem promptus est, *caro* autem *infirma.*« Ita enim locutus est Jesus in acerbissima tentationis hora, quum coepit contristari et maestus esse, et Patrem precabatur, si fieri posset, ut calix ille mortis a se transiret. Bene igitur D. Paulus (Rom. VIII, 3): *τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί.* Atque hanc cum peccato luctationem intra Christi animam gestam esse ostendit idem Apostolus sententia satis luculenta, quam omnes adhuc interpretes, quantum scio, male intellexerunt. Namque ita scripsit (Coloss. II, 15): *ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παρρησίᾳ θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ* (vel *ἐν ἑαυτῷ*). Si comparamus proximum ejusdem epistolae capitulum (III, 9, 10): *ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ, καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νεόν,* confiteamur necesse est vim *verbo vocis mediae* propriam

[1]) Hanc rei interpretationem amplexi sunt acerrimi Straussianae mythologiae oppugnatores Phileleutherus Anglicanus (Vindication of Protestant Principles p. 168—170) et Edgarus Quinet (Revue des deux Mondes vol. XVI. p. 613 sqq.).

ab Apostolo nec neglectam fuisse nec ignoratam; in nostro loco igitur ἀπεκδυσάμενος valet *exuens* vel *de se tanquam vestem deponens.* Ἀρχαὶ igitur et ἐξουσίαι, principes illi mundanae nequitiae et tenebrarum (Eph. VI, 12), duces libidinum illarum quae in nostris membris militant (Jac. IV, 1), Christo quoque tanquam venenata Nessi vestis adhaeserunt. Sed cuncta impedimenta exuit sublimis ille incontinentiae humanae cruce sua victor; appetitus inferioris naturae debellavit, subegit, triumpho duxit; et carnem illam mortiferam et mortalem rogo funereo ad cineres usque comburens, inde purus iterum ac perfectus homo ad coelestem et sempiternam gloriam evectus est. Sed dixerit fortasse quispiam, »Qui fieri potuit, ut Jesus peccabilem carnem exueret? Nonne χωρὶς ἁμαρτίας erat? Num falsus est iste Anglicanae tuae Ecclesiae articulus, qui declarat (Art. XV) 'Christus in nostrae naturae veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne tum in spiritu.'«? Tali interpellationi quid respondeam non alte petendum est. Nisi negamus, quod haereticorum esset, Jesum Christum ita naturam humanam assumpsisse »ut duae naturae, divina et humana, integre ac perfecte in unitate personae fuerint inseparabiliter conjunctae, ex quibus sit unus Christus, verus Deus et verus homo« (Artic. Angl. II.), concedamus necesse est eundem Jesum, quo hominem, molestis illis cogitationibus obnoxium fuisse, quae peccandi illecebras ministrant. Id quod declarant tentationes quas subiit. Quum tamen perfectus esset Deus, fieri non potuit quin omnem peccandi materiam sibi subjiceret. Ergo, ut loquuntur scholastici, *potentialiter peccabilis, actualiter impeccabilis* erat. »Verbum (λόγος)«, ut ait Joannes (I, 14), »*caro* factum est, et tabernaculum suum inter homines tetendit« (cf. 1 Tim. III, 16: ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκί), sed semper ea utebatur abstinentia, ut *carnem spiritui* subjiceret (Collect. Domin. I. quadrages.). In eo, ut in ceteris

hominibus, luctabantur *caro* et *spiritus* (1 Petr. III, 18), sed quum θεάνθρωπος esset, et »apparuit ut peccata tolleret«, victoriam facile reportavit, et »peccatum in eo non erat« (1 Joann. III, 5). (4) Denique superstitiosa haec opinio de externa peccati origine quam refutavimus non modo revelatae repugnat relligioni, verum etiam contra bonos in republica mores vim quandam exercet. In puerili disciplina liberos nostros commonemus, ut suos ipsorum appetitus gubernent, ut irae, gulae, libidinis dominationem recusent. Omnis puerorum disciplina sumit unumquemque suae virtutis tutandae reum esse, et debere damnum qualecunque praestare. Ubi autem esset illud officium, si concederemus non sua ipsius culpa peccare puerum, sed quia malitiosus daemon imbecillum atque immaturum animum ad suam perniciem seduxerit! Et quotiescunque hortamur puerum ut caveat ne a condiscipulis suis corrumpatur, meminerimus oportet quid Petro dixerit Jesus (Matth. XVI, 23): »Apage Satanas (i. e. tentator); scandalum mihi es, quia non sapis ea quae *Dei* sunt, sed ea quae sunt *hominum*.« Quinetiam in publica juris administratione nulla facinoris excusatio deterioris exempli est, quam si quis monomaniam quandam protendens se non animi compotem fuisse simulaverit, sed malo spiritu animatum ideo dumtaxat peccasse. Bene observavit Wetstenius (ad Matth. IV, 24. p. 281), de daemoniaca quae vocatur possessione disputans, »qui haec temere et sine probatione credit, quo jure condemnabit furem aut latronem habentem excusationem se neque sciente nec volente factum esse quicquam, sed diabolum callidis artibus corpus suum invasisse atque membrorum ministerio abusum fuisse? quod summam confusionem pareret, omnemque testimoniorum certitudinem ipsamque sensuum evidentiam eluderet.«

Valeat igitur, in perpetuum valeat, portentosa haec atque haeretica superstitio, hodierni Manichaeismi larva et terriculamentum, peccati sollicitationes non *ab intus* sed *ab extra* ho-

minem vexare — nos vero constanter retineamus sanam illam et salutarem doctrinam, quam in vetustissimis Jasharani libelli fragmentis invenimus, quam Jesus Christus verbis declaravit et exemplo vitae suae ac mortis perspicuam reddidit, quam primi Apostoli confirmaverunt, quam denique Ecclesia nostra Anglicana in nono articulo presse ac praecise exposuit — peccatum originis esse vitium et depravationem naturae cujuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fiat ut *caro* semper adversus *spiritum* concupiscat, atque ut affectus *carnis* (*φρόνημα σαρκός*) legi Dei non subjiciatur; quae quidem *concupiscentia,* etiam in Christiano homine, peccati in sese rationem semper sit habitura.

Ceterum, ut conclusa sit alterius Fragmenti enarratio, consideremus ea, quae de exsilio protoplastorum commemorantur. Omnes homines ejusdem prosapiae esse, atque ad unam domum et patriam referendos, quinetiam Armeniam fuisse primam nostri generis sedem ac domicilium, equidem et ante mihi videor satis demonstrasse (New Cratylus § 64). Quattuor illa Edenis flumina, quae in Gen. II, 10 sqq. enumerantur, quaeque ex una aquarum colluvie (hoc est, e mari Caspio), manantia vel in eam exeuntia in quattuor capita findebantur, sine dubio spectant ad fluvios *Volgam* (פִּישׁוֹן) et *Oxum* (גִּיחוֹן), qui decurrentes, ille ab auriferis Chavilae vel Arimasporum regionibus, hic ab septentrionalibus Indiae partibus, in Caspium influunt, et ad fluvios *Tigridem* (חִדֶּקֶל) et *Euphratem* (פְּרָת), qui in montibus Armeniae oriuntur et quos vetus ille geographus cum Araxe et Amardo in idem Caspium exeuntes facile potuit confundere. At enim vero scriba ille Masorethicus, quum de humani generis origine loquendum esset, non modo antiquissimas easdemque verissimas historiae traditiones collegit, sed eas pro more suo cum relligiosa Jasharani libri poesi commiscuit. Ita mysticum illum Edenem vel deliciarum hortum, qui nonnisi sanae ac piae

mentis fruitionem denotat, in geographica illa Armenia collocavit, nec lapsi hominis ab arbore immortalitatis exsilium potuit a necessaria celebrioris jam et frequentioris populi migratione discernere. Verum enim vero ethnica illa primaevae sedis et cunabulorum derelictio nullam culpae significationem prae se ferebat, sed potius antiquissimum Dei consilium ad effectum conduxit. Id enim principio voluit, ut homines terram implerent (Gen. 1, 28). Nec Judaeis ceterisque mundi incolis unquam vetitum est, ne in Armeniam redirent. Contra autem satis ostendunt hieroglyphicae illae Cheruborum vigiliae, quibus omnis ad immortalitatis arborem aditus intercludebatur, hanc protoplastorum ex Edene expulsionem relligiosam saltim significationem in se admittere — nempe, parentes humani generis, propter contumaciam suam, spem illam, qua se lactaverant, immortalitatis et similitudinis cum Deo consequendae miseros misere amisisse, neque eam recuperaturos esse, nisi si quis novum ad arborem vitae aditum aperiret. Operae pretium erit nonnulla de hieroglyphico vetiti horti praesidio discutere.

Constat antiquas orientis nationes, qua erant purae ac putae cogitationis impatientia, vel majora coeli lumina Deorum loco coluisse, vel saltim minora astra ceterasque, quae sub aspectum aliosque sensus cadunt, naturae potestates et phaenomena summo numini tanquam satellites ac ministros adjunxisse. Israelitae, qui a polytheismo et idololatria, quantum fieri poterat, abhorrebant, hunc tamen vel cultum vel symbolicam materiem semper in vicinia sua et quasi ob oculos habebant. Aegyptios viderant, qui Solem vel *Ra* summo Deorum ordini adscribebant, et eandem adorationem in Palaestina quoque valuisse ostendunt plura oppida, quibus nomen *Beth-Shemesh* i. e. »domicilium solis« vel *Ir-Shemesh* i. e. »urbs solis« (*Ἡλιόπολις*) inditum est (1 Sam. VI, 15. Jos. XIX, 22, 38, 41). Quamquam Israelitae, non universi saltim, in hunc cultum declinabant, tamen ut plu-

rimum coelestia lumina non absimili designatione compellabant. Quum enim stellas in polo micantes intuebantur tanquam

λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντας αἰθέρι,

illico cogitatione sibi imaginem confingebant exercitus sive chori, qui Jehovae mandata exsequeretur vel ejus laudes caneret. Hinc in ipsa creationis historia legimus Deum confecisse coelum et terram et totum *exercitum* eorum (וְכָל־צְבָאָם, Gen. II, 1). Jacobus mane surgens, ut susceptum iter perageret, in stellatum coelum suspiciens, »haec sunt castra Dei«, inquit, »locumque *duo castra* (מַחֲנָיִם) vocavit (Gen. XXXII, 3). Hinc propheta fingit se videre Jehovam in solio sedentem, et *totum coeli exercitum* (וְכָל־צְבָא הַשָּׁמַיִם) stantem a dextra et sinistra (1 Reg. XXII, 19). Hinc Deus in libro Jobi (XXXVIII, 7) de sua mundi creatione loquens ait: »quum me laudabant simul astra matutina, et jubilabant omnes filii Dei [1]).« Quocum conferas visionem Jesaiae (VI, 1 sqq.), qui triplicem divini numinis salutationem apparitoribus illis, qui vel ferebant vel stipabant Jehovae thronum, committendam censet. Pertinent haec omnia ad invisibilem Dei majestatem symbolis, quae cerni possint, significandam. Quum autem potestatem illam, quam Deus in mundum exercet, declarare vellent, ad ea superna phaenomena confugiebant, quae terram propius attingunt. Ita nubes, vento agitatae, quasi curru

---

1) Nihil aliud significare hymnum ecclesiae *Te Deum* et *Trisagium* Eucharistiae, quam omnes coeli potestates Deo jubilantes acclamare, satis docet initium Psalmi XIX:

Coelum enarrat gloriam Dei,
Annunciat aether opus ejus.
Id quaelibet dies commemorat,
Id quaelibet nox loquitur.
Nulla est lingua, nulla dialectus
In qua non audiuntur illa elogia.
Per totum terrarum orbem sese diffundit eorum sonus,
Ad extremos universi fines pervadit eorum sermo.

quodam ab alatis ministris sustentato, sublimem Coeli Regem portare videbantur. Psaltes itaque (CIV, 3) ait Jehovam »*nubibus* pro *curru* uti et *ventorum* alis incedere.« Nubes enim, quae qualemcunque animalis formam induunt (*γίγνονται πάνθ' ὅτι βούλονται* Aristoph. Nub. 348. cf. Shaksper. Hamlet Act III. sc. 2), optime accommodatae sunt ad vivos Dei ministros repraesentandos; quin etiamdum exstat poema Sanscritum, cui titulus inscribitur *Megha-dûta* i. e. *nubes nuntia,* cui exsul quidam spiritus, tanquam multiformi Indrae amico, mandata ad uxorem suam deferenda committit. Hebraeis autem nubes potius currum Dei, et divinae majestatis tabernaculum indicabant, quam ministros illos vel apparitores, qui jussa ejus exsequebantur, quos ipsi מַלְאָכִים, nos autem nomine a Persis per Graecos derivato (vide doctam M. H. Leducquii dissertationem in the transactions of the Philological society of London vol. VI. no. 132), *angelos* appellamus. Hosce *angelos* nihil esse nisi *ventos* atque *ignem fulmineum,* qui cum nubibus tam intimam societatem habent, qui autem tantas in terram vires exercent, demonstrat locus classicus Psalmi CIV, 4. ubi legimus: »Deum sibi constituere *ventos* tanquam *angelos* suos, et *flammas igneas* tanquam ministros suos.« Et quum *arcus pluvius* sive *Iris* sit quasi pons inter coelum et terram, quem Deus secundum Hebraeos *in nube* posuit (Gen. IX, 13), quem Graeci quoque tanquam coeli et terrae internuncium fingebant, mirum non est quod hoc arcu quasi ad coelestem Dei aulam (i. e. *Bethel*) aditum patere existimabant Israelitae, quo, tanquam scala terrae innixa sed quae ad coelum usque pertingeret, Dei ministros perpetuo ascendentes et descendentes cogitabant (Gen. XXVIII, 12). Quum igitur primitus Judaei pro angelis illis et ministris Dei, non personas quasdam vita ac ratione praeditas, — cui opinioni repugnat etiam ipsa vocabuli מַלְאָךְ forma; »neque enim ullum nomen, cui *Mem* praefixum est, vim personae innatam habet, sed per translationem abstracti in concre-

tum mutuatur» (Fuerst, Concord. p. 581); — sed *ventos* et *fulmina* ponerent, hanc duorum elementorum Deo inservientem violentiam atque impetum propriis nominibus distinguebant. *Ventos* utique *Cherubos* (כְּרוּבִים) appellabant, *fulmina* autem *Seraphos* (שְׂרָפִים). Utraque designatio ad rem ipsam significandam accommodatissima est. Ac nomen כְּרוּב ventum designare demonstrat partim locus ille Psalmi (CIV, 3) quo significatur »Deum *nubibus* pro *curru* uti, et *ventorum* alis incedere«; nam ubique Cherubi Dei currum et solium sustentant (cf. e. gr. Ps. XCIX, 1); partim alius loci epexegesis, ubi legimus (Ps. XVIII, 11; 2 Sam. XXII, 11):

Vectus est *Cherubo* et volabat,
Volabat scilicet super alis *venti*.

Ipsa vocis כְּרוּב etymologia cum hac significatione mirum in modum congruit. Nam radix Sanscrita *grabh*, Gr. *ἁρπ-άζω*, Lat. *rap-io*, Goth. *greip-an*, quae non modo in hoc vocabulo, sed etiam in synonymis *γρύπ-ς, κέρβ-ερος, ἅρπ-υια* occurrit, optime describit vim venti *rapidam* atque omnia secum *rapientem*[1]). Deinde omnes Hebraistae sciunt, vocem שְׂרָפִים radicem שָׂרַף continere, quae nihil aliud designat nisi *urere* vel *comburere* vel *veneno interimere*. Quinetiam שָׂרָף est *serpens venenosus*, quem Graeci *πρηστῆρα* vocant (ut in versione LXX. Veneta Num. XXI, 6). Sed eadem Graeca vox denotat etiam *fulmineum turbinem* vel *crassiorem fulminis ictum*; ut Aristoteles nobis auctor est (de mundo, c. 4): *τὸ ἄστραψαν, ἀναπυρωθὲν βιαίως, ἄχρι τῆς γῆς διεκθέον, κεραυνὸς καλεῖται· ἐὰν δὲ ἡμιπύρωτον ᾖ, σφοδρὸν δὲ ἄλλως καὶ ἀθρόον, πρηστήρ*. Hinc strages a fulmine patrata *πρηστῆρι* attribuitur; Xen. Hell. I, 3 § 1: *ὁ ναὸς ἐνεπρήσθη πρηστῆρος ἐμπε-*

[1]) Cf. Plaut. Menaechm. prol. 64.
Ingressus fluvium *rapidum* ab urbe haud longule;
Rapidus raptori pueri is subduxit pedes.

σόντος. Talem fulminis impetum sub alati serpentis imagine depingi posse, noverunt ii, qui Graecos poetas lectitant, apud quos fulmen est *βέλος κεραυνοῦ,* aliquando ab aquila portatum, aliquando suis ipsius alis volans, serpens autem alatus vivida imagine tale *βέλος* repraesentat, ut apud Aeschylum in Eumen. 181: *πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν, χρυσηλατοῦ θώμιγγος ἐξορμώμενον.* At vero ventus ille et ignis, qui divinam majestatem stipant ac mandata ejus exsequuntur, iidem omnem mortalibus aditum ad augustam ipsius praesentiam intercludunt. Hinc apud gentes orientales haec symbola, quae variis, idem significantibus, si non ejusdem prosapiae vocabulis, כְּרוּבִים, *κέρβ-ερος, γρῦπες, σφίγγες,* fortasse apud Aegyptios *kerabu* (Quarterly Review no. 154. p. 166), designantur, operta, mystica, arcana omnia custodiunt, thesauros, templa, sepulcra, regias, domos inferorum, palatia coeli (vide Rosenmueller. ad Exod. XXV, 18). Et quum sacerdotes, jure quodam suo, ad sanctissimum templi recessum penetrare audeant, facile intelligimus cur in Assyriis Layardi monumentis homines sacerdotum habitu, est ubi aquilino capite, ad sublimes animi nisus significandos, vi et armis per obstantes Cherubos viam sibi aperiant, et nonnunquam custodes devictos ac triumphatos ostentent.

Quae quum ita sint, nullus dubitationi relinquitur locus, quum ad ultimum fragmenti nostri comma accedimus. Ne protoplasti ad deliciarum hortum, unde expulsi atque exturbati erant, in posterum redirent, Deus collocavit in ipso aditu: אֶת־הַכְּרֻבִים וְאֵת לַהַט הַחֶרֶב הַמִּתְהַפֶּכֶת, *Cherubos et flammam ensis continuo micantis et se usquequaque vertentis,* quod significat aut Cherubos illos *γρῦπας πυρπνέοντας* fuisse, quod Graecam potius quam Semiticam phantasiam saperet, aut *Cherubis* illis *Seraphos* etiam junctos esse, quod propterea magis placet, quia epitheton הַמִּתְהַפֶּכֶת tam apte describit versatilem Seraphici serpentis, turbinis, et fulminis motionem, et quia radix

לַהַט ad ministrum Dei significandum usurpatur (Ps. CIV, 4). Quales quum essent Paradisi amissi custodes, nemo putaverit eos protoplastis hominibus in Armeniam vel aliam qualemcunque Tessaropotamiam reditum interdicere, sed potius omnes mortales prohibere, quominus aureis sempiternae vitae pomis potirentur, donec divinus ille Redemptor atque Sospitator veniret, qui ad Inferos descendit ut morti stimulum suum detraheret (1 Cor. XV, 56), qui in coelum ascendit, ut immortalitatis dona reportaret (Eph. IV, 8) fratribus suis, scilicet omnibus ubique hominibus, qui *vigilantes,* ne incuria concupiscentiae suae cedant, et *precantes* ut coelesti Paracleti gratia fruantur (Eph. VI, 18. coll. Matth. XXVI, 41), *carnem spiritui* subjecerunt, et veterem Adamum cum facinoribus ausi sunt exuere (Col. III, 9).

PARS SECUNDA.

Abramidae, tanquam *probi* (יְשָׁרִים), adoptantur in filios Dei; rejiciuntur vicinae gentes; atque ita Ecclesia Jasharana novis usque limitationibus definitur.

FRAGMENTUM PRIMUM.

Rejiciuntur Hamitae et Canaanitae; et prima limitatione ecclesia Jasharana in stirpe Semitica constituitur.

Gen. IX, 18-27.
[18] [Adamus (i. e. homo) postquam ex Edene] egressus est,
tres habuit filios, Shemum,
Chamum et Japetum,
Chamus autem Canaani pater fuit.
[19] Horum progenies per totum orbem diffusa est.
[20] Et agriculturam auspicabatur [Adamus i. e. homo], et
plantavit vitem.
[21] Bibensque vinum inebriatus est,
Et nudatus jacuit in tabernaculo.
[22] Quum igitur Chamus vidisset patris sui pudenda [is
arcessivit Canaanum],
[Canaanus autem] fratribus duobus [patris sui] foras id
renunciavit;

Gen. IX. [23] At vero Shemus et Japetus pallium suis humeris imposuerunt;
Quo retro cedentes texerunt patris sui verenda.
Et quoniam aversi erant eorum vultus,
Patris sui verenda non viderunt.
[24] Ergo, quum [Adamus i. e. homo] vinum edormiisset
Et certior factus esset, quid in ipsum commisisset nepos suus,
[25] Sic effatus est: »Sacer sit Canaanus,
Servus servorum sit fratribus suis.
[26] Laudetur Jehova Deus Shemi;
[27] Deus fortunet Japetum,
Et habitet in tabernaculis Shemi;
Canaanus vero sit eorum servus.«

FRAGMENTUM SECUNDUM.

Rejiciuntur Kinnaei aliaeque gentes Semiticae stirpis, et secunda limitatione ecclesia Jasharana in gente Abrahamidarum constituitur.

[Et Shemus genuit duos filios,
Gen. IV, 2-8. [2] Qainum natu majorem] et Habelum fratrem ejus.
Et fuit Habelus quidem opilio,
Qainus autem agricola.
[3] Itaque sub finem anni
Obtulit Qainus de frugibus terrae oblationem Jehovae;
[4] Habelus quoque obtulit de primogenitis pecudum suarum et de earum adipe.
Et respexit Deus ad Habelum et oblationem ejus;
[5] Ad Qainum autem ejusque oblationem non respexit.
Quare Qaino vehemens ira incanduit et vultus ejus concidit.

Gen. IV. [6] Ibi tum Jehova ita Qainum allocutus est:
»Quamobrem ira tibi incanduit conciditque vultus tuus?
[7] Nonne si recte feceris, illa est exaltatio?
Sin minus, ad peccati fores recumbis.«
[Habelo autem dixit Jehova:
[Gen. XXII, 15] »Quoniam fecisti hanc rem, et in me credidisti,
[Gen. XV, 7] Ecce reputavi id tibi ad justitiam.
[Gen. XXVII, 29] Inde magister eris fratris tui]
[7] Et sub te erit appetitus ejus
Tuque in eum dominaberis.«
Gen. IV, 8-16. [8] Dixitque Qainus Habelo fratri suo: »Eamus in agrum.«
Quum igitur rure essent,
Qainus Habelum fratrem suum aggressus est atque interfecit.
[9] Tum Jehova Qaino inclamavit:
»Ubi est Habelus frater tuus?«
Ille vero, »Nescio,« inquit; »num custos fratris mei ego sum?«
[10] Jehova autem dixit: »Quid patrasti?
Vox fraterni sanguinis ad me de terra queritur!
[11] Jam vero ipsi terrae detestabilis eris
Quae ad recipiendum fratris tui sanguinem a tuis manibus os suum aperuit.
[12] Quando terram coles non ut ante virtutem suam impertiet.
Quinetiam extorris eris et vagabundus in hoc orbe.«
[13] Respondit Qainus Jehovae: »Majus est scelus meum, quam quod condonari possit!
[14] En! expellis me hodie ex hac regione!
A tua quoque praesentia exturbatus sum!
Et extorris vagabundusque per terras errabo!
Unde futurum est, ut quicunque in me incidat, interficiat.«

Gen. IV. [15] Jehova autem »Haud ita!« inquit.
»Quicunque Qainum interfecerit septupli poenam subibit.«
Tum imposuit Jehova Qaino notam,
Ne eum interficeret, quicunque in eum incidisset.
[16] Et expulsus est Qainus e praesentia Jehovae.

FRAGMENTUM TERTIUM.

Rejiciuntur Hagareni ceterique Arabes, et tertia limitatione ecclesia Jasharana in familia Isaacidarum constituitur.

[Et Abrahamus, filius Habeli, cognatam sibi mulierem, Saram, matrimonio duxit.]
Gen. XVI, 1-4. [1] Sed Sara, uxor Abrahami ei non peperit;
Habebat autem ancillam Aegyptiam, Hagaram nomine;
[2] Dixitque marito suo: »Ecce! occlusit me Jehova ne pariam;
Ingredere, quaeso, ad ancillam meam,
Si forte per eam possim liberos suscipere.«
Tum Sarae dicto obsecutus est Abrahamus.
[3] Ergo sumsit Sara, Abrahami uxor, Hagaram, ancillam suam Aegyptiam,
Deditque eam viro suo, ut esset ei in uxorem.
[4] Is vero ingressus est ad eam, quae gravida facta est.
Peperitque Hagara Abrahamo filium,
Gen. XVI, 15, 16. [15] Et vocavit Abrahamus filium, quem pepererat Hagara, *Ishmaelum.*
[16] Sextum vero et octogesimum annum agebat Abrahamus, quum ei Ishmaelus nasceretur.

Gen. XVII, 1-8. [1] Quum vero Abrahamus annum agebat undecentesimum
Apparuit ei Jehova, dixitque: »Ego sum Deus Omnipotens!
Si me colis et bonos mores sequeris,
[2] Foedus tecum paciscar, teque mirum in modum multiplicabo.«
[3] Ibi tum Abrahamus pronus in faciem cecidit.
Deus vero sic dicere pergebat:
[4] »Ecce equidem foedus tecum faciam!
Pater eris multarum gentium.
[5] Non amplius *Abramus* sed *Abrahamus* vocaberis,
Quoniam patrem te complurium gentium constitui.
[6] Valde autem te augebo, faciam te populorum parentem,
Regesque ex te egredientur.
[7] Foedus autem tecum inibo et cum posteris tuis in perpetuum;
Ut sim Deus tuus et seminis post te tui.
[8] Et dabo tibi et posteris tuis terram, in qua jam peregrinaris —
Scilicet, totam terram Canaanaeam, in perpetuum possidendam,
Dummodo me ut Deum suum venerentur.«
Gen. XV, 6. Tum credidit Deo Abrahamus, et reputatum est illi ad justitiam.
Gen. XVII, 9-16. [9] Porro dixit Deus Abrahamo:
»Servatote semper tu et posteri tui foedus meum.
[10] Hoc est pactum meum, inter me et vos observandum.
Omnes inter vos mares circumcidentur.
[11] Circumcidetis autem praeputia vestra.
Id erit signum foederis inter me et vos.
[12] Circumcidentur in perpetuum octavo die mares liberi;
Circumcidetur etiam is, qui non est vestrae stirpis,

Qui vel domi tuae natus fuerit, vel emptitius.

Gen. XVII. [13] Ita signum foederis mei in carne vestra semper manebit.

[14] Praeputiatus vero mas, cujus caro praeputii circumcisa non fuerit,

Is utique excommunicabitur, ut qui foedus meum violaverit.«

[15] Dixit quoque Deus Abrahamo:

»*Sarai* uxorem tuam non amplius *Sarai* sed *Saram* vocabis,

[16] Et benedicam ei, daboque tibi ex illa filium;

Mater erit ea nationum,

Ex ea reges populorum orientur.«

Gen. XVII, 18-26. [18] Tum Deo dixit Abrahamus:

»Utinam Ishmaelus vivat coram te!«

Deus autem respondit:

[19] »Sara profecto uxor tua pariet tibi filium,

Vocabisque nomen ejus *Isaac*,

Et constituam pactum meum cum eo in aeternum

Et cum iis qui ex eo nascentur.

[20] Quod ad Ishmaelum attinet, exaudivi te.

Ecce benedicam ei, et augebo, multiplicaboque eum quam plurimum.

Duodecim principes generabit,

Et magna natio ex eo fiet.

[21] Foedus vero meum cum Isaaco erit,

Quem tibi Sara ad hoc tempus in anno proximo pariet.«

[22] Quum haec ad finem dixisset Deus, ab Abrahamo ascendit.

[23] Abrahamus autem cepit Ishmaelum filium suum,

Omnesque domi suae natos et pretio emptos,

Cunctos mares domus suae,

Et circumcidit praeputia ipsorum

Eo ipso die, quo id Deus praeceperat.
Gen. XVII. [24] Abrahamus vero annum agebat undecentesimum, quum se circumcidit,
[25] Ishmaelus autem annum tertium decimum.
[26] Eodem die circumcisi sunt Abrahamus et Ishmaelus,
Omnes servi ejus sive vernaculi sive empti a peregrinis.
Gen. XXI, 1-14. [1] Visitavit autem Jehova Saram sicut promiserat,
Et implevit, quae locutus erat.
[2] Concepitque ac peperit filium Abrahamo in senectute ejus
Eo tempore quo Deus praedixerat.
[3] Vocavitque Abrahamus nomen filii, quem ei pepererat Sara, *Isaac.*
[4] Atque eum octavo die, quemadmodum Deus praeceperat, circumcidit.
[5] Compleverat vero Abrahamus annum centesimum aetatis suae,
Quum ei nasceretur Isaacus filius.
[6] Tum dixit Sara: »Laetitiam mihi praebuit Deus.
Quicunque enim audierit, mecum laetabitur.«
[7] Rursumque ait: »Quis unquam Abrahamo dixisset,
Saram filios lactaturam esse?
Attamen ei seni filium peperi.«
[8] Deinde quum crevit puer et ablactatus est,
Abrahamus eo die quo ablactatus est, magnum convivium paravit.
[9] Ibi tum Sara Aegyptiacae Hagarae filium ludificantem vidit,
[10] Dixitque Abrahamo: »Ejice ancillam hanc et filium ejus.
Neque enim haeres erit cum Isaaco filio meo istius ancillae filius.«
[11] Illud vero Abrahamo valde displicuit propter filium suum.

Gen. XXI. [12] Deus autem Abrahamo dixit:
»Ne tibi displiceat propter puerum et ancillam.
In omnibus, quae dixit tibi Sara, audi vocem ejus;
Nam in Isaaco tibi vocabitur progenies.
[13] Sed filium quoque ancillae, quoniam tua est proles, gentis auctorem efficiam.«
[14] Itaque surrexit Abrahamus postridie mane,
Et panem utremque aquae Hagarae humeris imposuit;
Tum tradito puero dimisit eam.
Gen. XXI, 20, 21. [20] At Deus favit Ishmaelo, isque adolevit.
Et habitabat in solitudine factusque est juvenis sagittarius.
[21] Vixit vero in deserto Pharanis,
Et mater ei uxorem duxit Aegyptiam.

FRAGMENTUM QUARTUM.

Rejiciuntur Edomitae, et postrema limitatione Ecclesia Jasharana in domo Jacobi sive Israelis constituitur, cujus tamen inter filios quartus praecipuo honore evehitur.

[Isaacus autem Rebeccam, patris matrisque affinem, matrimonio duxit.]
Gen. XXV, 21-25. [21] Et Isaacus Jehovam obnixe precatus est pro uxore sua, quia sterilis esset.
Jehova autem precibus ejus flectebatur et conceptum Rebeccae dedit.
[22] Sed collidebant se filii in utero ejus.
Quae ait: »Si tale quid accidit, curnam ego gravida sum?«
Itaque ibat ad consultandum Jehovam;

Gen. XXV. [23] Jehova autem sic illi respondit:
»Duae gentes sunt in utero tuo;
Et duae nationes ex visceribus tuis dividentur;
Quarum natione natio valentior erit,
Et major serviet minori.«
[24] Quum impleti essent dies ejus pariendi
Ecce! gemini in utero ejus reperti sunt.
[25] Qui prior egressus est *Esavus* vocabatur;
Qui autem sequebatur, *Jacobus*.
Gen. XXV, 27-30. [27] Quibus adultis, factus est Esavus vir venandi peritus;
Jacobus vero vir fuit placidis moribus, et vivebat in tabernaculis.
[28] Et Isaacus quidem Esavum, cujus venationibus vesceretur, diligebat;
Rebecca autem amabat Jacobum.
[29] Ceterum coxerat Jacobus aliquando pulmentum,
Quum Esavus venando lassus adveniret,
[30] Tum hic »Praebe mihi«, inquit »de rufo hoc pulmento,
Nam lassitudine confectus sum.«
[31] Jacobus autem ingerit: »Vende mihi statim jus tui primogeniti.«
[32] Cui Esavus respondit: »En! ego mortis periculo implicor.
Quid mihi prosunt praerogativae istae?«
[33] Tum Jacobus: »Jura mihi hodie«; et ille juravit.
[34] Quod quum fecisset, dedit ei Jacobus panem et pultem rufam;
Ille vero quum edisset ac bibisset, surgens abiit,
Et sprevit Esavus primogenituram suam.
Gen. XXVII, 1-10. [1] Verum enimvero quum Isaacus senesceret oculique ejus caligarent,
Vocavit filium suum natu majorem Esavum, et dixit:

Gen. XXVII. [2] »Vides, mi fili, me senem esse, et ad incognitum vitae diem properare.
[3] Sume igitur arma tua, pharetram et arcum,
Et venare mihi carnem ferinam,
[4] E qua quum ferculum illud, quo delector, paraveris,
Appone mihi ut edam, tibique, antequam moriar, benedicam.«
[5] Rebecca vero audivit ea, quae maritus suus Esavo praeceperat;
Quum igitur is ad venandum exiisset,
[6] Jacobum de ea re certiorem fecit.
[8] »Tu vero, mi fili«, inquit, »audi atque obedi:
[9] Ad gregem abiens arcesse mihi inde duos eosque pingues haedos.
Ex his autem patri tuo ferculum istud, quo delectatur, parabo.
[10] Hoc ei appones, ut tibi antequam moriatur bene dicat.«
Jacobus igitur matri attulit, quae jusserat;
Gen. XXVII, 14. [14] Illa vero ferculum paravit, quo Isaacus delectabatur.
18-20. [18] Quum autem ad patrem accessisset Jacobus, eumque paterno nomine compellasset,
Ille quidem interrogavit: »Quis tu es, mi fili!«
[19] Respondet Jacobus: »Ego sum primogenitus tuus;
Feci autem sicut mihi praecepisti.
Agedum, sede, et comede de ferina mea,
Ut ex corde mihi benedicas.«
[20] Porro Isaacus rogavit: »Quomodo tam cito nactus es praedam, mi fili?«
Cui ille: »Quia mihi in manum adduceret Jehova Deus tuus.«
[25] Tum pater: »Affer mihi«, inquit, »ut comedam ferinam tuam,

Atque ut benedicam tibi ex corde meo.«
Gen. XXVII. [26] Obtulit ergo ferinam, et comedit pater;
Obtulit quoque vinum, et pater bibit.
Quibus sumptis, Isaacus jussit Jacobum accedere et se osculari.
[27] Dein Isaacus, simulac sensit odorem vestium, Jacobo benedixit his verbis:
»Ecce! odor filii mei est sicut odor agri felicis, cui benedixit Jehova.
[28] Det tibi Deus e rore coeli et terrae pinguedine,
Et frumenti et vini copiam ingentem.
[29] Serviant tibi gentes, adorent te populi;
Dominus sis fratrum tuorum, filii matris tuae inflexo te corpore venerentur.
Qui te maledixerit, is sit maledictus:
Qui tibi bene precatur, is fausta omnia ac felicia habeat.«
[30] Vix finem fecerat Isaacus, Jacobus autem egressus est fores,
[31] Quum Esavus venit a venatione, et parat ipse quoque cibos,
Quos patri obtulit dicens: »Agedum, comede de venatione filii tui,
Ut ex corde mihi benedicas.«
[32] Isaacus autem: »Quis enim tu es?« inquit.
Ille vero: »Equidem filius sum tuus primogenitus.«
[33] Tum Isaacus perterritus ultra quam credi potest,
»Quis igitur fuit venator ille«, exclamat, »qui mihi ferinam obtulit,
Quam quum edissem antequam tu venires,
Benedixi illi, et procul dubio is beatus erit.«
[34] His auditis Esavus ingentem ejulatum sustulit
Et lacrymans fatur: »Mihi quoque benedic, mi pater.«

Gen. XXVII. [35] Ille autem: »Astute frater tuus benedictionem tibi destinatam praeripuit.«

[36] Ibi exclamat Esavus: »Recte igitur iste vocatur Jacobus i. e. *supplantator,*

Qui me jam bis supplantaverit.

Primum mihi aetatis praerogativas eripuit:

Jam vero secundo benedictionem meam intercepit.«

Tum ad patrem conversus: »Nullamne«, inquit, »mihi quoque benedictionem reservasti?«

[37] Respondit Isaacus: »Dominationem ei in te dedi,

Omnesque fratres ejus ei subjeci.

Tritico et mulso eum suffulsi.

Tibi ergo quid jam facere possum, mi fili?«

[38] Cui Esavus: »Num dumtaxat unam«, inquit, »benedictionem habes, mi pater?

Mihi quoque bene precare.« Simul denuo lacrymatur.

[39] His motus sic infit Isaacus:

»Ecce! pinguedo terrae, e coelo largiter rorata, erit habitatio tua.

[40] Gladio tuo vives, attamen fratri tuo servies.

Sed tempus veniet, quum reluctatus jugum ejus e collo tuo excutias.«

[Tum Esavus factus est Kinnaeus i. e. אִישׁ קַיִן = vir hastae,

Et vocatus est, non, ut ante, »Esavus filius Isaaci«,

Gen. IV, 18. Sed »Lamechus Methushelachi filius«, vocatus est.

Ille igitur, quum patris consuetudine descivisset,

Gen. IV, 19; XXVI, 34; XXXVI, 2. Duxit uxores *Adam,* filiam Elonis Chittaei, quae et *Juditha* nuncupabatur,

Et *Tsillam,* filiam Anae Chivvaei, quam etiam *Oholibamam* appellabant.

Quum igitur gladium atque hastam nactus esset,

Sic jactabundus uxoribus suis cecinit]:

Gen. IV, 23, 24. [23] »Ada et Tsilla, audite vocem meam,
Uxores Lamechi, attendite meo sermoni.
[24] Virum quidem propter vulnus, puerum autem propter vibicem statim occidam.
Nam si Kinnaeus septies est ulciscendus,
In Lamecho id fiet septuagies septies.«

Gen. XXXVI, 8. [Ergo Lamechus, qui Esavus est, in monte Seir habitabat inter Kinnaeos et Hagarenos,
Vi et armis et praeda victum quaeritans;]

Gen. XXVIII, 9. Ibi praeter uxores, quas jam habebat, etiam Machalatham in matrimonium duxit,
Quae filia fuit Ishmaeli, filii Abrahami, sororque Nebaiothi.

Gen. XXVI, 35. Hae autem nuptiae Isaaco ac Rebeccae dolori acerbo fuerunt.

Gen. XXVII, 46. Rebecca vero Isaaco dixit: »Taedet me vitae meae propter istas Chittaeorum filias.
Si Jacobus quoque uxorem his similem ex illa regione duxerit, nolo vivere.«

Gen. XXVIII, 1-4. [1] Arcessivit igitur Isaacus Jacobum, eique benedixit;
Praecepitque his verbis: »Ne accipias conditionem e terra Canaanaea,
[2] Sed in Mesopotamiam proficiscere ad Bethuelis avi tui domum,
Ibique de filiabus Labani, avunculi tui, sume tibi uxorem.
[3] Et te Deus omnipotens fortunet, augeat, multiplicet,
Ut complures ex te gentes oriantur,
[4] Et praestet tibi posterisque tuis benedictionem Abrahami,
Ut possideas terram peregrinationis tuae, quam Deus Abrahamo promisit.«

Gen. XXVIII, 11-19. [11] Jacobus igitur egressus ad locum quendam pervenit,
In quo, quum sol jam occidisset, pernoctandum putavit.
Adhibito igitur pro cervicali uno e lapidibus, qui ibi erant, dormivit.
[12] In somnio autem vidit scalam, terrae innixam, sed coelum summis gradibus attingentem,
Per quam ministri Dei ascendebant et descendebant:
[13] In summa vero scala Jehova stetit, eumque sic allocutus est:
»Ego sum Jehova Deus Abrahami avi tui et Deus Isaaci,
Terram in qua dormis dabo tibi posterisque tuis;
[14] Eruntque tot posteri tui, quantus est terrae pulvis;
Per occidentem et orientem, per septentrionem et meridiem diffundentur,
Et in te et progenie tua omnes terrarum nationes felices erunt.
[15] Ego vero tibi praesens adero, quocunque viam feceris,
Et te in hanc tellurem reducam.
Neque unquam te deseram, quin, quae tibi promitto, cuncta praestitero.«
[16] Tum Jacobus expergefactus ait: »Profecto Jehova est in hoc loco, at ego nesciebam!«
[17] Pavensque: »Quam verendus«, inquit, »est hic locus!
Haec est non nisi aedes Dei, haec est porta coeli!«
[18] Quum deinde surrexisset Jacobus, lapidem, quo tanquam cervicali usus erat, in cippum erexit,
Et fudit oleum super ejus verticem,
[19] Et locum illum *Beth-el* nominavit.
Gen. XXIX, 1 sqq. Quo facto iter suum in regionem orientalem persequebatur.

Et quum in Mesopotamiam ad Bethuelis domum advenisset,
Ibi in matrimonium duxit duas filias Labani avunculi sui,
Gen. XXIX, 24. Leam majorem natu, cui pater Zilpam ancillam attribuit,
Gen. XXIX, 29. Et Rachelam minorem natu, cui Bilham assignavit.
Gen. XXXV, 22-26. [22] Erant autem filii Jacobi duodecim:
[23] Filii Leae, primogenitus Jacobi Ruben,
Simeon, Levi, Juda, Issacar, et Zebulon;
[24] Filii Rachelae, Josephus et Benjamin;
[25] Filii Bilhae ancillae Rachelae, Dan et Naphthali;
[26] Filii Zilpae ancillae Leae, Gad et Asher.
Hi sunt filii Jacobi, qui nati sunt ei in Mesopotamia.
Gen. XXXV, 22. [Quum tamen Ruben se incesto stupro inquinasset,
Gen. XXXIV, 25-29. Simeon vero et Levi caedem et praedationem amarent,
Aetatis praerogativae ad Judam translatae sunt.]
Gen. XXXV, 9-14. [9] Apparuit autem Deus Jacobo iterum, postquam reversus est e Mesopotamia, benedixitque ei,
[10] Et sic locutus est: »Non amplius vocaberis Jacobus, sed *Israel* erit nomen tuum.«
Et nuncupavit eum *Israel!*
[11] Tum dixit: »Ego sum Deus Omnipotens;
Cresce et multiplicare! gens et congregatio gentium nascetur ex te,
Et reges e lumbis tuis prodibunt.
[12] Terramque quam dedi Abrahamo atque Isaaco, tibi dabo,
Scilicet posteris tuis, qui post te nascentur, dabo terram istam.«
[13] Et ascendit Deus ab eo.
Jacobus vero in illo loco quo cum ipso locutus erat Deus statuam lapideam erexit,
Et profudit super eam libamina, oleumque adspersit.

Gen. XXXV. [15] Gen. XXXII, 31. Vocavitque nomen loci illius *Peniel*, dicens:
»Vidi Deum facie ad faciem, et tamen vivus evasi.«

COMMENTARIUS IN QUATERNA FRAGMENTA.

Has relliquias nolui eodem ordine exhibere, quo eas scriba Masoraeus textui suo inseruit. Accuratior enim rerum ipsarum consideratio nos edocebit, opinor, legitimum ordinem nonnihil immutatum esse, et Fragmentum, quod in textu Masorethico secundum est, debuisse agmen ducere. Universum autem argumentum hoc est. Usque a primordiis mundi in eo se laborantem exhibuit Pater noster Coelestis, ut divinam illam in nobis redintegraret imaginem in qua protoplastos creaverat, ut omnes homines iterum postliminii jure ad hortum deliciarum (עֵדֶן) et ad conspectum Dei (פְּנִיאֵל) redirent, scilicet ut *probi* (יָשָׁר) denuo fieremus. Id ut humanae naturae convenientius efficeret, visum est institutionem ac disciplinam generis nostri condere, in qua filii hominum a filiis Dei (Gen. VI, 2) erudirentur. Prima haec nascentis ecclesiae rudimenta, principia nationalis cujusdam electionis, adumbrata invenimus in gentis Semiticae ab Japetidis et Chamidis separatione; deinde inter Semitas Abrahamidae eliguntur, qui posterorum aetati veram relligionem transmitterent; neque enim id voluit Creator optimus maximus, ut ceteris salutem denegaret, sed ut promissa Mediatoris revelatio per electos innotesceret, atque ita universi homines conditionem sibi ultro oblatam acciperent. Sed ne Abrahamidis quidem omnibus mansit praedestinatio illa in filios Dei, sed exturbata Hagarae prole, et neglectis Keturae filiis, Isaacum solum elegit Deus, et ecclesiam suam unius familiae terminis circumscripsit. Denique eam ipsam familiam bipartito distribuit, et nonnisi Jacobi progeniem sibi

tanquam propriam mancipio ac nexu vindicavit. Ita in arctiorem campum usque decurrimus. A gente Semitarum ad stirpem Abrahamidarum descendimus, deinde ad familiam Isaaci, denique ad unam Jacobi domum. Ac perpetua haec ecclesiae limitatio constituitur, ut videbimus, per legitimum quattuor horum Fragmentorum ordinem, quem ideo turbavit compilator Masorethicus, quia omnes gentes a tribus Noachidis derivavit, Noachum autem post Adamum posuit. Et populorum quidem rejectorum nomina nemo est, qui in his Fragmentis dubitet agnoscere. Nam *Canaan,* qui pro patre suo diris devovetur (Gen. IX, 25), gentile illud nomen כְּנַעַן sine ulla mutatione exhibet. Nomen autem *Qain* קַיִן non modo hic (Gen. IV, 1) verum etiam in Num. XXIV, 22 gentem *Kinnaeorum* קֵינִים designat. Deinde *Ismael, Hagarae* filius, *Hagaraeam* gentem (Ps. LXXXIII, 7) indicat, idemque Nabathaeos, Kedarenos, aliasque Arabum nationes a se ipso oriundas complectitur. Denique *Esau* עֵשָׂו, i. e. *hirsuta pelle obtectus,* qui praeterea *Edom* אֱדֹם, i. e. *rufus* appellatur (Gen. XXV, 25), quique *Seir* שֵׂעִיר, i. e. *hirsutus* fuisse perhibetur (Gen. XXVII, 11, 23) et in monte *Seir* i. e. in pilosa et sylvestri regione habitabat (Gen. XXXII, 4), certissime *Idumaeae* incolas designat. In populi electi, qui his gentibus quater opponitur, appellatione explicanda, nonnisi nomen *Habel* (הבל) difficultatem aliquam parit. Nam *Shem* est totius gentis *προπάτωρ, Isaacus* autem et *Jacobus* per se satis distinguunt duas Abrahamidarum generationes alteram post alteram succedentes. Sed ipsum Abrahamum vel potius ejus familiam in vocabulo *Habel* usque adhuc latuisse, spero me tandem demonstraturum. Qui caecos istos punctatores caeciore obedientia prosequuntur, non dubitabunt iterare vocem הבל, quae *brevitatem vitae* denotet, formam segolatam esse ad radicem הָבַל referendam. Quum vero ista radix frequentissime usurpetur ad designandam vanam idolorum adorationem, mirum foret si eadem describeret primum hominem, qui vero Deo acceptam oblationem

praestabat! Longe aliam, ut mihi quidem videtur, inire oportet viam. Nempe, quum nulla, ne falsa quidem, interpretatio nomini הבל subjecta sit, haud absurde reputaveris scribam Masorethicum non intellexisse quid illud sibi vellet vocabulum; punctatorem autem, ut ignotam vocem nusquam non occurrenti הֶבֶל accommodaret, priores ambas consonantes temere *segolavisse.* Quodsi quis ad loci significationem respexerit, vix dubitabit mecum extritam א reponere, atque ita genuinam formam הבאל restituere, quam nullo negotio interpretari possum. Nam radix הב in duobus cognatae notionis verbis invenitur — אָהַב et יָהַב — atque eadem in numerosa gente Indogermanica progeniem suam agnoscit, nempe in *hab-eo, av-eo; χέϝ-ω; gib-an, gef-an* etc. (vide New Cratylus § 53, Grimm Abhandl. Akad. Berlin 1848, Varronian. pp. 374, 379). Litterae א et י tam fluxae sunt et evanidae, ut haec ex illa facile fiat; quoad formam igitur non differunt verba אָהַב et יָהַב. Et tametsi hoc potius *ten-dendi* vel *offerendi* significationem praebet, illud vero *amare* i. e. *avere* vel *gestire* denotat, tamen, ut alio loco demonstravi, eadem vocum familia non modo eas notiones, quae similitudinis societate junguntur, verum eas etiam comprehendere potest, quae ex altera parte respondent, et quas Graece *ἀντιστρόφους* vocares (vide Interpretes ad Aristot. Rhet. init.). Hinc in hac ipsa familia verborum *ἔχω, habeo* valent *possideo,* sed *παρέχω, praebeo* i. e. *prae-habeo* valent *dare in possessionem; ταννύω,* cum imperativo *τῆ,* et *tendo* valent *dare* vel *porrigere, teneo* autem est *habeo* vel *possideo* (Varron. p. 380); similiter *sünde* i. e. *peccatum* affinis est *sühnen* i. e. *reconciliare* (Grimm, Theol. Stud. u. Kritiken 1839 p. 747). Jure igitur addubites, utrum illud *ἅπαξ λεγόμενον* הַבְהָבִים (Hos. VIII, 13) aptius, cum recentioribus, *dona* interpreteris, a verbo יָהַב, an cum LXX. reddas: *θυσιαστήρια τὰ ἠγαπημένα.* Utut feceris, interpretationem syllabae הב conficias necesse est, quae ad nomen הַבְאֵל

explicandum sit accommodatissima. Si enim הב ad sacrificium tanquam Deo datum et acceptum respicit, הִבְאֵל erit *is, qui gratam Deo oblationem praestabat,* id quod ex hac narratione elucet. Si autem הב ab אָהַב procedit, הֲבְאֵל denotabit *Deo amatus et amicus,* quod de grati sacrificii auctore praedicari potest. Ad Abrahamum vero utraque interpretatio ex aequo accommodata est. Is utique prae omnibus hominibus *sacrificium* Deo *gratum* atque *acceptum* praestitit (Gen. XXII); is etiam peculiari sensu *Dei amicus* appellatur, quippe qui gentis electae *Israel,* eorum qui יָשָׁר perhibentur, pater esset; ait enim Jesaias (XLI, 8): »Et tu *Israel,* serve mi, *Jacob,* quem *elegi,* semen Abrahami *amici mei*« (אֹהֲבִי). Alia, quae ad hanc rationem tuendam valent, proponemus, quum ad hoc fragmentum in singulis partibus enodandum descendimus. Interea, sumamus *Habel* ad Abrahamum, i. e. initia gentis Jasharanae, spectare. Jam vero quattuor has narratiunculas singillatim persequamur, quaeramusque in unaquaque, quaenam causa ad ecclesiae fines coarctandos, atque ad ceterorum hominum improbationem conferret.

IN FRAGMENTUM PRIMUM.

Scriba Masorethicus nomen Noachi dumtaxat propterea huic loco intulit, quod secundum genealogiam, quam secutus est, is fuit quasi alter humani generis auctor. Sed nullum hic Noacho domicilium esse, satis, uti spero, intelliget lector, quum de vera hujus nominis significatione in tertia parte disputavero. Nec tamen in tanta rerum obscuritate satis liquet, quod nomen trium familiarum genitori indere debeamus. Narratio ipsa nos docet genitorem illum fuisse vitis et vini inventorem, qui, aliquando inebriatus, nudus in tabernaculo jacebat. Ex *Dionyso* itaque factus est *Priapus;* et narrant mythographi Graeci *φαλλοφόρον* hunc Deum ex duplici Veneris cum Dionyso et Adonide connubio

natum esse (schol. Apoll. Rhod. I, 932). Quinetiam fuerunt, qui Noachum tam cum Dionyso, quam cum Osiride comparaverint; ita Tzetzes (chil. VIII. hist. 211):

ἐγγὺς ὀρῶν τῶν Ἡμωδῶν, Ἰνδίας δὲ τὰ ὄρη
στῆλαί τινες ἑστήκασι, στῆλαι τοῦ Διονύσου·
οὐ τοῦ Θηβαιοῦ λέγω δὲ καὶ τοῦ Ζαβόσκου τέλη,
τοῦ οἰνουργίας δ' εὑρετοῦ, φημί, τοῦ Αἰγυπτίου,
τοῦ Νῶε καὶ Ὀσίριδος.

Nihil equidem statuo, num hic vini inventor, quem cum Noacho commutavit scriba noster, nomen suum ab Aegyptio *No* (נֹא) derivare potuerit. Neque enim constat, quid sibi velit illud נֹא אָמוֹן, antiqua Thebarum sive *Διὸς πόλεως* designatio (Ez. XXX, 14, 15, 16. Jes. XLVI, 25. Neh. III, 8). Nam utrum praepositio sit נֹא an nomen, et, si nomen, utrum proprium an appellativum, ne inter Aegyptologos quidem constat. Sed non opus est ad peregrinam vocem, vel ad gentilem mythologiam, confugere. Equidem, ut in ipso Fragmento vides, longe simpliciorem eamque plane homoeopathicam conquisivi nostro loco medelam. Peritiores harum rerum judices jam pridem statuerunt intervallum illud inter primum et secundum hominum genitorem nullis historiae fundamentis niti. Ostendit enim inter alios Henricus Ewald (Geschichte des Volkes Israel vol. I. pp. 308—327) *decem* illas vel *septem* Patriarcharum appellationes, quae Adamum Noacho quasi catena annectunt, non veras personas significare, sed symbolicas proprietatum designationes. Comprobavit autem Ernestus Bertheau (Jahresbericht der Deutsch. morgenl. Gesellsch. 1845—46. pp. 40 sqq.) chronologiam illam qualemcunque, quae haec nomina comitatur, non e vera ac vetusta traditione erutam esse, sed exactum 1600 = 40 × 40 annorum solarium numerum confingere, qualis non casum temporis, sed industriam compilatoris redoleat. Eximamus igitur Noachi nomen, quod scriba ideo huic narrationi infersit, quia

Noachi genealogiae fidem habuit, et duos fuisse generis nostri genitores putavit, quorum a secundo tres illi Eponymi originem suam traxerunt. Sufficiamus autem, vel si mavis reducamus, nomen Adami, et ponamus hoc Fragmentum cum altero Partis primae arcte cohaerere. Illico omnia quasi in sedes suas redibunt, omnia concinent, et modulate una harmonia decurrent. Nam hoc quoque Fragmentum Jehovistae opus esse declarat formula benedictionis (Gen. IX, 26). Et fere ultima prioris Fragmenti verba significaverant Adamum ex Edene exturbatum fuisse »ut terram coleret« (Gen. III, 23). Quam apte igitur sequeretur: »Et *Adamus* coepit esse agricola, et vitem consevit« (Gen. IX, 20). Deinde Adamus, qui jam ante carnali côncupiscentiae manus dederat, in temulentiam quoque cadere potuisset, quod vitium vix fieri potest ut Noachus »vir deo acceptus, probus, omnium illius aetatis maxime pius, et Deum sincere colens« (Gen. VI, 8, 9) in se admiserit. Postremo, Deus Adamo praeceperat, ut nuditatem suam velaret (Gen. III, 21); quum igitur filius ejus non modò pietatem verum etiam Dei mandatum violasset, inexpiabili se relligione oneravit. Sed ut arctam duorum Fragmentorum necessitudinem penitus perspectam habeamus, non quasi per transennam praetereuntes strictim, sed in aprica luce et attentis oculis contemplemur sonticum illum Chami Canaanique morbum. Quid igitur patraverunt isti, quod tertiam gentis humanae partem perpetuo piaculo contaminaret?

Adami ipsius lapsus, ut supra vidimus, non obscure respicit ad obscoenam Baal-Peoris vel Priapi idololatriam cum fornicatione conjunctam. Constat autem Phallicos ritus cum Dionysi cultu conjunctos ab Aegypto originem suam traxisse (Herod. II, 49), deinde in Palaestinam et Phoeniciam migravisse, denique per minorem Asiam grassatos, ubi peculiarem quasi sedem in Mysia, praesertim Lampsaci, nacti sunt, per Thraciam in meridionales Graeciae regiones irrupisse. Sed tametsi haec Asia-

ticae prosapiae orgia postea in dramatica Graecorum poësi haud exiguam vim proferebant, apparet tamen ex mythologicis de Orpheo, Lycurgo et Pentheo traditionibus, quam inviti sobrii atque elegantes Graeci turbulentam hanc relligionem acciperent; idemque rei peregrinae odium declarant temporibus posterioribus severa Romanorum de Bacchanalibus decreta. Haec autem ad aetatem longe post insequentem spectant. Quum hoc Fragmentum primo conflatum est, Bacchicus ille enthusiasmus et tumultuosae phallophoriae cultus sedes Japeticas nondum invaserant. Certissimum est foedam hanc superstitionis formam, quae genitoris genitalia nudanda et publica ovatione deducenda existimavit, quaeque libidinis incitamenta jactans ad stupra aperta et promiscuam scortationis consuetudinem munivit viam, in Aegypto, *Chami* terra, oriundam, metropolim, unde colonias deduceret, in Palaestina, *Canaani* terra, constituisse.

Hoc fonte derivata clades in alios populos defluxit, invitis et diu renitentibus Graecis aliisque *Japeti* prognatis, ab Israelitis autem, qui veram *Shemi* relligionem tuebantur, constanter repudiata, nec accepta a ceteris ejusdem prosapiae gentibus, qui a patrio cultu proxime aberant.

Haec interpretatio, ni fallor, omnem huic loco obscuritatem ademit, et quasi vetus obvolucrum Sacrae Scripturae verbis detraxit. Quinetiam tum hoc tum proxime antecedens Fragmentum dant invicem accipiuntque lucem. Nec dubito quin cuncti peritiores concessuri sint, *Chami, Canaani*que culpam in eo constitisse, quod ethnica haec familia abominationes Priapeas relligiosis ritibus commendaverat, et cognatas *Japeti Shemi*que stirpes in idem vitium tentaverat seducere. Quum tamen illam maledicti imprecationem non in *Chami* sed *Canaani* caput detestetur trium fratrum genitor, mihi persuasi Canaanum *πρωταγωνίστην* fuisse in hoc dramate, ideoque וְהֵבִיא כ׳, pro אֲבִי כ׳, ponendum esse post אָבִין, Canaani nomen repetendum

esse inter verbum יַגֵּר et dativum qui sequitur, denique nomen אָבִיו post אחיו (v. 22) inserendum esse. Ductibus enim litterarum mirum in modum congrunt { וְהֵבִיא / אֲבִי } { אחיו / אביו } { כנען / לשן }

Itaque narratio decurret irrupto filo: »Et vidit Chamus pudenda patris sui, [et arcessivit Canaanum,] et [Canaanus] nuntium de hac re attulit duobus fratribus [patris sui] qui foris erant.« Praeterea, quum Chamus non esset filius minimus natu, interpretor בְּנוֹ הַקָּטָן, *nepos,* potius quam *filius.* Non modo loci ipsius contextus, verum etiam rei indicatae ratio postulat, ut locum tali modo refingamus. Nam etsi Aegyptii, Chami progenies, phallicum signum primi excogitaverunt, generationis tamen symbolo mystica potius quam obscoena significatione utebantur. Canaanitae autem, quum haec ab Aegyptiis didicissent, omnia in pejus vertebant, et libidinosam Baal-Peoris superstitionem aliis gentibus renuntiabant. Merito igitur Canaanus nepos potius quam Chamus filius diris paternis devovetur. Merito Canaanitae potius quam Aegyptii ab Israelitis debellati servilia iis ministeria praestabant.

Restat ut meam sententiam proponam de nobili illa vaticinatione, quae Fragmento huic finem facit (Gen. IX, 26, 27):

בָּרוּךְ יְהוָֹה אֱלֹהֵי שֵׁם
וִיהִי כְנַעַן עֶבֶד לָמוֹ׃
יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת
וְיִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי־שֵׁם
וִיהִי כְנַעַן עֶבֶד לָמוֹ׃

Interpretibus fraudem fecit repetitio lineolae secundae, quae, ut mihi quidem videtur, nullum locum habet, nisi in fine precationis. Dathius, qui arbitratur לָמוֹ hoc loco et in singulari et in plurali verti posse, acquiescit in ambiguitate vocabuli. Est autem למו proprie et vi termini poetica pluralis forma pro לָהֶם,

et quanquam est ubi pro sing. לוֹ usurpatur (Ewald § 247 d), tamen hoc loco ad Shemum solum referri nequit si eodem loco ambos fratres designat. Extruso igitur, vel potius ad finem relegato, hoc versiculo, tristichum habemus benedictionis, quae ad imprecationem Chami denique revertitur. Et quum omnia ad Shemum extollendum tendant, is utique in primo et tertio versu sententiam concludit, dum secundus tantummodo versus Japeto consecratur. Nam nullus sum dubius quin אֱלֹהִים sit utriusque verbi tam יַפְתְּ quam יִשְׁכֹּן subjectum. Quod ad prius illud verbum attinet, interpretes plerique omnes radicem פָּתָה allegant, ut sit יַפְתְּ apoc. 2 temp. Hiph. hoc sensu: *dilatabit, ampla spatia concedet, amplissimam regionem incolendam dabit,* ut in Gen. XXVI, 22: הִרְחִיב יְהוָה לָנוּ, *dilatavit Jehova nobis.* Et alludi putant ad late patentes Japetidarum migrationes. Sed ipsa hujus loci paronomasia indicat verbum יַפְתְּ ad etymologiam nominis יָפֶת spectare, quod ad יָפָה referri debet, ut יָפֶת sit *pulcritudo.* Et Jonathan verbum יַפְתְּ eodem referens hanc interpretationem proponit: *condecoret* (יְשַׁפַּר) *Jehova terminos Japeti.* Repugnat autem grammatica, quae inter radicis יָפָה inflexiones nullum formae יַפְתְּ concedit locum. Nihil impedit autem, quominus cum Dathio ad Arabicam versionem confugiamus; et quamvis non necesse sit, ut ad Arabicum فتا *liberalem esse* provocemus, similem tamen significationem ex Hebraea radice פָּתָה erui posse existimo, ut sensus loci sit: *pulcram fortunam Deus pulcro Japeto impertiet.* Quae quidem vaticinatio tam immensam stirpis Indo-Germanicae ditionem, quam splendidam fortunam Persarum, Graecorum, Romanorum, hodieque gentis Anglo-Saxonicae complectitur. Sequitur, eodem subjecto: *et habitabit* (sc. Deus) *in tabernaculis Shemi.* Quid perspicacius vel cogitatione effingi posset, ad veram duarum stirpium, quae orbem terrarum omni vita atque cultu expoliverunt, scilicet Indo-Germanicae et Semiticae, sortem significan-

dam [1])? Japetidae gentes devicerunt, et varias artes ad humanitatem et commodiorem vitae usum invenerunt; Semitae autem, tanquam populus electus, balbutientem relligiosorum hominum mentem quasi manuducentes ad Christum paullatim adduxerunt. Quinetiam, quum magni imperatores apud illos eminuerunt, inter Semitas Deus suum tabernaculum posuit. Primum inter Israelitas in visibili templo habitavit ejus *Shekinah*. Postea vero *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν* (Joann. I, 14. cf. Apocal. XXI, 3: *ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ σκηνώσει μετ᾽ αὐτῶν*).

Num magis manifesto significare potuit vates noster beatam utriusque fratris sortem — temporalem Japeti felicitatem, spiritalem Shemi gloriam? Num apertius declarare divinam Illius epiphaniam, qui *Immanu-el* i. e. »nobiscum Deus« vero nomine nuncupatus est? At enim vero vetus admodum et constans erat traditio Shemum eundem fuisse ac Melchitsedequum, Salemae regem, qui ab Abrahamo victore decimas accepit. Hieronymus enim, »Hebraei« inquit (Quaest. ad Gen. XIV) »aiunt Melchisedech esse Sem filium Noe.« Et utraque paraphrasis Chaldaica nomini Melchitsedequi apponunt: הוּא שֵׁם בַּר נֹחַ, »hic est Shemus, filius Noachi.« Equidem non negaverim Genes. cap. XIV historicam traditionem sapere, et fieri potest, ut aliquis fuerit Jebusaeorum regulus, qui Melchitsedequus vel *Δικαίαρχος* appellatus est; fortasse illud nomen vel synonymum *Adonitsedequus* peculiare fuit istorum regum epitheton. Sed confirmat Apostolicus Epistolae ad Hebraeos auctor (VII, 1 sqq.), quod antea edixerat divinus ille Psaltes (CX, 4), Melchitsedequum, qui rex

[1]) Bunsen Aegypten, Vorrede p. XI: »Was wir Weltgeschichte nennen, mufste mir als die Geschichte zweier Geschlechter erscheinen, und zwar erschien mir das Indogermanische als das den grofsen Strom der Weltgeschichte fortleitende Element, das Aramäische, als das denselben durchkreuzende und die Episoden jenes göttlichen Dramas bildende.«

Justitiae (צֶדֶק) idemque rex *Pacis* (שָׁלוֹם) esset, fuisse Christi ipsius mystico quodam sensu antecessorem, et spectasse ad ea tempora, quibus *Justitia* et *Pax* se invicem amplexurae erant (Ps. LXXXV, 11). Hoc sensu Shemus, ut cui tam excellens benedictio obtigisset, non longe ab eodem symbolo abhorrebat, et sua persona complectebatur venturum illum *Justitiae Pacis*que conciliatorem et sequestrum.

IN FRAGMENTUM SECUNDUM.

Venerandum Shemi nomen a primo ad secundum Fragmentum transitum praebebit. Nam si ex etymologia vocis apparet nomen *Habel* ad primam nascentis Semitismi Ecclesiam spectare, ad fidelem illum Abrahami coetum, qui primus sacrificia Jehovae grata et accepta obtulit, ad initia illius gentis, quam Deus sibi tanquam propriam vindicavit, constat non Adamum, a quo omnes nationes originem suam traxerunt, sed Shemum, qui vocatur »genitor omnium filiorum Heber« (Gen. X, 21), patrem fuisse Habeli. Nec difficile est explicare, cur hoc nomen inter filios Adami intercalatum sit. Plenior πρωτοπάτορος genealogia in capite V. describitur, ubi Lamechus per Sethum ab Adamo derivatur. In priore autem capite idem Lamechus inter Qaini posteros recensetur, quia, ut videtur, verba cantilenae illius, insolentiae et ultionis plenissima, cum Qaini facinore cognationem aliquam habebant. Utut haec se res habuerit, certum est aut priorem aut alteram genealogiam falsam esse et suppositiciam. Et quum decem nomina in posteriore catalogo, numeris annorum appositis, systema quoddam confingant, prior autem septem nominum variis cacographiae maculis inquinetur, vix dubitare possumus, quin haec series serius conficta sit, propter necessitatem aliquam Lamechi cum Qaino conjungendi. Satis jam demonstravit Henricus Ewald (Gesch. d. Volkes Israel I, p. 308 sqq.)

tam duas ante diluvium Noachanum genealogias quam tertiam, quae diluvio succedit, ad arbitrium scriptorum conflatas esse, qui etymologica ratione exprimere vellent ethnicas quasdam traditiones vel opiniones suas de primitiva hominum conditione. Sed in primo novem nominum stemmate quaedam sunt, quae cum diluvio cunctos homines obruente minime conveniunt, et qui Lamechum isti farragini immiscuit miram is confusionem intulit. Nam terra נוֹד, in quam confugit Qainus (Gen. IV, 16) proculdubio eadem est ac לוּד (Gen. X, 22), et denotat vel antiquissimam Amalequitarum sedem (Fuerst, Handw. s. v.), vel *Lydiam,* quae Croesi tempore maximam minoris Asiae partem complectebatur. Nomen Chanoki, quod Qainus urbi a se exstructae imposuit (Gen. IV, 17), plane prodit Annacum, qui plus quam trecentos annos vixerit, et Iconium, Lycaoniae urbem, condiderit (Steph. Byz. s. v. *Ἰκόνιον*). Praeterea Lamecho tribuuntur duae uxores, quarum Ada Jabalem peperit, qui *pater* fuit pastorum sub tentoriis habitantium, et Jubalem, qui *pater* fuit citharizantium omnium et tibicinum; Zilla autem peperit Tubalem, fabrorum ferrariorum principem (Gen. IV, 19 sqq.). Sed haec artificum et pastorum series universo illo diluvio abrepta fuisset, si Lamechus ante Noachum vixisset. Ac Lamechum quidem aliam fuisse *πολυωνύμου* illius Esavi designationem, perspicue, ni fallor, demonstrabo quum ad quartum hujus Partis Fragmentum tractandum accessero. Interea autem quaeramus, quo jure Kinnaei vel Qain inter Shemi filios numerentur. In Gen. XV, 19, 20 *Kinnaei* (קֵינִי) agmen ducunt populorum, quos Jehova pollicetur se Abrahamo in dicionem daturum, et proxime sequuntur, nomine inde derivato, *Kinnizzaei* (קְנִזִּי). Jam vero constat Kinnaeos exiguam fuisse Amalequitarum stirpem (1 Sam. XV, 16. cf. Num. XXIV, 20, 21). Amalequitae autem, qui perpetuas cum Israelitis inimicitias exercebant, una cum Kinnizzaeis, inter Esavi filios numerantur (Gen. XXXVI, 11, 12). Patet igitur Kinnaeos, una cum Amalequitis et Kinnizzaeis, qui in meridio-

nalibus Palaestinae partibus (Josh. XIV, 6 al.) et in confiniis Idumaeae degebant, Semiticae familiae adnumerandos esse.

Jam vero verba ipsa inspiciamus, quae Habeli sacrificium describunt (Gen. IV, 3 sqq.), nempe locum illum vexatissimum, »quem«, ut jure pronuntiat Schumannus, »crucem interpretum, antiquitus et conservatam et propagatam, haud inepte dicas«; in quo tamen interpretando satis habebo summam dissertationis ejus recitare, quam abhinc decennium in Sacrarum Litterarum Repertorio publici juris feci[1]).

Praecipua hujus loci difficultas in versu 7. reperitur, qui sic legitur in textu Masorethico:

הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת
וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ
וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ

Hanc lectionem vel antiquis temporibus non valde certam fuisse et lectu facilem, ostendunt LXX interpretes, qui versionem a Masorethico textu valde discrepantem protulerunt: *οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον· πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ.* Unde manifestum est eos legisse לָשֵׂאת pro שְׂאֵת, לִפְתוֹת vel לִנְתֹּחַ pro לַפֶּתַח, imperativum רְבֹץ pro participio רֹבֵץ, et fortasse confudisse תְּשׁוּקָתוֹ cum תְּסוּגָתוֹ. Ita quod in hoc

[1]) Journal of Sacred Literature 1849. no. VII. pp. 124 sqq. Hanc dissertationem non dedignatus est sub examen vocare doctissimus ille idemque parum sibi diffidens Hebraicarum litterarum expositor, Henricus Ewald (Jahrbücher d. Bibl. wissenschaft 1850—51. p. 205), qui quum meam commentationem satis superbe commendasset tanquam »einen Aufsatz, welcher für den Zustand der Wissenschaft im jetzigen England wirklich ein kühner Versuch zu nennen ist, in grofser Dunkelheit sich Licht zu machen«, eam interpretationem, quam proposui, idcirco, ut videtur, repudiat, quia ipse aliquando aliam qualemcunque editurus est. Equidem meam sententiam verissimam judicabo, donec Henricus Ewald veriorem excogitaverit. Sed ille, ut opinor, frustra sudabit.

loco lucis reliquum erat, novis ii tenebris obfuscarunt. Sed quidquid de duarum priorum clausularum interpretatione statueris, neminem oportuit latere ultimam lineolam, quae summum honorem et dominationem pollicetur, non posse ad Qainum spectare. Nam gemina conditione proposita haec verba ad alteram propositionem respicere debent, ubi sumitur Qainum non *bene* sed *male* facturum. Eadem verba, mutatis mutandis, in capite statim antecedente occurrunt (Gen. III, 16), ubi significatur mulierem viro suo subjectum iri. Ergo oportet hunc versiculum declarare, aliquem ei, qui ita compellatur, in dicionem cessurum. Praeterea, si tertia clausula secundam statim sequeretur, nihil esset, quo masculina illa pronominum additamenta referri possent. Nam חַטָּאת foeminini generis est. Quidni putemus notam, quam nonnulli Masoretharum ad v. 8 appingunt, nempe פסקא באמצע פסוק, »lacuna in medio versus«, de hoc quoque commate valere? Et quum in c. III. Jehova tam mulierem quam virum alloquatur, quidni ponamus, id quod per se verisimillimum est, Deum ambos fratres compellavisse, ita ut ultima haec clausula pars sit eorum verborum quibus Habelum comprobavit?

Ex ipso loci contextu apparet Qainum fratrem suum propterea vi et armis aggressum esse, quia hoc Dei effatum audiverat. Quid quaeris? istud effatum aliquid Habelo promittebat, quod Qaino ademptum erat. Illud ad praerogativa primogeniturae vel privilegia aetatis spectasse, significant duo loci, ubi fratres natu majores iram concipiunt et mortem minitantur (Gen. XXVII, 41. XXXVII, 18 sqq.). Atque illud est observatu dignum, verbum מָשַׁל, quod hujus loci emphasin sustinet, summa vi usurpatum esse a Josephi fratribus, quum minoris natu promissam dominationem indignabundi rejiciunt (Gen. XXXVII, 8): אִם־מָשׁוֹל תִּמְשֹׁל בָּנוּ, »itane vero imperans nobis imperabis?«

Deinde notandum est vocabulum שְׂאֵת, quod per se quamlibet *excellentiam*, sive *eminentiam* significat, quater esse adhibitum ad dignitatem vel majestatem regis exprimendam (Ps. LXII, 5. Job. XIII, 11. XXXI, 23. Hab. I, 7) et uno loco privilegia aetatis aperte designare. Jacobus enim Rubenum, filium suum natu maximum, ita alloquitur (Gen. XLIX, 3):

יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז
פַּחֲזֻתָּ כַּמַּיִם אַל־תּוֹתַר

»Principium eras dignitatis et principium honoris, sed ebulliisti tanquam scatebrae fervidae. Itaque ne sis princeps«, i. e. primogenitus eras, sed propter incestam tuam libidinem, te dignitate tua depono. Ut vides, Dathium aliosque secutus sum legentes פַּחֲזֻתָּ pro פַּחַז. Haec vox protervam lasciviam significat, eadem translatione, qua Graeci χλιδή, ὕβρις, κόρος etc. usurpabant (New Cratylus § 336), et conversam habes metaphoram in Latino *confuto,* quod proprie est aquam ebullientem reprimere ne exundet. Vocabulum autem שְׂאֵת utroque Genesis loco ad aetatis privilegia vel dignitatem spectare, jampridem vidit Jacobus Robertson (Clavis Pentateuchi p. 252), qui hanc glossam adscribit: »שְׂאֵת et contracte שְׂאֵת pro נְשָׂאֵת *efferre, tollere;* item *eminentia, dignitas magna,* nempe *principatus* primogeniturae proprius. Sic reddenda est haec vox שְׂאֵת Gen. IV, 7. Ubi cum *honorem* tum potestatem superiorem exprimit, qualis antiquissimis temporibus fuit *primogeniturae* praerogativa.« Rubenum autem propter peccatum suum dignitatem illam amisisse, satis notum est: »primogenitus enim fuit, sed quod cubile patris sui contaminaverat, translatum est jus primogeniturae in posteros Josephi, neque ille (Ruben) ex hac primogeniturae praerogativa recensetur« (1 Chron. V, 1). Quidni igitur Jehova Qaino quoque dixerit: »nonne si bene feceris, restat tibi *dignitas* s. *primogenitura* tua?« Et cum hac sententia optime congruit, ut debet, altera sive negativa propositio —

dummodo verbum רבץ de Qaino praedicaveris, id quod fiet, si statues litteram ת, quae vocem חַטָּאת claudit, in prima sequentis vocabuli syllaba iterandam esse, ita ut scribas: תִּרְבַּץ. Hanc vel aliam qualemcunque medelam rationes grammaticae efflagitant; nullo enim modo fieri potest, ut masculinum participium רֹבֵץ cum foeminino subjecto חַטָּאת construatur. Nam quod aiunt culpam, quae leonis instar procumbat, ad Satanam respicere qui ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ ζητῶν τίνα καταπίῃ (1 Petr. V, 8), leonem autem masculinum esse, ergo culpam genus suum foemininum amisisse, illud sane esset omnem grammaticam funditus evertere, et pro syntaxi anarchiam quandam vocabulorum inducere. Paene ridiculum est observare, quo loco רָבַץ de leone praedicatur, in eo ipso tam *leaenam* quam *leonem* apparere, ut nihil inde de masculino leonis genere concludas (Gen. XLIX, 9). Verum enimvero ille locus verbum רָבַץ, *procubuit,* antithetico מִי יְקִימֶנּוּ, *quis eum surgere faciet,* haud aliter opposuit, quam hic opponuntur רָבַץ, quod *procumbere* i. e. *tanquam pecus prono capite jacere* significat, et שְׂאֵת, quod *capitis elevationem,* i. e. *erecto capite incedere* denotat. Praeterea, quum שְׂאֵת *dignitatem* et *majestatem regiam* vel *judicialem* aperte declarat, רָבַץ לַפֶּתַח conditionem, ut quae maxime, servilem depingit. Ita Psaltes profitetur »se eligere potius *ad limen* aedis Dei *sedere* (הִסְתּוֹפֵף), quam intra tentoria improborum habitare« (Ps. LXXXIV, 11). Hanc rationem secuti, duas conditiones Qaino diserte propositas habemus: »si bene facis, illa est *exaltatio;* sin minus, ad peccati fores servili more *procumbis.*« Utrum horum mavis, accipe — nam relligio suam secum dignitatem reportat, propria primogeniturae privilegia sibi vindicat; pietatem colito, et haec omnia tibi adjungentur. Sin minus, frustra ereptum patrimonium quereris; abjecta enim relligione, cetera sponte sua abeunt; et culpae dominatio nexos atque addictos homines in servitutem abducit.

Itaque in duabus prioribus clausulis absolutam habemus allocutionem illam, quam Jehova Qaino adhibendam censuit. Sed quaerendum est unde supplere queamus benedictionem illam Habeli, quae hanc admonitionem sequi debebat, cujus tamen non nisi ultima verba in textu Masorethico retinentur. Atque hic, quasi legitima quaedam optio, Novum Testamentum Veteri auxiliatur. Tres enim loci sunt in canonicis Novi Instrumenti libris, quae Habeli mentionem faciunt: (*a*) Matth. XXIII, 35: *πᾶν αἷμα δίκαιον ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ τοῦ δικαίου.* (*b*) Epist. ad Hebr. XI, 4: *πίστει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ θεῷ, δι' ἧς ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος, μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ θεοῦ, καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν λαλεῖ.* (*c*) Ibid. XII, 24: *αἵματι ῥαντισμοῦ κρεῖττον λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ.* His locis plane apparet textum nostrum primo post Christum saeculo pleniorem fuisse, et declarasse Habelum sacrificium illud suum vera *fide* obtulisse, et propterea Deum testatum esse se Habelum *pro justo* habiturum. Praeterea sacrificium illud *ad Christi sacrificium spectasse*, quod quasi typo praesignificabat. Habeli igitur sacrificium cum Abrahami mactatione ad amussim congruit; et si nihil aliud pro argumento haberemus, vel hinc concluderemus Habelum et Abrahamum ad eandem in relligiosa Judaeorum historia categoriam referendos esse. Quae quum ita sint, quid impedit quominus ab Abrahami historia verba ea excerpamus, quae ad hunc locum restituendum sufficiant? Equidem mihi persuasi primitivam hujus pericopes formam tales voces praebuisse:

וּלְהֶבֶל אָמַר
כִּי עָשִׂיתָ אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה וְהֶאֱמַנְתָּ בִּי
הִנֵּה אֶחְשְׁבֶהָ לְךָ צְדָקָה וְתִהְיֶה גְּבִיר לְאָחִיךָ

Cui nostra clausula statim subjungatur, hoc sensu:

»Et Habelo dixit:

Quia fecisti hanc rem (Gen. XXII, 16) et *in me credidisti,*
Ecce reputavi id tibi ad *justitiam* (Gen. XV, 7);
Et magister eris fratris tui (Gen. XXVII, 29);
Et sub te erit appetitus ejus et tu in eum dominaberis.«

Textu ita constituto, omnia uno tenore et harmonia concinunt; soloecismi evanescunt; cognatio Habeli et Abrahami confirmatur; novi Testamenti significationes de justitia ac fide Habeli suam auctoritatem recuperant; et universa nostra sententia de libri Jasharani ratione clariorem lucem mutuatur.

Redeo autem ad nationalem hujus narrationis expositionem, qua refertur ad atrocitatem Kinnaeorum et cruentam priorum Abrahamidarum vexationem. Ac primum dixerit aliquis, Quid? nullasne in historia partes sustinuerit vir quidam cui nomen *Habel* fuerit? Nonne Jesus ipse ita locutus est, ut Habelum tanquam hominem quondam vivum designaret? — »ut veniat super vos«, inquit (Matth. XXIII, 35), »omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Habeli justi usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.« Difficultatem, quae ex mentione Zachariae oritur, non urgeo. Scilicet non fuit Jesu Christi officium, ut omnes Judaeorum traditiones ad normam critices examinaret. Primum atque ultimum commemorando omnia exempla priorum hominum ab impiis occisorum comprehendere voluit. Et non dubito multos fuisse in familia Abrahami, atque in ipsis electae gentis cunabulis pios et justos Habelos, quos feroces isti Amalequitae vel inter sacrificandum trucidaverunt.

At hic fortasse nonnulli objicient — Quid?, confundisne Kinnaeos cum Amalequitis? Esto, ut vaga illa ac ferox Arabum familia cum Israelitis perpetuas inimicitias exercerent; at in hoc odio excipiuntur nominatim Kinnaei, »quoniam se benignos praebuissent Israelitis, quum ex Aegypto essent egressi« (1 Sam. XV, 6). Si verum admittimus, sparsae illae de Kinnaeis notitiae

nonnihil obscuritatis pariunt. Quum tamen Kinnaei recenseantur in fronte omnium meridionalis Palaestinae populorum (Gen. XV, 19), Amalequitae autem (quorum terra per anticipationem geographicam nominatur Gen. XIV, 7) inter spurios Esavi nepotes ponuntur (Gen. XXXVI, 12), facile credas Kinnaeos constituisse principem pagum vel gentem inter nomades Arabiae Petraeae. Ex nostro Fragmento (IV, 12) concludamus licet Kinnaeos, sicut reliquas montanae et desertae regionis tribus, initio saltim errabundam vitam incertis sedibus egisse, latrocinio et caedi deditam. Postea vero, ut discimus ex Num. XXIV, 21, habitationem ipsorum quasi in nido ponebant. Quo factum est, ut principalis haec tribus se a ceteris Amalequitarum familiis segregaret. Ii errabant et latrocinabantur. Kinnaei vero in sede sua restabant. Et quum Israelitae ab Aegypto profugi per desertum Arabiae peragrabant, Kinnaei quidem nullam contra eos movebant aciem, Amalequitae autem electum populum, ut qui suas sedes invaderet, semper et ubique infensis animis et infestis armis oppugnabant. Amalequitas victis et imbellibus nullam misericordiam praestitisse colligimus ex Agagi saevitie, qualem eam describit Samuel (1 Sam. XV, 33). Neque enim rationi consentaneum est credere antiquiorum Amalequitarum mores recentiorum moribus fuisse mitiores. Ergo Israelitas in eo intervallo, quod inter Exodum et promissae telluris debellationem intercessit, perpetuis aggressionibus lacessebant. Hinc illae lacrymae! Hinc populare illud odium, quod, Hannibalis ritu, vetus cantilena quasi jure jurando sanciverat (Exod. XVII, 16):

»Manum ad Jehovae thronum!
Bellum erit inter Jehovam et Amalequitas
A generatione in generationem!«

i. e. unusquisque Israelitarum hoc jurejurando obstringitur (cf. Ewald, Gesch. des Volkes Israel I, p. 297). Montem Amalequi (Jud. V, 14) et Kinnaeos (ibid. 24) fuisse in septentrionali

Palaestina tempore Deborae, ostendit quam late paterent istius gentis errationes, quae sparsa membra ibi reliquissent. Constat autem, etiamsi in transitu per desertum Amalequitae sine ullo Kinnaeorum auxilio Israelitis obstiterunt, nihilominus tamen ambas gentes in vaticinio Bileami venienti ruinae devotas esse, et nascentem Abrahamidarum gentem ab utraque injurias non obliviscendas accepisse.

Restat gravior difficultas, quae tamen ad vivum resecta historicam hujus Fragmenti interpretationem mirum in modum illustrat atque confirmat. Offensio autem, quae cunctos lectores primo obtutu in stuporem dat, haec est. Quum Deus edixerit »quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius« (Gen. IX, 6), quî fit, ut ab hac poena non modo exceperit primum homicidam, qui, sicut Ixion ille Graecorum (Pind. Pyth. II, 32):

ἐμφύλιον αἷμα πρώτιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς

(nam Habelum inter confabulandum occidit Gen. IV, 8), verum etiam capitis reum septupli poena contra violentam ab aliis illatam necem praemuniverit (Gen. IV, 15)? Imprimis moneo poenam perpetui exsilii et errationis in desertis regionibus (nam id significatur versu 12) satis acerbam esse, neque aliam excogitaverunt Graeci, qui homicidas, donec purgati essent, errare et exsulare jubebant (vide C. O. Mueller ad Aesch. Eumen. p. 136 sqq.). Sed vera rei explicatio pendet e versu 13: »majus est scelus meum, quam quod condonari possit.« En! summam in noxae reo poenitentiam! en confessionem peccati, quae Davidi homicidae et adultero remissionem peccati procuravit (2 Sam. XII, 13)! Nam Davides »peccavi«, inquit, »in Jehovam«, tum Nathan: »remittit ergo«, inquit, »tibi Jehova peccatum tuum: non *morieris.*« Eodem modo Deus supplicium, quo in Qainum usurus erat, illi remittit et condonat. Quum enim Qainus declarasset se vereri, ne, quicunque in se incideret, interficeret,

Jehova »haudquaquam« inquit (nam cum LXX. aliisque, quos citat Dathius, legendum לֹא כֵן); »quicunque te interfecerit septupli poenam subibit.« Et si quaeramus, quali signo Jehova Qainum tutaverit, summa obscuritate impeditis suppetias adveniet Kinnaeorum historia. Nam quodcunque antea patraverant Kinnaei, tamen, quum Israelitae ad promissam terram transibant, cavebant, ne quam iis vim inferrent. Itaque curavit Jehova, ut seorsim et discreti a ceteris Amalequitis, vel in Petraea Arabia vel in Palaestina, habitarent; et quum Saulus, jussu Jehovae, omnes Amalequitas concidit, Kinnaei agniti sunt, et exempti. Quin etiam divina providentia accidit, ut mulier Kinnaea inter Israelitas habitans, perfidiosa illa quidem caede et quae Qaini spiritum saperet, communi Israelitarum commodo operam navaverit. Vide igitur, obsecro, admirabilem loci nondum intellecti congruentiam. Poenitebat Kinnaeos se Israelitis cruentam vim intulisse. Ergo, etsi semper vagabantur, et denique in captivitatem abducti sunt, tamen nihilominus ab Israelis vindicta et ultione tuti erant, et divinitus immissum Amalequitarum excidium effugerunt. Ita omnia cohaerent, tenebrae omnes dissipantur; et haec quoque Jasharani libri particula suum honorem obtinet.

IN FRAGMENTUM TERTIUM.

Vidimus Habeli nomen non tam Abrahamum ipsum, quam piam Abrahami familiam designare. Ceterum, quum Abrahamus duplici nomine insigniatur, is quoque duplici munere fungebatur. Fuit enim non modo relligiosus ille parvulae sed fortissimae societatis signifer, qui a latrocinantibus regulis praedam eripuit (Gen. XIV, 15, 16), et qui cum aliis Canaanitarum principibus paciscebatur (Gen. XIX, XXIII), verum etiam significat tribum stirpis Semiticae praerogativam, a qua tot gentes in Arabia, Idumaea, et Palaestina originem suam traxerunt. Atque Abra-

hamum, in nostro Fragmento, historico vel ethnographico sensu accipiendum esse demonstrat tam rerum ipsarum, quae describuntur, ratio, quam nominum significationes, quae D. Paulum eo adduxerunt, ut allegoricam hujus loci interpretationem tentaret. Ac primum de nominibus.

Historicus ille Nomadum dux, qui tanquam transeuphratensis advena הָעִבְרִי i. e. ὁ περάτης perhibetur (Gen. XIV, 13), breviore nomine אַבְרָם i. e. *pater* (אַב) *altus* vel *excelsus* (רָם) appellatur, et uxorem habet, quae שָׂרַי i. e. *mulier nobilis et generosa* q. v. *foemina princeps* ex Arabico سَرِيّ nuncupatur. Quum tamen in ethnographicam transit personam, illius quidem nomen producitur in אַבְרָהָם, quod sacri textus interpretatione adjutus referas ad Arabicum رُهَام *numerosa multitudo,* ut nomen significet *magnae multitudinis pater.* Haec autem simili commutatione vocatur שָׂרָה, quod ad Arabicum سَرَأ *numerosam prolem habuit* reducunt, et *mulierem foecundam et proliferam* interpretantur, unde fit ut *Sarah* cum Anglo-Saxonico nomine *Eleanor* congruat.

Jam vero hic Abrahamus, qui non rarum habuit cum Aegyptiis commercium, ab uxore legitima i. e. principe illa suae stirpis (Gen. XX, 12) foemina *Sarah,* ancillam Aegyptiam, tanquam uxorem usurariam, accipit. Haec autem nuncupatur הָגָר, quae vox si recentiores Hebraistas audimus, ad Arabicum هَجَرَ (*fugit, discessit a suis, de regione in regionem migravit*) spectat, ut significet Hagarae a domo sua discessum et crebras Ismaëliticae gentis migrationes. Si autem D. Paulum sequimur (Gal. IV, 25) hoc nomen potius ad Arabicum حَجَر *rupes, lapis,* referendum est, ut significet desertum illud Arabiae Petraeae, ubi prima fuit Hagarenorum sedes, ubique cum Idumaeis jure connubii cognati erant (Gen. XXVIII, 9). Nam quod Paulus ait: ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ — τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, id non ad aliquem in Arabia montem spectare debet, sed

ad vocis הָגָר significationem. Utut haec se res habeat, nomen ancillae, ut cum Apostolo loquar, ἐστὶν ἀλληγορούμενον, et spectat ad ethnographicam narrationis materiem.

Nomen filii, quem Hagar peperisse dicitur, simplicem habet in lingua Hebraica interpretationem. Nam יִשְׁמָעֵאל significat *quem Deus exaudit*, scilicet, si Masorethicam narrationem sequimur (Gen. XVI, 11), Deus audivit querelas et preces quas pellex Aegyptia in summo dolore effudit. Quod si concedis, id quod supra ostendi, arctiorem Jehovicolarum familiam appellatam fuisse *Hab-el* i. e. *quos Deus diligit, qui Deo gratas et acceptas oblationes praestant,* credes opinor alterum istius familiae ramum, qui circumcisionis ritu obstrictus est, atque haud ita longe a vero Dei cultu, praesertim in cunabulis gentis, discesserat, habere potuisse cognatam appellationem *Ishma-el,* i. e. *quos Deus audit,* cognata significatione traditam.

Quid autem valet nomen filii τηλυγέτου, qui ex principe ac legitima uxore *Sarah* natus est? Nomen יִצְחָק a verbo צָחַק derivatum esse, nulla est dubitandi causa. Quum tamen hoc verbum diversas significationes prae se ferat, uti mox videbimus, quadamtenus incertum videri potest, quanam ratione Isaacus hoc nomine donatus sit. Falsam interpretationem compilatori Gen. XVIII, 11 sqq. occurrisse, quivis viderit. Verissima eademque antiquissima rei explicatio continetur cantilena illa, quam nostrum Fragmentum exhibet (Gen. XXI, 6, 7). Scilicet, צְחֹק non modo *risum,* sed etiam *laetitiam* vel *laetandi causam* significat, ut in Psalmo CXXVI, 2: אָז יִמָּלֵא צְחוֹק פִּינוּ, *tum implebitur laetitia os nostrum.* Similiter Homerus (Il. XXI, 389): ἐγέλασσε δέ οἱ φίλον ἦτορ γηθοσύνῃ. Nihil enim majorem laetitiam parit et gratulationem, quam legitimi filii post longam exspectationem partus. Quod Homerus saepissime testatur (cf. Il. IX, 143. 481 alibi). Et sunt qui vocabulum τηλύγετος ad laetitiam illam et convivia (θαλίαι), quibus talis filii natalitia celebrantur, referendum cen-

seant (Döderlein Comment. de vocab. *τηλύγετος*. Erlang. 1825). His perpensis verisimillimum est Isaaci nomen respexisse ad effusam illam laetitiam, qua parentes filium in senecta genitum excipiunt

μοῦνον τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν,

quam autem Abrahamus splendido epularum apparatu (מִשְׁתֶּה Gen. XXI, 8) celebrandam censuit.

Quum vero Abrahamus et Sarah illius צְחוֹק omnes suos participes fieri vellent, mirari subest, Ismaelum ex patria domo expulsum esse, dumtaxat propterea quod Sarah eum מְצַחֵק conspexisset (Gen. XXI, 9). Praecipuas de hac voce sententias summatim enumeravit G. A. Schumannus (ad l. Gen.): »Quia non additum est, quem Ismael ludibrio habuerit, varia subaudiverunt interpretes. Alii conjiciebant Ismaelum jus primogeniti jactantem irrisisse Isaacum; alii, Ismaelum omnis generis injuriis affecisse Isaacum« (id ex Paulino *ἐδίωκε* Gal. IV, 29 deducit Rosenmüller); »alii Ismaelum vel Saram vel in convivio ablactationis parentes et convivas gratulantes cavillatum esse; alii, Ismaelum idololatriae studiosum fuisse et hereditatis causa Isaacum occidendum curasse.« Huc accedit plane singularis Gesenii opinio (Thesaur. s. v. צָחַק), qui מְצַחֵק *exultantem, saltantem* reddit, et adjicit: »convivium enim pater instituerat, in quo filiolus saltando novam gratiam inibat a patre. Qua re novercae invidia et zelotypia ita resuscitata est, ut pueri matrisque expulsionem a marito flagitaret«, et rei illustrationem petit a Matth. XIV, 6. Hanc sententiam adscivit nuperrimus Geneseos interpres Augustus Knobel, qui provocat ad Ex. XXXII, 6. Jud. XVI, 25. 2 Sam. VI, 5, et negat ullam irrisionis significationem radici צָחַק subesse. At vero in forma Pihelica ista radix qualemcunque ludendi abusum et excessum significat, ut lusum amatorium (Gen. XXVI, 8. XXXIX, 14, 17) et vanitatem illius, qui per jocationem mendacia profert (Gen. XIX, 14). Quidni igitur hoc loco ejusdem formae participium denotet Ismaelum

solemnem illam coenam, et, quae cum illa conjuncta erant, spem et laetitiam patris sui ludibrio habuisse, et contemptum suum verbis et gestibus declarasse? Errant profecto qui sensum participii מְצַחֵק in Paulino verbo *διώκω* quaerendum arbitrantur. Nam in Novo Testamento *διώκω* est *vexo, lacesso, injuriam infero* (Gal. V, 11. 2 Cor. IV, 9 alibi). Et quum nulla hic vexatio innuatur, putandum est Paulum ad traditiones Judaicas respexisse, quas haud scio an in celeberrima illa Gamalieli schola didicerit; nam in Breshith Rabb. 53, 15 legimus: »R. Asaria dixit: dixit Ismael Isaaco: eamus et videamus portionem nostram in agro; et tulit Ismael arcum et sagittas, et jaculatus est Isaacum, et prae se tulit, ac si luderet.« Patet hos Judaeos confudisse Ismaeli historiam quadamtenus cum Qaini facinore (cf. Gen. IV, 8 secundum vers. Samar. et LXX). Utrum ad hanc traditionem Paulus respexerit annon, haud equidem dijudico. Video autem Apostolum in hoc loco tractando liberius ingenio suo indulsisse, et amplam quidlibet audendi licentiam allegoricis, qui postea florebant, Sacrae Scripturae interpretibus concessisse. Neque enim quidquam de monte Sinai aut de Mosaica administratione in Ismaeli historia reperias, si veteris scriptoris mentem et consilium scruteris: nec inde concludi potest Ismaelum fratri suo vim adhibuisse. Nullam a patre maledictionem accepit Ismaelus, nullam a Deo condemnationem. Immo potius Abrahamo displicet, quod filius ille ex Aegyptia natus in exsilium relegatur; et Deus patriarcham solatur promittendo Ismaelum quoque maximae gentis auctorem fore. Ad universam loci explanationem satis erit, si ponemus Ismaelum sprevisse altiorem Isaaci spem, noluisse etiam a primogeniturae privilegiis se abdicare. Atque ita, invito Abrahamo, sed efflagitante Isaaci matre, duas familiae partes separatas fuisse; spuriam et semi-Aegyptiam stirpem in desertam et montanam Arabiae regionem abiisse, Isaacum autem in confiniis Palaestinae illius remansisse,

quam aliquando posteri ejus debellaturi erant. Sed constitit majori natu suus honos. Et multis post saeculis Mahumeda, Ismaeliticus pseudopropheta, veterem Abrahamidarum relligionem mirum in modum ludibrio vertit. Periit Qaini progenies. Ne Herodes quidem Idumaeorum tyrannidem conservare potuit. Sed Islamismi dominatio, ab Hagarenis profecta, per multos annos vel Europae Christianismo minitabatur, nec dum penitus abolevit. Quae quum fuerit Dei providentia, libentius ab hoc loco colligas, Ismaelum nec initio tanto odio in fratrem suum saeviisse, nec postea in tantas superstitionis abominationes lapsum esse. Sed ut Shebae regina ad Solomonem conveniendum in Palaestinam iter fecit, eodem fere tempore quo haec Jasharani libri Fragmenta in unum corpus redigebantur, crediderim aliquod relligiosae cognitionis et ceterarum bonarum artium commercium inter cognatas nationes diu viguisse.

IN FRAGMENTUM QUARTUM.

Isaaci et Abrahami historiam quadamtenus commixtam esse noverunt omnes qui Genesin paullo attentius lectitant (cf. Gen. XX c. Gen. XXVI); ut jure addubites, num duorum hominum res gestas, an potius tribus illius, cui praeerant Abrahamus filiusque suus, traditiones ante oculos habeas. Ac profecto nihil refert, quo nomine Jehovicolarum Patriarcha cum Philistaeorum rege pacisceretur. Sed in describendo quemadmodum pia tribus infidos fratres de tempore in tempus abjiceret, et nascentem ecclesiam arctioribus usque limitibus compesceret, vividam quandam et dramaticam exspectamus personarum delineationem, qualem in hoc Fragmento libenter agnoscimus.

Imprimis operae pretium est animadvertere, quantae sint mulierum in hac prosopopoeia partes, quantopere valeant ad patriarcharum fidem fovendam uxorum semitica cognatio, et rel-

ligiosa inde derivata pietas. Nam Ismael quidem, ex Aegyptia pellice prognatus, Aegyptiam, matris consilio, conditionem sibi conciliat. Et Esavus, qui ducendo in matrimonium Chittaeas mulieres magna parentes suos aegritudine affecerat (Gen. XXVI, 35. XXVII, 46), easdem, ut videbimus, aptas existimat, quibus sanguinolentas vindictae meditationes impertiat. At Isaacus, Terachicae Sarae natus, ejusdem prosapiae uxorem, Rebeccam, petit. Et eadem Rebecca in causa est, cur Jacobus, quem, divino oraculo obediens, principatui relligioso destinaverat, e filiabus Labani avunculi sui duas uxores sumeret.

Qui ethicos hujus dramaturgiae mores insectantur, et Rebeccae Jacobique vafram astutiam ad Christianae honestatis trutinam castigare volunt, ii profecto non satis intelligunt relligiosam ac nationalem totius loci sententiam. Omnia pendent ex oraculo, quo Jehova Rebeccae pronuntiaverat se non tantum geminos pueros, sed duas gentes in utero gestare, quorum minorem Deus praedestinasset, cui ecclesiam suam promovendam committeret, scilicet, cui Shemi benedictionem ratam faceret (Gen. XXV, 23). Ex quattuor personis, quarum partes sunt in hoc dramate, neminem oportuit ignorare quid id sibi vellet oraculum. Sed quum Esavus contemptui duceret et vilipenderet praerogativa aetatis, Isaacus autem ad irritum redigere conaretur disertum illud supremi Numinis propositum, quia carne ferina Esavi delectabatur; Rebecca quidem, sicut Beata Maria, conservabat omnia verba haec in corde suo (Luc. II, 51), et Jacobus primum, occasionem nactus, Esavi praerogativas a Deo sibi destinatas mancipio accipit, deinde, matris astu adjutus, benedictionem patris, quae jura primogeniturae sequi debebat, Esavo praeripit. Constat igitur Rebeccam et Jacobum in supplantando Esavo nihil egisse nisi πίστει καὶ περὶ μελλόντων (Ep. ad Hebr. XI, 20), Isaacum autem, propter carnalem appetitus indulgentiam, ferocem venatorem miti pastori praetulisse,

et Dei decreta antiquanda censuisse; Esavum vero, propter defectum cibi illius ferini, quo patrem sibi devinxerat, jura et honores posterorum suorum temere abjecisse, atque, ut dona praesentis horae carperet, fidem illam, quae est rerum sperandarum substantia, rerum nondum apparentium comprobatio (Ep. ad Hebr. XI, 1), prorsus sprevisse et contempsisse: fuit enim *πόρνος καὶ βέβηλος* i. e. idololatriae scortationi deditus et verae relligionis impatiens, *ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς*, i. e. ut hac vita frueretur, *ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια ἑαυτοῦ*, i. e. conditionem probitatis restituendae abjecit (Ep. ad Hebr. XII, 16).

Diversa vitae ratio, quam gemellorum fratrum uterque amplectitur, non sine momento est in relligiosa hujus Fragmenti enarratione. Voluit proculdubio significare is, qui Jasharanam anthologiam compilavit, neque agricolas, ut Qainum, neque errabundos et venaticos homines, ut Ismaelum et Esavum, tantopere accommodatos esse atque idoneos, ad pietatem et probitatem (יָשָׁר) tutandam, quam mites illos et pastoritios nomades, qui, sicut Habelus et Jacobus, inter greges suos revelatam Dei voluntatem meditabantur. Rem ita se habuisse certissimum est. Neque enim inter exscultam Aegypti magnificentiam et doctrinam, ubi omnes incolae a pastoribus abhorrebant (Gen. XLVI, fin.), neque postquam opulentas Palaestinae civitates vi et armis occupaverant, sed in deserto Arabiae cum armentis suis palantes Hebraeos Moses illas divinitus latas leges edocendos curavit. Pastores igitur simplici victu utentes rudimenta vitae atque alimenta animae famelicis totius orbis gentibus suppeditabant, et, in relligiosa illa haereditate cernenda, doctissimos quosque et potentissimos et hujus vitae oblectamentis refertissimos populos supplantaverunt.

At enim vero, ne quis illud divinae *προσωποληψίᾳ* ducat, quod Deus optimus maximus dicens inducitur: »Jacobum dilexi, Esavum autem odio habui« (Malach. I, 3. ad Rom. IX, 13),

meminerit is, velim, nullam esse apud Deum *προσωποληψίαν* (Rom. II, 11), et oraculum Rebeccae datum, id quod verba ipsa declarant, non ad personam Jacobi pertinere, sed ad nascentem illam ecclesiam, quae veram relligionem tueretur et promulgaret, cujus autem descriptio in nomine *Isra-el,* postea Jacobo indito, videatur latere. In Jacobo enim Deus elegerat et praedestinaverat omnes eos, quibus ratio ac via consequendae probitatis innotesceret, ita ut per eorum ministerium porta aperiretur ad occlusum Edenis hortum, ut homo iterum fieret, quod initio factus erat, *probus* (יָשָׁר), et ad divinam imaginem conformis in bonis operibus sancte ambularet. Similiter Apostolus proclamat (Eph. I, 4 sqq.) Deum elegisse nos omnes Christianos in Christo ante jacta mundi fundamenta, quia vellet omnia in filio suo instaurare; nos autem vocatos esse et praedestinatos secundum ejus propositum, qui omnia operetur pro suae voluntatis consilio (*ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, — κατὰ εὐδοκίαν ἣν προέθετο ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν Χριστῷ — ἐν ᾧ ἐκλήθημεν προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ*). Quum igitur alio loco affirmet idem Apostolus (Rom. VIII, 30) Deum vocasse eos, quos praedestinasset (*οὓς δὲ προώρισεν τούτους καὶ ἐκάλεσεν*), illud Philippus Melanchthon optime refert ad praedestinatam Christi Ecclesiam (Op. vol. IV, p. 154); ait enim: »attexit splendidissimam amplificationem de conservatione Ecclesiae in hac tanta deformitate, et in his confusionibus et ruinis regnorum; quasi dicat, quanquam omnia minantur interitum, tamen scitote Ecclesiam curae esse Deo, et non interituram esse; orditur igitur ab electione, ut nos commonefaciat de perpetuo consilio Dei et de conservatione ecclesiae, quasi dicat, scitote esse Ecclesiam electam propter Filium. Semper aliqua haereditas erit Filii Dei in genere humano. Et haec electa Ecclesia praedicatione colligitur, et fit justa et ornabitur aeterna gloria.

Mox igitur monet, ubi electi quaerendi sint, scilicet in coetu vocatorum. Ideo, inquit, *quos elegit, hos et vocavit.*« Electio igitur et praedestinatio Dei non ad singulos homines pertinent, sed ad perpetuam illam Ecclesiam, quae viam salutis monstrat atque aperit. Nam ut Gulielmus Occam docet: »quicunque est praedestinatus est contingenter praedestinatus, et per consequens potest damnari« (Lib. I. dist. 40. quaest. 1). Quod si universam Ecclesiam spectamus, hanc, Melanchthonem sequentes, de effectu electionis teneamus consolationem — »Deum volentem non perire totum genus humanum, semper propter Filium per misericordiam vocare, trahere; et colligere Ecclesiam, et recipere assentientes, atque ita velle semper aliquam esse Ecclesiam quam adjuvat et salvat« (Loci Theolog. de Praedestinatione). Articuli illi XXXIX, qui fidem Anglicanam exhibent, aperte docent tam in veteri quam in novo Testamento, per Christum, qui unicus est Mediator Dei et hominum, »aeternam vitam *humano generi* esse propositam« (Art. VII); et, Melanchthonem paene ad verbum sequentes, voluntatem Dei proclamant, quam in verbo Dei habemus diserte revelatam, scilicet, Deum velle omnes homines salvos fieri. Quum igitur promissionem sempiternae vitae tanquam generaliter propositam amplectamur, haud immerito concludebat venerabilis ille Ecclesiae Hibernicae antistes, Ricardus Laurence, doctores nostros toto corde repudiasse exsecrandum illum Joannis Calvini Stoicismum, quem alii quidam nobis injungendum censent (Bampton Lectures for 1804).

Gemelli fratres, quorum historia et fortuna in hoc Fragmento describuntur, non modo duas nationes denotant, verum etiam, ut vidimus, duas easque inter se contrarias credendi et agendi rationes. Licet igitur exspectare, ut nomina ipsorum non modo ethnographicam utriusque *ἐπωνυμίαν,* sed mores, quos prae se ferunt, quadamtenus saltim exprimant. At in textu, quem habemus, Masorethico, nonnisi gentiles habemus majoris fratris

designationes. Vocatur enim *Esavus* (עֵשָׂו) i. e. *pilosus, hirsutus,* nomine ipso, ut videtur, denotante montanum illum tractum *Seir* (שֵׂעִיר) i. e. *pilosum* in confiniis Idumaeae, qui nomen suum a *sylvestri, horrida,* et *arboribus obsita* regione, a mari mortuo ad sinum Aelaniticum porrecta, derivavit. Vocatur etiam *Edomus* (אֱדֹם), i. e. *rufus,* a colore istius terrae *rubro, fusco,* et *subnigro,* quo a flaventibus conterminae Arabiae arenis distinguitur. Has appellationes scriba Masorethicus vel ad corporis indolem refert vel aliam interpretationem injicit. Ita עֵשָׂו et אֱדֹם primum eo referuntur, quod filius natu major *rufus* erat totusque uti pallium *hirsutus* (Gen. XXV, 25). Deinde vero alia alterius cognominis significatio excogitatur, et אֱדֹם deducitur a *rubedine* lentium, quarum cortices sunt rubri, quia pro tali cibo Esavus aetatis praerogativas vendidisset (Gen. XXV, 30). Has explicationes, seriores illas quidem nec satis inter se consentientes, nullius pretii esse, quivis viderit. Contra certissimum est עֵשָׂו et שֵׂעִיר synonymos esse sylvestris Idumaeae descriptiones, אֱדֹם autem ad solum ipsum referendum. Sed, ni fallor, demonstrari potest *πολυώνυμον* illum Idumaeorum patriarcham aliam quoque appellationem habuisse, quae ad mores ipsius et vitae rationem spectaret. Esavo enim declarat Isaacus עַל־חַרְבְּךָ תִחְיֶה, *super gladium tuum vives,* ubi ad praepositionem עַל conferunt Deuter. VIII, 3: »non *super panem* (עַל־הַלֶּחֶם) tantum vivet homo.« Ad rem quod attinet, bene observat Rosenmüllerus: »non hoc tantum indicari videtur eum sibi victum paraturum gladio, armis, bello, aut vexatione, aut praeda ab hostibus parta, sed quum ei assidua bella sint cum aliis populis futura, ipsum suam vitam ab illis gladio suo asserturum. Sic etiam Josephus (B. J. IV, c. 15) Idumaeae gentis indolem describit: *θορυβῶδες καὶ ἄτακτον ἔθνος, ἀεί τε μετέωρον πρὸς τὰ κινήματα καὶ μεταβολαῖς χαῖρον, πρὸς ὀλίγην δὲ κολάκειαν τῶν δεομένων τὰ ὅπλα κινουν, καὶ καθάπερ εἰς ἑορτὴν εἰς*

τὰς παρατάξεις ἐπαγόμενον.« Quae quum ita sint, per mihi mirum videretur, si conditor gentis Idumaeae nullam appellationem haberet, quae nationem praedae et militiae deditam exprimeret, nullam praeter designationes illas sylvestris et rubrae regionis. Fieri potest ut sanguinis quandam significationem ex Edomi nomine expisceris, veluti quum Jesaias hoc nomen ad effusum cruorem refert (LXIII, 1—3), aut quum Hieronymus *(de nominibus et locis sanctis)* loquitur de *Adommim,* quondam villula in sorte tribus Judae: »qui locus«, inquit, »usque hodie vocatur *Maledomim:* et Graece dicitur *ἀνάβασις πυῤῥῶν:* Latine autem appellari potest *ascensus rufforum* sive *rubentium,* propter sanguinem qui illic crebro a latronibus funditur. Hujus cruenti et sanguinarii loci Dominus quoque in Parabola descendentis Jerichum de Hierosolyma recordatur.« Quod si tota illa Idumaeae regio tam atrocem designationem propter crebra homicidia portaret, vix credibile est illam per se satis simplicem etymologiam omnes scriptores sacros latuisse. Jam vero breviter exponam, quae me argumenta impulerint, ut credam *Lamechi* nomen, quod utramque Patriarcharum antediluvianorum genealogiam invasit, ibique alienum fundum usucapione obtinuit, Idumaeorum proavo restituendum esse, atque optime congruere cantilenam illam, quam de feroci parvarum injuriarum ultione, cum universa Esavi Idumaeorumque historia.

De Lamecho illo haec dumtaxat prodita sunt. Filius fuit *Methushelachi,* et duas duxit uxores *Adam* et *Tsillam.* De tertia *Esavi* uxore, Ismaeli filia, non constat utrum ea *Machalatha,* (Gen. XXVIII, 9) an *Basmatha* (Gen. XXXVI, 3) appellaretur. Sed Elonis filia, quam primam duxit, *Ada* (עָדָה) vocabatur (Gen. XXXVI, 2), et occupabat etiam secundam illam Ismaelitidis designationem בָּשְׂמַת, quae aromatum odorem refert. Quum nulla sit *Judithae* (יְהוּדִית) nec patris istius Beeri Chittaei (Gen. XXVI, 34) mentio in altera uxorum enumeratione,

ubi secunda uxor inducitur *Oholibama* (אָהֳלִיבָמָה), filia Anae Chivvaei (Gen. XXXVI, 2), crediderim unum dumtaxat ex Esavi soceris Chittaeum fuisse, illiusque filiam, sive is *Elon* sive *Beer* nuncupabatur, nomen nobilitatis עָדָה *superba*, vel יְהוּדִית *laudabilis* gessisse; בָּשְׂמַת autem Ismaelitidem fuisse; et Chivvaeam *Oholibamam* i. e. *tentorium excelsi*, si aliud cognomen habuit, appellatam fuisse *Tsillam* i. e. *umbram*. Nam ex mente gentium orientalium in unam notionem confluunt *umbra* et *tentorium* sive *domus*, quae tutelam ab aestu ministrat. Ita מְצִלָּה est *locus umbrosus* sicut *tabernaculum ex frondibus factum*; et hospites, qui praesidio domus alienae utuntur, dicuntur esse *sub umbra* (בְּצֵל) tecti (Gen. XIX, 8). Si igitur duae priores Esavi sponsae *Ada* sive *Jehudith*, et *Tsilla* sive *Oholibama* appellatae sunt, Lamechus ille, qui in duabus genealogiis nullam sedem habere potest, fit saltim Esavo *ὁμόσπορος*, vel earundem uxorum maritus. Sed Esavus gladio suo vivebat, et Lamechus fuit Methushelachi filius, vel patrem habuit מְתוּשֶׁלַח i. e. *virum hastae* i. q. *Martem Quirinum*. Scilicet, illud erat, secundum Hebraeorum dictionem, satis aptum cognomen viri militiae dediti et hasta sua victum quaeritantis; nam בֵּן saepe nihil aliud est, quam vocabulum notans alumnum et professorem alicujus virtutis, vitii, artis, et quae sunt similia. Ita בֶּן־חָיִל i. e. *filius roboris* est *bellator*. Et *filius viri-hastati* denotare potest Esavum semper bellantem et praedantem. Praeterea, quoniam קַיִן hastam denotat, Lamechus non modo filius hastati appellari potuit, sed etiam אִישׁ קַיִן *homo hastae* vel בֶּן קַיִן *filius hastae*, unde ille locus inter posteros *Qaini*. Nomen לֶמֶךְ ex Hebraeo sermone explicari non potest. Ewaldus ait (Gesch. des Volkes Israel I, 315): »die Wurzel למך, in den gewöhnliehen Sprachen ungebräuchlich, mufs mit لمأ, ܠܡܟ, תָּמַךְ zusammenhangen, welche alle ein Ergreifen und Rauben ausdrücken.« Haec etymologia cum Esavo optime congrueret, et satisfaceret plerisque rei ipsius conditionibus. Sed tota causa perspecta, aliam viam,

difficiliorem illam quidem ac longiorem, inire decrevi. Nam si collectio haec Jasharana Solomone regnante conflata est, opus est quaerere, qui homines tunc temporis עַל־חַרְבָּם *super gladium ipsorum* viverent? quinam *viri-hastati* progenies appellari possent? Et ad armaturae genus quod attinet, Israelitarum reges et bellatores non gladio aut hasta, sed curribus vecti et sagittis armati bellum profligabant. Si quosdam exceperis, ut Saulum, illi profecto graviorem armaturam a Philistaeis mutuabantur, qui, ut satis constat, propter crebras Cretensium et Cypriorum immigrationes Graecam *πανοπλίαν* gestare didicerant. Ita Goliathus et Saulus clypeum habent et armigerum; ita alius procerae staturae Philistinus, cum ingenti hasta et novo gladio cinctus in proelio Nobensi inducitur (2 Sam. XXI, 16). Ceteroqui Israelitae adversus Philistaeos pugnantes *ἐπάγουσι δουρικλύτοις ἀνδράσι τοξόδαμνον Ἄρην* (Aesch. Pers. 85). Quum autem gravis armaturae milites conspicuam praestantiam sibi vindicarent, Davides, qui ipse super gladium suum, eumque Philistaeum Goliathi gladium (1 Sam. XXI, 9), vixerat, qui autem plurimum habuerat cum Philistaeis commercium, posteaquam rex factus est, peregrinos quosdam satellites mercede conduxit, qui quum הַכְּרֵתִי וְהַפְּלֵתִי i. e. *Cretenses et Philistaei* appellentur (Ewald Gesch. des Volkes Israel I, p. 292), constat Davidem mercede conciliasse fortes illos et bellicosos maris mediterranei incolas, qui similia stipendia apud Psammitichum in Aegypto merebant (Herod. II, 152). Hos autem *δορυφόρους* gladio quoque cinctos fuisse, quem Graeco nomine *μαχαίρᾳ* designabant, vel ex eo deducimus, quod unus inter fortissimos Davidis milites appellatur: חֵפֶר הַמְּכֵרָתִי i. e. *Καῦρος ὁ μαχαιροφόρος, Chepherus gladiator* (1 Paralip. XI, 36) [1]. Nam מְכֵרָה idem esse ac *μάχαιραν* satis ostendit Gen. XLIX, 5: כְּלֵי חָמָס מְכֵרֹתֵיהֶם, *gladii* i. e. *μάχαιραι eorum sunt arma* (cf. Gen. XXVII, 3. Deut. I, 41.

[1]) Vide Excurs. IV ad fin. libri.

Jud. XVIII, 11. Ps. VII, 14) *violentiae,* ubi R. Elieser in Pirke Aboth c. 38: יעקב קלל את חרבם בלשון יונית, »Jacobus *gladio* (חרב) eorum lingua Ionum imprecatur«. Si igitur Graecum gladium Graeco vocabulo designatum eo tempore gerebant mercenarii Davidis milites, Graeca virorum nomina penitus ignota non erant. Sed inter bellatoris epitheta nihil magis conveniret viro super gladium viventi quam antiquum illud et paene obsoletum vocabulum *λάμαχος,* quod Hesychius reddit *ἄμαχος, ἀκαταγώνιστος,* quo utrum cognomine an a parentibus dato uteretur veteranus ille Atheniensium dux, ambigi potest. Ipsa vocabuli forma, cum praefixo *λα,* ostendit hanc vocem ad Pelasgicas linguae Graecae relliquias referendam esse, et in ore Carum, Cretensium, aliorumque insulanorum usque ab antiquissimis temporibus volitare potuisse. Lamecho autem aliquam saltim cum Cretensibus affinitatem tribuendam esse patet ex eo, quod pater fabri ferrarii תּוּבַל קַיִן appellatur (Gen. IV, 22). Demonstravit enim Eduardus Röth (Gesch. unserer abendländischen Philosophie. Mannheim 1846 not. 28), fabros istos *Telchines* et *Dactylos,* quorum tantae sunt partes in Creta, Rhodo, aliisque maris mediterranei insulis, ad nomen תּוּבַל קַיִן non obscure significare. Nam *Tel-chin* compositum est ex תֵּל, תּוּל, *mons,* vel תֵּבֵל, תּוּבַל, *terra,* et קַיִן = Arab. قين *cudere ferrum;* et *Dac-tylus* est Graece conversa forma semitici compositi ex eodem תּוּל et verbo דָּכָא, Piel דִּכֵּא *confringere.* Ex hac inductione verisimillimum est, ut mihi quidem videtur, Lamechi nomen Pelasgicae prosapiae esse, et spectasse ad bellicosam illam violentiam, quam Cantilena sua profitetur, quae optime conveniret cum Esavo, ut qui victum gladio peteret et fratri suo mortem minitaretur, quam tamen Jacobus, qui יָשָׁר fuit, et mitiorem, ut par erat, indolem prae se tulit, fere Graeco sermone utens, gravissima maledictione condemnat (Gen. XLIX, 5). Illud autem maximi momenti est, ut in hac narratione summa dis-

crepantia inter Esavum et Jacobum emineat. Quam quo tandem pacto melius efficies, quam si hanc ultionis et vindictae professionem verorum Israelitarum relligioni oppones, quae aperte vetuit ne quis vicinum suum odio haberet? Quid de hac re senserit Dominus noster aperte declaratum est eo loco, qui ad Lamechi cantilenam haud obscure respicit (Matth. XVIII, 22) [1].

Ceterum ad reliqua transeo. Tria sunt nomina quae cum Jacobi historia arcte conjuncta sunt, *Beth-el, Isra-el, Penu-el* vel *Peni-el,* quorum priora duo non semel explanantur. Quum tamen in simplici poematum ratione, qualis fuit Jasharana collectio, vix fieri possit, ut plures incurrant ejusdem nominis significationes, quaerendum est, utra sit antiquior atque idcirco verior utriusque vocabuli relatio. Jam vero designationem *Beth-el,* i. e. »Domus Dei« optime quadrare in somnium illud Jacobi, ubi vidit »scalam terrae innixam, et coelum pertingentem, per quam Dei ministri ascendentes et descendentes conspiciebantur, ex summa autem scala Jehova ipse dormientem Patriarcham alloquebatur« (Gen. XXVIII, 12, 13), omnes concedant necesse est. Nam ut taceam de vere relligiosa et fere sublimi illa Jacobi exclamatione: »quam terribilis est hic locus! haec est aedes Dei, haec est porta coeli« (ibid. 17), meminisse oportet tabernaculum foederis in urbe *Bethel* sedem habuisse (Jud. XX, 18. XXI, 2. 1 Sam. X, 3); scilicet, hoc loco, ex mente priorum Israelitarum, benedictio illa Shemi ad finem evecta est; ibi enim *Deus in tabernaculis Shemi habitabat.* Atque hanc visionem ad venturum illud tempus prospexisse, ubi altiore sensu Deus inter Israelitas *ἐσκήνωσεν,* auctor est Jesus ipse, qui de Christianismo inter homines ope Divini Spiritus constituto loquens sic fatus est: *ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα*

[1]) Neminem latebit geminas illas cantiunculas, quas quarto huic Fragmento inserui (Gen. IV, 23, 24. XXV, 23), proprio quodam artificio eundem auctorem prodere.

καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου (Joann. I, 52)[1]. Itaque diversae illae ac discrepantes traditiones de impositione nominis *Bethel,* quae bis in eodem capite (Gen. XXXV, 7, 15) inveniuntur, seriorem nec satis doctum interpretem sapiunt. Immo vero, ut in ipsa Fragmenti hujus constitutione vides, posteriorem illam clausulam ad impositionem nominis *Peniel* confidenter trahendam censeo, et ejecto versiculo 15 capitis XXXV, illuc transfero vers. 30 cap. XXXII. Atque hanc loci redintegrationem verisimillimam esse, cuivis facile patebit. Nam ex Palaestina *discedens* Deum in somnio tantum atque in summa scala i. e. in coelo viderat Jacobus; ex Mesopotamia autem *reverso* (XXXV, 9) Deus Jacobo *apparuit* (ירא) et postea *ascendit* (יעל) ab eo, ita ut symbolum vel angelus divinae praesentiae in terra esset (v. 13). Prioris igitur *θεοφανίας* locum »Dei *aedem*« appellabat; alterum hunc debebat »Dei *conspectum*« nuncupare, nam פני est *persona* vel *praesentia* alicujus (2 Sam. XVII, 11). Et ne obliviscaris locutionem illam לפני יי, quae non modo praesentiam Jehovae (ut ante tabernaculum Exod. XXXIV, 34. Levit. IX, 5. XXIII, 40. Jud. XXI, 2), sed favorem ejus et approbationem denotat; inde legimus רצון לפני יי *favor coram Jehova* (Exod. XXVIII, 38), התהלך לפני יי, *vitam gerere Deo gratam et acceptam* (Gen. XVII, 1), haud aliter quam quum veri Israelitae jubentur facere id quod *probum* (הישר) et bonum est ante oculos Jehovae (בעיני יי Deut. VI, 18). Ita nomen *Penu-el* vel *Peni-el* denotat illum *propitii* ac *praesentis* Dei favorem, quem haec ipsa benedictio ei promittit, qui nomine *Isra-el* designatur. Supra demonstravimus hanc Jacobi appellationem ad utramvis cognatarum radicum ישר et אשר reduci posse. Ex mente scriptoris nostri ad benedictionem spectat, et posteriorem

[1]) Quum Jacobus ad *Beth-u-el* iter faceret, tunc temporis quum ad *Bethel* perveniret, ibi quoque eandem notionem latitare credideris.

radicem proxime respicit. Forma autem vocabuli propius accedit ad יָשָׁר, et fieri potest ut ambae notiones in composito *Isra-el* contineantur; nam qui *probitatem* colit coram Deo, is certe a Deo *favorem* et *benedictionem* accipit. Haud absimili cogitationum societate vocabulum אֱמֶת, ut satis notum est, non modo *fidam* Dei benevolentiam, verum etiam piam hominis *fidem* complectitur.

Et sic fauste ac feliciter explicit secunda Jasharani libri pars. Prima nobis exhibuerat hominem, qui *probus* (יָשָׁר) factus esset, a Deo desciscentem, propter carnis concupiscentiam. Hic via aperitur, per quam homo iterum *probus* fiet. Ibi in imagine Dei creatus ad inferiorem conditionem labitur homo. Hic Deus pollicetur se inter homines tabernaculum suum positurum. Ibi e conspectu Jehovae (מִפְּנֵי יְיָ, Gen. IV, 14) exulat Adamus, et portae Edenis occluduntur. Hic *Peniel* i. e. *facies, praesentia,* et *favor* Jehovae iterum inter homines constituitur, et scala a coelo descendit per quam *pii* ac *probi* homines ad veram *Bethel,* i. e. Dei aedem, sint ascensuri.

PARS TERTIA.

Aegypto elapsi probi Israelitae post quadraginta annos in deserto absumptos multasque alias fluctuantis fortunae vicissitudines in terra tranquillitatis sub pacifico rege Solomone Jehovae aedem consecrant.

Gen. VI. [5-14] Quum tota terra nequitiae diluvio obruta jaceret,
Israel autem probe ac relligiose ambularet,
Decrevit Jehova ut e tumultuantis Rahabae fluctibus ereptus
In terram tranquillitatis demum perveniret.
Arca igitur Jehovae jussu constructa est, qua super fluctus terrenae nequitiae navigaret.
Gen. VII. [6, 11] Israel autem annum agebat sexcentesimum [1]), quum in arcam ingressus est.
[12] Per desertum, tanquam per maris aequora, quadraginta annos vagabatur.
Gen. VIII. [6] Quum autem transiissent illi quadraginta anni,
[7] Israel dimisit corvum [2]), [ut sedem tranquillam exploraret];

---

1) Exactis numeris 215 anni computantur a patriarchis ad Josephum, 430 autem a Josepho ad Exodum, quod vago numero 600 annos complet (vide Bunsen Aegypten I, p. 214, 5).

2) Corvus (עֹרֵב) sive *ater* nuntius denotat ignavos illos exploratores, qui deterrebant Israelitas quominus promissam terram primo impetu invaderent (Num. XIII, XIV).

Qui avolabat quidem et rediit, sed nullum nuntium reportabat.

Gen. VIII. [8] Ergo post intervallum temporis emisit columbam [1]),

[9] Quae quum tranquillam sedem invenire non posset,
Rediit ad arcam, atque ibi iterum recepta est.

[10] Quum tamen aliud intervallum [2]) praeteriisset,
Israel iterum columbam illam emisit,

[11] Quae vespertino tempore ad eum rediit,
Oleae folium viride, quod decerpserat, in rostro tenens.

[12] Sed alio intervallo praeterlapso tertio eam emisit,
Quae non amplius ad arcam illam rediit.

[11] Intellexit igitur Israel inquietos illos fluctus tandem resedisse,

---

[1]) Columba (יוֹנָה) sive *albus* nuntius denotat veros quoscunque Israelitas, qui in terram tranquillitatis ingredi summo studio nitebantur. Ita in titulo Ps. LVI, populus Israelitarum exul vocatur יוֹנַת אֵלֶם רְחֹקִים »muta columba remotorum«; cf. Psalm LXXIV, 19. Et Davides ipse tranquillam sedem desiderans se tanquam columbam ad remotas regiones avolantem describit; Ps. LV, 7, 8, ubi legimus אַרְחִיק.

[2]) Textus habet *septem dies* (שִׁבְעַת יָמִים), sed hoc significat potius intervallum inter duo sabbata, i. e. duas tranquillitatis epochas, quam septem dies noctesque. Has periodos variae diuturnitatis fuisse patet, si ad Judaeorum historiam rem referas. Nam intervallum inter primam et secundam columbae avolationem spectat ad tempus quod elapsum est inter Joshuam et Samuelem; secundum intervallum complectitur periodum inter Samuelem et Davidem, qui primus cogitavit de templo Jehovae exstruendo, et ad quem olea, venientis pacis nuntia (Virg. Aen. VIII, 116. Soph. Oed. Col. 699. Liv. XXIV, 30. 2 Maccab. XIV, 4), tam *sero* i. e. *ad vesperum* reportata est; tertium intervallum descendit ad Solomonem, verum illum *Noachum* sive virum requietis, quo demum regnante Davidis consilium ad eventum suum perlatum est. Hoc Fragmentum adeo lacunosum erat et corruptum, ut conjectura in unoquoque versiculo adhibenda esset. At sensum saltim, si non verba, mihi restituisse videor.

Gen. V, 29. Se autem virum requietis (*Noachum*) factum esse;
Gen. VIII, 4. Et tranquillam sedem in monte sanctitatis nactus
Ibi requievit mense septimo, decimo septimo die mensis;
1 Reg. VI. Ibi **domum Dei** (*Bethel*) magnificam aedificavit;
1 Reg. VIII, 48. Ibi **coram Deo** (i. e. in *Peniel*) perpetuo versans,
Deut. VI, 18. Et id quod **probum** est et **bonum** faciens,
Ps. V, 8. cf. Ps. XLVIII, 9. Jehovam in sancto suo templo relligiose venerabatur.

COMMENTARIUS.

Rem ipsam undique contemplantes constituamus necesse est diluvii Noachani historiam ex triplici materie conflatam esse. Primum enim spectat ad veram aliquam aquarum inundationem, quae, quum homines adhuc recentes ex Armeniae montibus ad palustres Mesopotamiae regiones descendissent, complures, si non plerosque, submersit et suffocavit, paucos autem, quibus illud suffugium pateret, ad altiorem regionem redire coegit. Secundo, denotat non modo Israelitarum per mare et deserta in terram tranquillitatis adventum, verum etiam securam illam Jasharanae relligionis constitutionem, quum regnante Solomone arca foederis in splendida aede collocata est. Tertio, auctore Apostolo Petro, quasi figura describit illam Baptismi regenerationem qua omnes Christiani a terrenae nequitiae fluctibus servantur et ad sempiternam tranquillitatem pertingunt. Ex tribus his diluvii significationibus scriptor Jasharanus nonnisi secundam, primo saltim oculorum obtutu, contemplatus est. Historica illa inundatione tanquam substructione utebatur, et Christianorum initiationem coelesti quodam mentis instinctu prolatus augurari potuit. Sed ut Noachi nomen et res quae describuntur indicant, ad Israelitarum arcaeque sacrosanctae in promissa tellure securam

tranquillitatem lectorum considerationem dirigere voluit. Ceterum singula persequamur.

I. Si gens humana in Armenia orta est, verisimillimum est prima migrationis flumina in Asiam minorem derivata esse. Postea vero credibile est homines in campos Mesopotamiae paullatim descendisse, qui, si geologos audimus, lutulenta et coenosa alluvie colliti erant, per quam segniter decurrebant amnes variis lacertorum generibus scatentes, dum *deinotheria* quae vocantur passim se ad ripas immensis dentium ancoris religabant. In tali telluris ingenio assidui imbres sub finem auctumni paludosum solum in ponti aequora convertere poterant, ut, ubi sparsi homines suas pecudes agebant, mare proruptum cum vasto murmure surgeret et pelago sonanti arva opprimeret. Quodsi in tanta strage plerique omnes incolae funditus periissent, pauci autem cum suis familiis et armentis vel in cymba qualicunque vel per inferiora montium juga in Armeniam elapsi essent, quid naturae magis consentaneum quam hos ubique narrasse et memoriae prodidisse se suosque divina providentia adjutos ab instanti pernicie salvos esse, ceteros vero homines propter impietatem sub fluctibus illis demersos? Quum nulla in textu Masorethico miraculi significatio sit, plane atque aperte dicimus fieri non posse ut diluvium Noachanum ad totum orbis terrarum pertineret. Nam ut tradit scriba noster, singula paria de singulis animalium generibus, cum necessariis alimentis, in arca, cujus longitudo CCC., latitudo L. et altitudo XXX. cubitorum definitur, per dies ad minimum CX. continebantur. Jam vero, ut physicus quidam nobis auctor est, si pisces et infusoria omittimus, CCCIƆƆƆ . CCCIƆƆƆ . CCCIƆƆƆ . IƆMM . DCCCC.XLIV. species animalium ad hunc diem innotuerunt. Itaque scriba ille aut ignorabat, quot genera animalium exsisterent, aut aliud agebat, quum tantam multitudinem tantillo spatio inclusam fingeret. Sed profecto vel nimio otio abutetur is, qui veteres Hebraeos in scholis ho-

diernae philosophiae examini subjiciendos judicat. Qui enim pro coelo cogitabant רָקִיעַ quoddam sive firmamentum, »quod firmi hemisphaerii instar« (Gesenii verba sunt) »super terrarum orbe expansum, sapphiri instar splendens et pellucidum describunt Hebraeorum poetae, cui sidera affixa sunt, et super quo oceanus coelestis exsistat apertis firmamenti cancellis pluviam demittens in terram«, ii sane non ulterius progressi sunt in physicis disciplinis, quam veteres illi Graeci qui similiter *οὐρανόν* i. e. *expansum*, et *ὠκεανόν* i. e. *rapide circumeuntem fluvium* fingebant (New Cratylus § 259). In historia igitur et philosophia naturali nullus est generali diluvio locus, neque illud quidquam ad relligiosam hominum cognitionem promovendam contulerit.

II. Quemnam huic narratiunculae sensum subjecerit vates ille Jasharanus certissime apparebit, si Noachi nomen etymologica ratione scrutabimur. Is utique, qui Genesin exhibuit, qualis ad nostram diem pervenit, hanc praebuit Noachani nominis explicationem: וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ נֹחַ לֵאמֹר זֶה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ, »et vocavit nomen ejus *Noach*, dicendo, hic consolabitur nos ex opere nostro etc.« (Gen. V, 29). Is igitur, quum ad verbum נָחַם respexerit, pro נֹחַ i. e. *quies* debuit נַחוּם i. e. *consolatio* sufficere; alioqui pro יְנַחֲמֵנוּ reponendum est יְנִיחֵנוּ i. e. *nobis quietem parabit*. Atque hanc lectionem, quam secuti sunt LXX., qui *οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς* vertendo reddunt, verissimam esse existimabit, quicunque in Hebraismo non plane hospes versatur. Nam certissimum est vocem נֹחַ a radice נוּחַ, *requiescere, considere, demittere se* derivatam esse. Atque ad hujus verbi mentionem illico convertimur ad varios locos ubi hac radice exprimitur quies post errationes et labores. Ita Noachi arca, undis per tot dies jactata, tandem *requievit* (תָּנַח) super montes (Gen. VIII, 4), sed columba, ex arca emissa; non potuit invenire *quietem* (מָנוֹחַ) pedi suo (Gen. VIII, 9). Terra sancta, in qua populus Dei tandem requievit, vocatur passim מְנוּחָה vel

habitatio tranquilla, et Deus Adamum *requiescere fecit* (הִנִּיחַ) in Edene, qui hortus similem tranquillitatis sedem significat (Gen. II, 15). Eodem nomine designatur templum Dei, in quo Jehova *tranquillam* sedem sibi delegit (Ps. CXXXII, 8, 14. Jes. LXVI, 1). Denique Solomo ipse, qui summa pace fruens, tranquillitati Israelitarum quasi fundamentum supposuit, et arcam Dei in templo destinato collocavit, vocatur, ut supra vidimus, אִישׁ מְנוּחָה i. e. *vir tranquillitatem amans et paci deditus* (1 Paral. XXII, 9)[1]. Si igitur eas cogitationes repraesentare volumus, quae piis Israelitis ultro obversabantur, quoties Noachanum nomen considerabant, dubium non est quo animos mentesque nostras intendere debeamus. In primis spectabant ad terram promissae tranquillitatis, in quam, post quadraginta annos in deserto absumptos et saecula aliquot in Aegyptiaca servitute emensa, demum pervenerunt. Sed ibi perpetuis tempestatibus jactatum a Midianitis, Philistaeis, ceterisque hostibus, requiem minime absolutam consecutum est divini foederis vehiculum, donec, regnante Solomone, principe illo pacis, arca divinis praeceptis referta in templo magnifico super Tsione, sacro Dei monte, sedem certam et tranquillam nacta est. Hanc sententiam piis Israelitis familiarem fuisse ostendunt testimonia quaedam, quae neminem adhuc interpretum adverterunt. Primum, illud ad hanc opinionem respicit, quod annalium scriptor (1 Reg. VI, 1) data opera enumerat quot anni elapsi essent post exitum Israelitarum ex Aegypto quum aedes Jehovae aedificari coepta sit. Nam totum illud tempus ad errationem vel nondum absolutam requiem referre voluit. Deinde vero, quum jam perfectum esset regium illud ac relligiosum opus, Solomo convocavit omnes Israelitarum proceres Hierosolymam ad transferendam arcam legis in templum Jehovae, »quod factum est in festo mensis *pluviorum cadentium* vel *Etha-*

[1]) Qui hunc versum cum Gen. V, 29 comparaverit, eundem utrobique stylum deprehendet.

nim, qui est septimus« (1 Reg. VIII, 2). At quidnam fuerit illud septimi mensis festum? Duae erant in hoc mense feriae — nempe, *dies expiationis* (יוֹם הַכִּפֻּרִים), quae decimo die mensis celebrabatur (Levit. XXIII, 27), et *festum tabernaculorum* (חַג הַסֻּכּוֹת), quod a quinto decimo die incipiens per septem dies durabat (Levit. XXIII, 33 sqq.). Illud igitur κατ᾽ ἐξοχὴν erat septimi mensis festum, quia plenam istius mensis hebdomada obtinebat. Nec dubium est quid festo tabernaculorum commemoraretur. Nam in libro Levitico sic scribitur (XXIII, 41 sqq.): »mense septimo festa celebrabitis et habitabitis in umbraculis septem diebus, omnis qui de genere est Israel manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, quum educerem eos de terra Aegypti.« Scilicet, prima statio longae istius peregrinationis, quae in terra Goshenis incipiens non cessavit donec in terram tranquillitatis per mare et arenas vagantes pervenirent Israelitae, nuncupabatur סֻכּוֹת i. e. *casae* vel *tabernacula* (Exod. XII, 37), quia ibi coeperunt, nomadum instar, tentoriis habitare, quasi in terra domibus negata. Nullam igitur commemorationem itineris sui meliorem habere potuerunt, quam istud festum, quo per septem dies errabundae vitae memoriam redintegrabant. Nec vero arca foederis certa sede requievit, donec Solomo eam ex arce Davidis in templum transferebat. Nam tabernaculum illud sacrum vel מִשְׁכָּן ita compactum est, ut circumferri posset, et imaginem indesinentis peregrinationis praestaret. Optime igitur rem suam ordinavit Solomo, qui in festo tabernaculorum aedem Jehovae inaugurandam censuerit. Quum autem festum dedicationis templi »per bis septem, hoc est, quattuordecim dies« celebratum esset (1 Reg. VIII, 65), et »tandem die tertio et vicesimo mensis septimi Solomo populum laetum atque hilarem dimiserit« (2 Paral. VII, 10), festum illud dedicationis coepit nono die mensis septimi, i. e. pridie festo expiationis. »Diem octavum tunc ut diem festum

peregerunt, nam dedicationem arae per septem dies celebrabant, deinde totidem dies festum tabernaculorum« (2 Paral. VII, 9). Ergo, si quaeris quonam die Solomo arcam foederis in tranquilla sede demum collocaverit, patet ex hac narratione diem illum octavum fuisse diem *decimum septimum mensis septimi.* Sed quid ait scriptor Jasharanus de Noachi navigio? »*Requievit* arca mense *septimo, decimo septimo die* super *montes* Ararat« (Gen. VIII, 4). Num putas hanc quietis in summo monte significationem, quae *decimo septimo die septimi mensis* eveniret, casu, an potius industria confictam esse? Si verum est, ut credo, Jasharanum librum sub Solomone publici juris factum esse, non verisimile sed certum est virum מְנוּחָה non potuisse de נֹחַ, cujus arca תָּנַח super monte die eodem ejusdem mensis mentionem facere sine ulla cogitatione de se suaque dedicatione eodem die eadem significatione celebrata inter montes Tsionis. Si igitur nulla alia similitudo intercederet, haec ipsa consensio satis esset ad veram Noachani nominis et facti interpretationem enucleandam.

Sed restant quamplurima ejusdem rei testimonia. Primum nomen illud, תֵּבָה, quo Noachi navigium designatur, ad tutam Israelitarum ex Aegypto fugam spectat. Nam certum est hanc vocem, quae bis tantum usurpatur, de arca Noachi (Gen. VI, 14) et de arcula in qua Moses puer expositus est (Ex. II, 3, 5), ad linguam Aegyptiam referendam esse. In veteri enim Aegyptorum sermone, ut in recentiore Coptica dialecto, *teba* est *arca, cista,* vel *sarcophagus* (vide Bunsen, Egypt. I. pag. 482. no. 517 ed. Angl.). Jam vero, qui Aegygtia cymba elapsi sunt, ii ex Aegypto fugam capessunt; quinetiam רַהַב, mysticum illud Aegypti cognomen, ab antiquis interpretibus Jobi (XXVI, 12) ad tumultuantem maris impetum refertur, et in loco classico quem infra explicabo (Ps. LXVIII, 23), illud ipsum carmen, quod in Solomonei templi dedicationem scriptum est, sic loquitur de promissa Israelitis tranquillitate:

Dixit Dominus ex Basanitide reducam eos,
Reducam eos ex profundo maris.

Quod ad Mosis *tebam* attinet, satis erit Julii Caesaris verbis dixisse, illam, non modo infantem Mosem, sed etiam in eo totam Israelitarum gentem ipsiusque fortunas vehere.

Deinde Israelitae, sicut Noachus, per maris fluctus, qui impios omnes refluo aestu absorpserunt, tutum iter invenerunt. Atque ut Noachus, cum familia sua, omnia animalia reportabat, ita Israelitae quoque ex Aegypto fugientes greges suos secum agebant ne ungula quidem relicta (Exod. X, 26).

Denique, ut comparatio haec ad examussim concludatur, ne numeri quidem, qui in hanc narrationem inferciuntur, a templi conditi chronologia ceteraque Israelitarum historia prorsus dissident. Qualis mihi computandi ratio satisfecerit in Fragmento ipso constituendo exhibere conatus sum. Nec aliae rationes desunt; nam numerus sexcentorum annorum, qui Noachi vitae tribuitur (Gen. VII, 6. VIII, 13), spectare potest, ex Josephi sententia (contra Apionem II, 2), ad numerum annorum, qui inter Exodum et templi aedificationem intercedebant. Ait enim: *ὁ Σολομῶν ᾠκοδόμησε τὸν ναὸν μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τοὺς Ἰουδαίους δώδεκα καὶ ἑξακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον.* Idem in Antiquit. VIII, 3 annos DXCII computat. Ita ut numero exacto DC scriba noster intellexerit hanc quorundam Judaeorum computationem, quae medium tenet inter duos a Josepho prolatos annorum numeros. Alia computatio, quam textus masorethicus 1 Reg. VI, 1 secutus est, nempe, annos CCCC.LXXX elapsos esse post Exodum, quum aedes Jehovae coepta est, ex summa ad arbitrium conficta pendet. Nam CCCC.LXXX adaequat numerum quadragenarium duodecies iteratum; numerus autem quadragenarius, ut omnibus Hebraistis notum est, vagus est numerus magnam aliquam pluralitatem denotans; et variis argumentis demonstravit Lepsius (Chronologie der Aegypter pag. 336 sqq.)

Israelitas Aegypto egressos esse regnante Menephtha, scilicet, circiter MCCC annos ante natum Christum, vel circiter CCC annos ante templum conditum. Utrum quadraginta dies, per quos imbres ceciderunt (Gen. VII, 12), ad quadraginta annos in deserto absumptos spectent, an ad alium quemvis annorum ordinem ante templum conditum, non dijudico. Sed illud est probabilius. Ceteri antem CX dies, qui ex CL deductis quadraginta illis supersunt (Gen. VII, 24), pertinere possunt ad annorum intervallum inter arcam a Philistaeis recuperatam et ejusdem in templo translationem. Tribuunt ènim Samueli XX annos, Saulo XL, Davidi totidem; quibus si adjicis VII annos Solomonis, conficitur summa annorum CVII. Sed omnis haec numerorum aestimatio scio equidem quam incerta sit, et dubitationi obnoxia. Sint isti numeri, ut sunt. Satis tamen superque constat Noachi nomen et diluvium repraesentasse fugam probi populi ex Aegypto et fluctuantem Israelitarum fortunam, donec promissam sibi suaeque relligioni tranquillitatem sub pacifico ac potenti Solomone assequerentur. Quod Noachus principio corvum, deinde vero columbam emiserit; quod ille quidem incassum avolabat et revolabat [1]), donec aquae exsiccarentur, haec autem, secundo reditu, oleae folium circa vesperam reportaverit, illud respicit, ut in ipso Fragmento significavi, ad inquietam prioris temporis historiam, quam Davidis filius, secundo regno post Saulum, tandem faustis ominibus terminavit.

III. Ad tertiam diluvii Noachani explanationem transiens illico secundae ampliorem confirmationem nanciscor. Nam prae-

---

[1]) Verba וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב (Gen. VIII, 7) multis interpretibus negotium facessiverunt. Ut mihi quidem videtur, secundaria illa praedicata (Comparative Hebrew Grammar art. 68. pag. 65) irritam illam corvi emissionem significant. Corvus ille ultro citroque volabat circa arcam, noluit autem mandatum Noachi perficere. Cf. Virgil. Georg. I, 387: »studio *incassum* gestire lavandi.«

stantissimi duumviri, Paulus et Petrus, hic diluvium Noachi, ille Exodum Israelitarum, typum fuisse testantur, qui sacramentalem Christianorum initiationem praesignificaret. Quae autem cum tertio quovis consentiunt, ea inter se consentiant necesse est. Ergo, si nihil aliud, at necessitudo quaedam, his auctoribus, inter Diluvium et Exodum intercessit. Quae qualis fuerit, ut perspiciamus, sacramentalem Diluvii significationem paullo altius rimemur. Ac Petrus quidem (1 Ep. III, 20, 21) sic loquitur de arca Noachi: *εἰς ἣν ὀλίγαι (τοῦτεστιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος, ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα* [1]) *εἰς θεὸν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Paulus autem (1 Cor. X, 1) Sacramentalem Exodi significationem ita comprobat: *οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν· καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον· καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ· καὶ πάντες τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον, καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον, ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός.* Ex utroque loco patet, aquam Diluvii et Maris Rubri fuisse *medium* atque *instrumentum* baptismi salutaris; Deus enim (Tit. III, 5) *ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου.* Fallitur autem Wetstenius (p. 692) qui potestatem praepositionis *διά* ambiguam esse affirmat, quia »in diluvio servati sunt *ex* aquis, in baptismo *per* aquam, quae salutis signum est.« Nam aqua baptismi peccati sordes abluit; aqua diluvii peccantis mundi sordes, i. e. homines nequam et

[1]) Hoc *ἐπερώτημα* ad baptizandorum abrenuntiationem pertinere postea videbimus (Part. IV, comment. ad Fr. I.). Hanc abrenuntiationem ex consilio primitivae ecclesiae ad Aegyptiacam captivitatem referre, patet ex Ambros. Hexam. I, c. 4. »Derelinquit enim et deserit qui abluitur intelligibilem illum Pharao, principem istius mundi.«

flagitiosos, absorpsit. Per baptismum homo ablutus, per diluvium mundus dilutus; per utrumque homines regenerati sunt, vel in pristinam puritatem restituti. Similiter Israelitae, quum tuti per fluctus maris rubri, qui improbos Aegyptios devoravit, ad montem Sinai pervenerunt, baptismo quodam abluti sunt. Utrobique igitur aqua fuit instrumentum baptismi vel purificationis, per quod ad novam vitam, intaminati malorum hominum consortio, pervenerunt. Utrobique Ecclesia Dei, quae tam per arcam diluvii, quam per exodum Israelitarum significatur, a reliquo mundo separata est et segregata. Nec tamen oblivisci oportet, salutem illam, quam Ecclesia praestat, non modo *per* aquam sed etiam *ex* aqua esse consummatam. Apud Graecos praesertim intima σωτηρίας notio cum maritimorum periculorum effugio conjuncta erat. Constat enim Deos, quos si non solos, at certe prae aliis, σωτῆρας appellabant, eos esse, quibus in summis tempestatum periculis vota pro salute faciebant (videas meam annotationem ad Pind. Ol. VIII, 21). Immo vero nulla est tutelae praesentis et effugii efficacior imago, quam si quis in mare tumultuosum et naufragiis scatens e littore respiciat. Unde optime poeta (Lucret. II, 1):

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem.

Quod autem ad nostram rem attinet, illud observatione dignissimum est, quod hac ipsa imagine utuntur Graeci, quum de mysteriis illis sanctissimis agitur, quae ad baptismum Christianorum tam symbolis quam sensu proxime accedebant. Multa erant profecto in illis mysteriis quae semper operta atque arcana manebunt. Sed satis notum est, hierophantas illos mystis suis multa tradidisse de immortalitate animae, et de malis tam in vita quam post mortem vitandis; neminem autem initiatum fuisse, nisi post προκάθαρσιν quamdam vel προάγνευσιν. Atque huic baptismo quaterna illa elementa adhibebant; non modo *aquam,*

quae sordes corporeas abluit, verum etiam reliqua tria, — *terram*, quae fullonibus tanto usui est ad detergendum, *ventum*, qui inutiles paleas a frumento separat ac discutit, *ignem*, qui in metallis purgandis scoriam excoquit. Christum quoque ad quadruplicem hunc baptismum spectasse satis certum est. Nam agmen ducit baptismus *aquae*, qui rite suscipientes per sepulcrum resipiscentiae ad novam vitam evehit (Rom. VI, 3, 4). Haec est *regeneratio*. Deinde, baptismum *ignis* aggredimur, in quo Spiritus Sanctus scoriam nostram excoquit et colat animum nostrum, sicut aurum aut argentum (Matth. III, 11. Malach. III, 3). Haec est *sanctificatio*. Tertio, baptismo *terrae* purgamur, quum quasi semine jacto terrae committimur, ut inde resurgamus spiritali corpore induti (Matth. XIII, 39. 1 Cor. XV, 35 sqq.). Haec est *mors*. Denique, ad baptismum *venti* accedimus, in quo judex noster quasi ventilabro suo aream perpurgabit, et, quum paleas dissipaverit, bonum frumentum in granarium suum seponet (Matth. III, 12). Hoc est *summum judicium*, quod zizania a bono semine separabit, quod bonos agnos a protervis hoedis dispescet, ad quod prospiciens unumquemque nostrum sibi ipsi insusurrare oportet:

Ergo si scis qualitatem
Tuae sortis, voluptatem
Carnis quare sequeris?
Memento te moriturum,
Et post mortem id messurum,
Quod hic seminaveris.

Sed ut redeamus ad mysticas Graecorum traditiones, non modo aqua lustrabantur (Hesych. v. *ὑδρανός· ὁ ἁγνιστὴς τῶν Ἐλευσινίων*), idque salsis fluctibus, ubi mare praesto erat (Hesych. *ἅλαδε μύσται*, Polyaen. III, 11), sed post initiationem sibi invicem acclamabant, »sese e mari in terram salvos pervenisse, et sub tecto tuti tempestatem vitae foris debacchantem audire.«

Talia enim jussi aut sponte proferebant: *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον!* (Dem. Cor. p. 313);

εὐδαίμων μὲν ὃς ἐκ θαλάσσης
ἔφυγε κῦμα, λιμένα δ' ἔκιχεν·
εὐδαίμων δ' ὃς ὕπερθε μόχθων
ἐγένετο (Eurip. Bacch. 900 sqq.).

Et, quod eodem pertinet (Soph. Tympanist. fr. 563):

φεῦ, φεῦ, τί τούτου χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις,
τοῦ γῆς ἐπιψαύσαντα κᾆθ' ὑπὸ στέγῃ
πυκνῆς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί,

quem locum citans Cicero (ad Att. II, 7) ad Lucretianum illud diserte spectat: »cupio,« inquit, »istorum naufragia ex terra intueri.«

Ita videmus Graecos quoque salutem *per* aquam cum salute *ex* aqua conjunxisse, eosdemque exodum e regione nequitiae miseriarumque et adventum in terram tranquillitatis ad purificationem illam et initiationem relligiosam rettulisse. Haud immerito igitur Paulus Israelitarum ab Aegypto fugam, Petrus autem Noachi a diluvio conservationem, cum christiani baptismi regeneratione comparabant. At enimvero caverat Petrus, ne nostram salutem et aeternae vitae reservationem quasi opere operato ex baptismo profluere existimaremus. Nam quum salutem baptismo attribuisset, addit tamen *οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν.* Aliusque auctor apostolicus conscientiam illam cum aqua baptismi copulandam censet (Hebr. X, 22): *προσερχώμεθα,* inquit, *μετὰ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως ῥεραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ.* Israelitas quoque eandem cautionem adhibere oportebat. Neque enim propter sua ipsorum merita electi sunt Israelitae, et ab Aegyptiaca servitute liberati: sed ut *probitatem* (יָשָׁר) praestarent, idololatriae contaminationem vitarent, et veram relli-

gionem conservantes rudimenta divinae illius institutionis balbutienti et infanti mundo traderent.

Sed objecerit fortasse nostratium aliquis, quid? nonne arca Noachi typus est illius Ecclesiae, quam Christus condidit, in qua certa salus est, extra quam nulla salus reperitur? Nonne omnes, qui baptismo huic ecclesiae inseruntur illico regenerati sunt; qui autem regenerati, iidem salvi? Cui respondeam: vera sunt ista, ut dicis: sed non isto, quo tu rere modo. Nam haud scio an neque *Ecclesia* neque *regeneratio* neque *salus* id ipsum significet, quod tu intelligis. *Ecclesia* Christi visibilis est coetus fidelium, i. e. eorum qui putantur fideles esse. Sed erraverunt totae Ecclesiae, et quilibet homo Ecclesiae adscriptus a veritate fidei desciscere potest, vel fidem, quam profitetur, impura vita inquinare. Ergo Ecclesia est quasi rete quoddam quod tam malos quam bonos pisces e fluctibus ad terram importet. Deinde, etsi is qui per baptismum Ecclesiae inscribitur *regeneratus* ipso facto et *renatus* est, non tamen idcirco vitalis est. Nam vita haec nostra naturalis ad spiritalem illam in quadam se analogia seu proportione exhibet. Ambae nascendo oriuntur. Natalis hora vitae illius, quae in Christo incipit, est ipsum illud momentum, quo quis per baptismum in societatem Domini nostri Jesu Christi cooptatur. Nec nova prorsus illa, atque inusitata ratio est hujusce notionis exprimendae; nam apud Brachmanas quoque is qui cuivis trium priorum classium adscribitur, quique pubertatem nactus sacrificiali resticula circumcingitur, ob eam causam *dvi-já* i. e. bis genitus appellatur, quoniam novam quasi vitam induit. Sed sanctificatio nostra, quae est quasi instauratio divinae imaginis, non necessario sequitur baptismi regenerationem; neque enim continuatio vitae naturalis omnibus, qui nati sunt, necessario confirmatur. Quoties in ipso ortu moriuntur infantes? Si sanctificatio baptismum antegrederetur, quid esset illa regeneratio? Si jam vivendum esset, ut nasceremur, si praepostera ratione τῷ

γίγνεσθαι anteponeremus *τὸ εἶναι*, quantas turbas cierent Dialectici? Eos qui fidem Christi profitentur bonis operibus incumbere et oportet et opus est. Itaque tametsi, ut Catechismus Anglicanus docet, nihil ab iis qui baptizantur requirimus praeter resipiscentiam et fidem, tamen susceptores baptizati infantis pollicentur, non solum resipiscentiam ejus et fidem, verum etiam eum« sanctam Dei voluntatem et illius mandata servaturum esse, et in iis perpetuo ambulaturum.« Nam ita demum a primo illo aquae baptismo ad secundum Spiritus baptismum, quae est sanctificatio nostra, accedimus. Denique, vocabulum *salus* vel *salvatio* duplicem, i. e. tam priorem quam ulteriorem significationem praestat. Baptizatos omnes *salvos* esse (i. e. *σωζομένους* vel qui ad salutem consequendam iter incipiunt), satis testatur locus ille notissimus, Act. Apost. II. vv. 40—47. Et symbolum nostrum Athanasianum rite declarat: »quicunque vult *salvus* esse, ante omnia opus est ut teneat fidem catholicam,« h. e. fidem de Sacrosancta Trinitate; nemo enim in Ecclesiam cooptatur nisi qui baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (Matth. XXVIII, 19). Sed idem symbolum pronuntiat: »omnes homines rationem reddituros esse de factis propriis, et qui bona egerint, ituros in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.« Est igitur ulterior vocabuli *σωτηρίας* significatio. Denotat non modo ingressionem in Ecclesiam visibilem, sed etiam conciliationem vitae aeternae. Haec autem ex introitu vel initiatione cujuslibet hominis profluere non potest; nam quod de circumcisione Paulus, idem nos de baptismo dicere debemus (Gal. VI, 15): *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις*, et quid sit illa *καινὴ κτίσις* sive nova vita jam ante docuerat (V, 6); est enim *πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, nam viva illa *fides quae per caritatem operatur* continet in se perfectionem vitae Christianae, ad quam etiam *probitas* Israelitarum pertinebat, quoniam *πλήρωμα νόμου*

η ἀγαπή (Rom. XIII, 10). Satis apparet igitur ex mente Apostoli vitam spiritalem, quae aeternam salutem conciliat, non commiscendam esse cum meris ejusdem vitae primordiis.

Atque ita transitum nobis munivimus a tertia Jasharani libri parte, quae initia salutis Israeliticae continet, ad quartam partem, quae leges divinas, quarum obedientia homines *probi* fierent, observandas proponit.

PARS QUARTA.

Leges divinae probo populo observandae.

FRAGMENTUM PRIMUM.

Decem Probitatis Praecepta.

Deut. V, 1-19. [1] Moses convocavit omnem Israelem, et sic dixit:
Audi, Israel, statuta ac jura quae vobis hodie promulgo.
Haec discite, haec ut observetis recordaminor.
[2] Jehova Deus noster foedus nobiscum in Horebo pepigit;
[3] Non cum patribus nostris pactum iniit, sed nobiscum omnibus,
Qui praesentes hodie et viventes adsumus.
[4] Coram Ille vobiscum locutus est in monte et in medio igne.
[5] Ego vero [1]) tunc inter Jehovam et inter vos stabam,
Ut Jehovae verba vobis renunciarem.

[1]) Haec verba Dathius (cujus notam Rosenmüllerus sine ulla auctoris mentione ut suam protulit) parenthesi includenda monet. Sed etsi Jehova decalogum coram populo pronuntiavit, Israelitae prae timore tremendam illam tonitru commistam vocem non intellexissent, nisi Moses praesto adfuisset, qui Dei verba exciperet et interpretaretur.

Ignem enim timuistis neque ipsi montem conscendere ausi estis.

Sic igitur dixit Jehova:

I.

Deut. V. [6] »Ego sum Jehova Deus tuus,
Qui eduxi te ex Aegypto, domo servitutis tuae:
[7] Itaque, ne colas alios deos in conspectu meo.

II.

[8] Ne facias tibi sculptile ullius figurae,
Quae in coelo sit desuper vel in terra deorsum,
Vel in aquis, quae sub terra sunt,
[9] Eo consilio ut vel adoretis ea vel veneremini.
Ego enim sum Jehova Deus tuus, Deus aemulus,
Qui quum parentium culpam super liberos rependam
Ad tertiam quartamque generationem eorum qui me oderunt,
[10] Beneficia tamen cumulem in millia generationum,
Iis qui me diligunt et praecepta mea observant.

III.

[11] Ne enuncies nomen Jehovae Dei tui in mendacii asseverationem;
Nam minime eum, qui hoc fecerit, impunitum dimittet Jehova.

IV.

[12] Observa diem requietis, ut sanctifices eum prout tibi praecepit Jehova Deus tuus.
[13] Sex diebus labora, et omnia negotia tua facesse;
[14] Sed septimus dies est requies Jehovae Dei tui,
Quo abstinebis ab omni opere, tuque et filii filiaeque tui,
Servus et ancilla et bos et asinus, et omne jumentum tuum,

Nec non peregrinus tuae domi degens,
Ut servus tuus et ancilla, aeque ac tu ipse, requiescant,
Deut. V. [15] Atque ut memineris te quoque servum fuisse in Aegypto,
Sed te inde eduxisse Jehovam Deum tuum manu valida et exserto brachio,
Et propterea voluisse ut diem requietis observares.

V.

[16] Honora patrem tuum ac matrem, sicut praecepit tibi Jehova Deus tuus,
Ut diu vivas et bene tibi sit in terra quam tibi Ille daturus est.

VI.

[17] Ne caedem committas.

VII.

[18] Neve moecheris.

VIII.

[19] Neve furtum facias.

IX.

[20] Neve falsum perhibeas testimonium ad alterius injuriam.

X.

[21] Ne concupiscas alterius uxorem;
Neve appetas domum alterius aut agrum,
Aut servum aut ancillam aut bovem aut asinum,
Aut aliam quamvis ejus possessionem.«
[22] Haec verba locutus est Jehova ad universam vestram concionem
Voce magna ex monte, e medio igne, nube, et caligine.
Ac nihil amplius effatus est, sed haec duabus tabulis lapideis insculpsit, quas mihi tradidit.

FRAGMENTUM SECUNDUM.

Medulla divinae legis.

Deut. VI, 1-5. [1] Haec sunt praecepta et statuta et jura,
Quae Jehova Deus vester vos edoceri jubet,
Ut observetis ea in terra ad quam possidendam transgredimini.
[2] Ut timeas Jehovam Deum tuum, ejusque omnia statuta et praecepta observes,
Quae jam expono tibi,
Tuque et filii tui et nepotes per omnem vitam tuam;
Atque ut diuturniorem vitam ita consequaris;
[3] Audi, Israel, et cura ut audita facias,
Ut bene tibi sit, atque ut plurimum augearis,
Sicut promisit Jehova, Deus majorum tuorum,
Se tibi daturum terram lacte et melle manantem.
[4] Audi igitur, Israel: Jehova Deus noster est unus Jehova;
[5] Hunc igitur diliges toto corde, toto animo, omni robore tuo.
Lev. XIX, 18. Et diliges vicinum tuum, ut teipsum. Jehova ipse praecepi!
Deut. X, 12-21. [12] Et nunc, Israel, quid est id quod Jehova Deus tuus petit a te?
Nisi ut timeas Jehovam Deum tuum et ambules in viis ejus,
Ut diligas eum, et servias Jehovae toto corde, toto animo,
[13] Et observes praecepta Jehovae et statuta ejus,
Quae praecipio tibi hodie, ut bene tibi sit.

Deut. X. [14] En! Jehovae Dei tui sunt coeli et coeli coelorum,
Terra et omnia quae inibi sunt;
[15] Sed tamen majores tuos tanto amore amplexus est,
Ut vos, eorum progeniem, ex omnibus gentibus elegerit, sicut hodie constat.
[16] Circumcidite igitur praeputium cordis vestri,
Nec amplius obstinate cervices vestras.
[17] Quandoquidem Jehova Deus vester est Deus deorum, et Dominus dominorum,
Deus Ille est magnus, potens, terribilis,
Qui non habet personarum respectum nec muneribus acceptis obligatur.
[18] Causam agit pupilli et viduae,
Amat peregrinum eique victum dat ac vestitum.
[19] Vos igitur amatote peregrinos,
Quoniam et ipsi fuistis peregrini in Aegypto.
[20] Jehovam Deum tuum time et cole,
Ipsi adhaere, et per nomen ejus jura.
[21] Ipse est laus tua et Deus tuus,
Qui fecit tibi magna haec et terribilia, quae viderunt oculi tui.
Deut. XI, 1-5. [1] Ama igitur Jehovam Deum tuum et observa semper mandata ejus, praecepta, statuta et leges.
[2] Novistis enim hodie, quod filii tui non experti sunt aut viderunt,
Magna ejus opera, manum ejus validam et exsertum brachium,
[3] Et signa et facinora, quae patravit in Aegypto in Pharaonem regem omnesque ejus incolas,
[4] In omnem exercitum Aegyptiorum equosque et currus,
Quomodo eos aquis sinus Arabici obruerit, quum vos persequerentur,

Et sic eos deleverit, quemadmodum hodie constat.
Deut. XI. [5] Vobisque quae fecerit in deserto, donec ad hunc locum
veniretis [1]).
7-9. [7] Oculi vestri viderunt omnia eximia Jehovae facta.
[8] Quocirca observate universa Illius mandata,
Quae ego hodie praecipio vobis,
Ut possitis ingredi et possidere terram, cujus causa
flumen trajecturi estis,
[9] Diuque in ea regione vivatis,
Quam majoribus vestris eorumque posteris jurejurando
promisit Jehova,
Terram lacte et melle manantem.

FRAGMENTUM TERTIUM.

Obedientiae inculcatio.

Deut. VIII, 1-3. [1] Unumquodque praeceptum quod tibi praecipio hodie
cave facias,
Ut possitis vivere, et multiplicari,
Et ingressi possideatis terram quam Jehova jurejurando
patribus vestris promisit.
[2] Et memor eris cuncti itineris,
Quo te Jehova Deus tuus hos quadraginta annos per
desertum duxit,
Ut te pertentando affligeret et tuum cor aperiret,

---

[1]) Compilator Leviticus aliquam de Dathani et Abirami seditione mentionem huc infersit. Sed carmen archetypum profecto nihil commemorabat praeter miram Israelitarum ex Aegypto fugam et miram eorum in deserto conservationem.

Utrum mandata Ipsius observares, annon.

Deut. VIII. [3] Ergo afflixit te, et esurire sivit,

Quum nil nisi *mannam* tibi praeberet,

Quo cibo nec tu nec patres tui antea utebamini,

Ut ostenderet tibi non pane tantum hominem vivere,

Sed quocunque alimento, quod Jehova praescriberet.

Deut. VI, 6-18. [6] Haec verba igitur, quae praecipio tibi hodie, manebunt infixa cordi tuo,

[7] Eadem liberis tuis inculcabis,

Et meditaberis ea, domi sedens et iter faciens, dormiens et consurgens.

[8] Haec alliga tanquam insignia manibus tuis;

Haec sint tanquam frontalia oculis tuis;

[9] Haec postibus et ostiis domus tuae inscribe.

[10] Quum vero Jehova Deus tuus te in illam terram deduxerit,

Quam jurejurando patribus vestris Abrahamo, Isaaco, Jacobo, promisit,

Quum tibi dederit urbes magnificas et opulentas, quas non condidisti,

[11] Domos plenas cunctarum opum, quas non exstruxisti,

Puteos, quos non fodisti, vineta et oliveta, quae non plantasti,

Quum igitur in tali copia comederis et satiatus fueris,

[12] Cave diligenter ne obliviscaris Jehovae,

Qui te de terra Aegypti, de domo servitutis eduxit.

[13] Time Jehovam Deum tuum, colito eum, jura per nomen ejus.

[14] Ne sectaminor alienos Deos, quos accolae vestri adorant;

[15] Quoniam Jehova Deus tuus tibi praesto adest Deus aemulus:

Ne quando Ille irascatur teque e tellure exstirpet.
Deut. VI. [16] Ne tentate Jehovam Deum vestrum, sicut tentastis eum in loco tentationis.
[17] Sed observa praecepta Jehovae, et testimonia et statuta tibi tradita,
[18] Et fac id quod **probum** est et **bonum** coram Jehova,
Ut bene sit tibi et ingressus possideas terram optimam
Quam Jehova jurejurando patribus tuis promisit [1]).
20-25. [20] Quum autem filius tuus crastino tempore interrogaverit:
Quid sibi volunt testimonia haec et statuta et judicia
Quae praecepit nobis Jehova Deus noster?
[21] Tum respondebis: Servi eramus Pharaonis in Aegypto,
Sed Jehova nos inde manu valida eduxit,
[22] Fecitque in Aegypto signa atque prodigia magna et saeva
Contra Pharaonem omnemque domum ejus in conspectu nostro.
[23] Et eduxit nos inde, ut introductis daret terram,
Quam jurejurando patribus nostris promisit.
[24] Praecepit ergo nobis Jehova, ut statuta haec omnia exsequamur,
Et timeamus Jehovam Deum nostrum,
Ut bene sit nobis atque ut incolumes vivamus, sicut hodie.
[25] Illud vero ut **justitia** nobis reputabitur,
Si observarimus et fecerimus omnia haec praecepta
Coram Jehova sicut Ille nobis praecepit.

---

[1]) Omisi v. 19, quia de nationum internecione ne verbum quidem apparet in promissione divina, quatenus patriarchae ipsi tale promissum accipientes inducuntur; cf. etiam vv. 10, 23.

COMMENTARIUS.

Librum Deuteronomii, qui inter libros Mosaicos quintam sedem obtinet, antiquissimas complecti ac maxime sinceras divinarum legum relliquias, et praeterea ex Jasharanis fragmentis eximia si non magna ex parte conflatum esse, dudum mihi persuasum est. Nam non modo liber ipse satis luculenta testimonia ultro suppeditat, verum etiam ad duos auctores provocare possum, utrumque locupletissimum, alterum autem sanctissimum, Micham Morasthaeum, prophetam Jehovae, et Dominum nostrum Jesum Christum.

I. In primis vero vix opus est ut moneam lectorem, quam verisimile, ne dicam quam indubium sit, librum Jasharanum, qui *probitati* nomen suum acceptum refert, praecepta probitatis tradidisse. Ista si abessent, liber ipse videretur esse

Mancus et exstinctae corpus non utile dextrae.

Qualis enim futurus esset probitatis liber quae nullas probitatis leges, nullam probitatis rationem exhiberet? Mihi quidem videtur verisimillimum esse, non modo talem mandatorum materiam in libro Jasharano conspicuam fuisse, sed illam in quarta et media parte reponendam esse, quae, ut in Graecis trilogiis medium drama, quasi centrum quoddam constituerit, circum quod reliquae quattuor partes orbe quaeque suo verterentur.

II. Divinam probitatis rationem in libro Deuteronomii quaerendam esse, cuivis lectori apparebit, qui quum vocabulum יָשָׁר in ceteris Pentateuchi libris nonnisi in iis locis invenerit, qui Fragmenta libri nostri aperte produnt (ut Exod. XV, 26. Num. XXIII, 10, 27), illam vocem quasi repercussu numeroso in libro Deuteronomii semper et ubique resonare observabit. Neque illa discrepantia in mero vocis usu cernitur. Libri ipsi, ut leges

divinas exhibentes, in eo dissident, quod *Exodus* et *Leviticus* ad ritus potius et ceremonias, ad formulas quasdam et notas, quales collegium sacerdotum excogitare posset, animos intentos volunt, *Deuteronomium* autem altiora spectat et commendat, qualia veram relligionem ac bonos mores promoveant, ita ut paene praeoccupet Christianismi rationem, quae nos admonet ut *ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας σωφρονῶς καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι* (Tit. II, 12), et quum seriores Judaei se privilegiis suis jactarent, Deuteronomium Illius ecclesiam sapit, qui *ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον ζηλωτὴν καλῶν ἔργων* (Tit. II, 15). Ut silentio praeteream minutias ceremoniarum ceterorumque agendorum, quibus tantum momenti tribuebant Pharisaei aliique Levitici homines, comparare oportebit *ξενηλασίας* et superbum peregrinorum odium, quo recentiores Judaei eminebant, cum praeceptis illis modo non Christianis Deuteronomii: »amate peregrinos quia vos peregrini fuistis in terra Aegypti« (X, 19); »ego praecipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra« (XV, 11); »non pervertes judicium peregrini et pupilli, nec auferes pignoris loco viduae vestimentum (cf. Ps. LXVIII, 5. Deut. X, 18); sed memineris, quomodo servieris in Aegypto, et te inde liberaverit Jehova Deus tuus: idcirco praecipio tibi, ut hoc facias« (XXIV, 17, 18).

III. Jam vero antestemur Micham Morasthaeum, qui ultro nobis aurem opponit. Ut supra vidimus, cognovit is collectionem Jasharanam, quam verbatim citavit (cf. Mich. I, 10. 2 Sam. I, 20). Cognovit Bileami vaticinium et Mosis canticum triumphale, quorum utrumque liquet ex hac collectione excerptum esse (Mich. VI, 5. VII, 18). Cognovit librum Deuteronomii, quem ita citat, ut qui hunc, neque ullum alium codicem, per-

petuo versaret[1]) (cf. Mich. I, 2. Deut. XXXII, 1; Mich. I, 3. Deut. XXXII, 13. XXXIII, 19; Mich. II, 5. Deut. XXXII, 8, 9; Mich. V, 7. Deut. XXXII, 2; Mich. VI, 2. Deut. XXXII, 1; Mich. VI, 4. Deut. IV, 20; Mich. VI, 8. Deut. X, 12; Mich. VI, 10. Deut. XXV, 13, 16; Mich. VI, 15. Deut. XXVIII, 38—40). Et quum queritur Michas neminem esse *probum* (VII, 2), et monet nullam esse in promissa tellure *requiem*, propter incolarum malefacta (II, 10), Morasthaeus noster ita usurpat vocabula יָשָׁר et מְנוּחָה, ut ad intimam libri Jasharani significationem pervenisse videatur. Quum igitur ita cognitum haberet tam librum Jasharanum, quam Deuteronomium, quaestio oritur, utrum ii duo libri essent, an alter in altero contineretur, scilicet, Deuteronomium, quale tunc temporis esset, Jasharanae collectionis partem constitueret? At inter Judaeos regnantibus Jothamo, Ahaso, et Hiskia, quot libros relligiosos publici juris fuisse existimes? Qualem bibliothecam prophetae concedas, qui ante Archilochi aetatem animum ad scribendum appulit? Ut huic quaestioni satisfaciamus, ut demonstremus prophetam Micham non duos vel plures libros relligiosos, sed unum dumtaxat eumque Jasharanum hunc ante oculos habuisse, rem ipsam paullo altius repetamus.

Quum Solomo arcam foederis, quam in aedem Dei transferendam curavit, inspexisset, »nihil fuit in arca praeter duas tabulas lapideas, quas Moses ibi ad Horebum reposuerat« (1 Reg. VIII, 9). Regnante autem Josia, scilicet centum et triginta annos post Micham, »Hilkias, pontifex maximus, Shaphano scribae

[1]) Quod idem de Jeremia dici potest, quem nonnulli totum esse in Deuteronomio citando atque imitando praedicant, id in seriore propheta minoris momenti est. Sed si Jeremia Hilkiae pontificis filius fuit (Clem. Alex. Strom. I, p. 142 [390 Potter]), qui ut videtur, librum Deuteronomii ex Jasharanis relliquiis in templo conservatis amplificavit, facile est intelligere, quare filius istum librum tam penitus cognoverit.

narravit se librum legis invenisse in aede Jehovae, quem simul ei tradidit« (2 Reg. XXII, 8). Jam vero Davides moriturus Solomoni praeceperat (1 Reg. II, 3), ut diligenter observaret Jehovae instituta, iisque vitam suam dirigeret »prouti in lege Mosaica *scripta exstarent.«* Hanc legem scriptam non alibi quam in libro Deuteronomii reperiri, nobis auctor est compilator ille Masorethicus qui istum librum in eam formam, qualem nunc exhibet, redigendum suscepit. Ait enim »postquam Moses totam hanc legem *in libro* (עַל־סֵפֶר) scripserat, praecepit Levitis arcam foederis portantibus ut eam juxta arcam foederis Jehovae Dei sui deponerent« (Deuteron. XXXI, 24 — 26). Et Davides ipse, cui fidenter tribuimus Psalmum XL., loquitur ibi (v. 7) *de volumine libri* (מְגִלַּת־סֵפֶר), unde edidicisset »Deum sacrificiis nullum pretium statuere.« Hanc fuisse Samuelis doctrinam constat ex libro 1 Sam. XV, 22, ubi propheta Saulum sic admonet: »An vero plus placent Jehovae holocaustum et hostiae pacificae, quam ut audias vocem Jehovae? Ei auscultare id demum grata hostia est, attendere autem acceptius adipe.« Neque ullam aliam doctrinam invenies in prophetarum scriptis, quae sub regibus Judaeis edita sunt. Amos docet sacrificia et coetus solemnes minime Jehovae placere, neque enim Illum talia Israelitis in deserto praecepisse (V, 21—25). Similiter Jeremias affirmat Deum ne verbo quidem tenus praecepisse holocautomata et victimas quo die Israelitas ex terra Aegypti eduxisset (VII, 22, 23). Jesaias quoque declarat Jehovam magis ad pietatem cultorum suorum, quam ad multitudinem sacrificiorum spectare (I, 11 — 17). Et Michas noster, in eo loco ubi quasi uno ore ad Jasharanum librum et Deuteronomium provocat (VI, 1—8), aperte significat Deum non requirere pretiosa sacrificia, sed ut faciamus justitiam, et diligamus misericordiam et humiliter Deum colamus. Quid quaeris? omnes prophetae eandem cantilenam concinunt, neque quisquam eorum de Leviticis ceremoniis ita locutus est, ut qui

aliquid ibi momenti ad relligionem reperiret. Hoc argumentum egregie tractavit Theologus transatlanticus, Andrews Norton, quem adeat si quis fusiorem disputationem desiderat (The evidences of the genuineness of the Gospels, vol. II. pp. 464 sqq.). Ne ille quidem qui libros Regum compilavit, qui ad minimum quadraginta annos post captivitatis initium scripsit (2 Reg. XXV, 27), ullum alium legis librum cognovit quam Deuteronomium. Ait enim (2 Reg. XIV, 6): »eorum filios non interfecit ex lege Mosaica, quam Jehova his verbis dedit: non luent parentes peccata liberorum nec liberi parentum, sed sui quisque peccati poenas dabit.« At enim vero haec verba non nisi in libro Deuteron. XXIV, 16 leguntur, quem respexerit etiam Ezekiel (c. XVIII, 4, 20), qui eodem fere tempore vaticinatus est. Quum igitur Jasharana collectio, quae regnante Solomone edita est, praecepta probitatis divinae necessario continebat, quae non alia esse poterant, quam quae Samuel, Davides, et prophetae cognoverunt, quae etiam in libro Deuteronomii exstant, quum Michas ita citet libros Jasharanum et Deuteronomium ut si unum librum volveret, certum est nullum aliud relligiosae probitatis documentum ante Judaeorum captivitatem in propatulo fuisse, nisi illud ipsum quod in libro Deuteronomii continetur, idemque Jasharano libro in excerptis saltim inclusum esse. Si haec praecepta seorsim in Dei templo conservabantur [1]), prodierunt tamen ex parte in publicum stipata et conglutinata cum ceteris Jasharani syntagmatis carminibus, quod vel inde deducas licet, quod is qui recentiorem Deuteronomii editionem paravit cantica

[1]) Librum Jasharanum fuisse illud ipsum documentum, quod in templo asservabatur testatur chaldaea nominis יָשָׁר interpretatio (supra Prolegom. p. 24) et confirmat quadamtenus Josephus (Antiqq. V, 17, § 1): *ὅτι δὲ τὸ μῆκος τῆς ἡμέρας ἐπέδωκε τότε καὶ τοῦ συνήθους ἐπλεόνασε δηλοῦται διὰ τῶν ἀνακειμένων ἐν τῷ ἱερῷ γραμμάτων*, ubi librum יָשָׁר intelligit Masius, alii autem de libro Josuae accipiunt.

illa Mosaica, quae confidenter equidem quintae Jasharani libri parti tribuo, statim post haec praecepta, quae quartam et mediam ejusdem libri partem comprehendunt, exscribenda curavit.

IV. Unica piae probitatis praecepta ex libro Deuteronomii petenda esse nobis Auctor est Sanctissimus, qui omnium instar habendus est, Jesus Christus. *a*) Quum ritus illos et ceremonias, sacrificia et oblationes, quibus tantum tribuerunt sui aevi Judaei, Jesus vivens neglexerit, moriens autem prorsus antiquarit atque abrogarit, dixit tamen »nolite putare me venisse ut abrogarem legem aut prophetas; non veni ut abrogarem, verum ut adimplerem; amen! dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant« (Matth. V, 17, 18). Jesum hic dixisse, non de minutis ceremoniis, sed de illo Dei hominisque amore, »ex quo penderent universa lex et prophetae« (Matth. XXII, 37—40), probatur tota ipsius disciplina ac doctrina. *b*) Quum ita conjunxerit legem et prophetas, ut alibi diceret: »necesse est impleri omnia quae scripta sunt in *lege Mosis* et *Prophetis* et *Psalmis* de me« (Luc. XXIV, 44), atque ut Mosem et Eliam secum loquentes mirantibus triumviris exhiberet (Matth. XVII, 1), spectavit sine dubio ad illam Deuteronomii, Prophetarum et Psalmorum harmoniam atque concentum, quem supra demonstravimus — nempe, non sacrificia, sed pietatem Deo gratam esse et acceptam. *c*) Quum diserta citatione ad legem Mosaicam provocare operae pretium duxerit, nunquam laudavit rituales libros, sed Deuteronomium tanquam unicam auctoritatem allegandum censuit. Ita quum discipulis describeret, quali mentis atque animi contentione ipse certaretur, quum ad publicum docendi et miracula patrandi munus accederet, ter citat librum Deuteronomii, ut qui auxilium et solationem praestaret (Matth. IV, 4. Luc. IV, 4. Deut. VIII, 3; Matth. IV, 7. Luc. IV, 12. Deut. VI, 16; Matth. IV, 10. Luc. IV, 8. Deut. VI, 13. X, 20). Et quum primum et secundum manda-

tum declararet, quae summam legis ac prophetarum complecterentur, ad Deuteronomium dumtaxat spectavit, etsi posterior citationis particula in Levitico obiter occurrit (Matth. XXII, 37—40 s. l.). Utrum totus ille Pentateuchus, qualis ad nos descendit, in Palaestina per manus legis peritorum volveretur, tunc temporis, quum Jesus inter homines versabatur, an potius diversae librorum illorum partes seorsim ederentur, et Pharisaeis potius, quam universo populo innotescerent, equidem haud dijudico. Jesus cognovit librum Geneseos, nam Loti uxorem (Luc. XVII, 28—32. cf. Gen. XIX, 26) et Sodomitarum excidium (Matth. X, 15. cf. Gen. XIX, 24. Deut. XXIX, 23) commemorat. Respicit autem obiter ad Lamechi cantilenam (Matth. XVIII, 22). Et Marco auctore (XII, 26) diserte citavit Exodum (III, 6) ut librum Mosis. Quinetiam, si verum vidit Leo, quem citat Bythnerus (Lyra Davidis ad Ps. XXII, 1), Dominus noster in cruce moriens ita mutavit Psalmi vicesimì secundi initium, ut ad arietem in virgulto (בַּסְּבַךְ) implexum (Gen. XXII, 13) respiceret. Quod si cognovit reliquos libros, sed eos negligendos duxit, argumento a fortiori concludimus, Jesum non in illis libris, sed in Deuteronomio, Mosaicam legem, quae divinam originem sibi vindicabat, agnovisse. Tali auctoritate fretus, haud equidem dubitabo quartam Jasharani libri partem ex quinta Pentateuchi sectione eruere.

IN FRAGMENTUM PRIMUM.

Vulgo perhibent librum Deuteronomii alteram esse vel repetitam legis Mosaicae editionem. Haec opinio, ut mihi videtur, nullo fundamento innititur. Nam plane absurdus est ac valde deridendus istorum error, qui in hanc sententiam propterea adducuntur, quia Alexandrini interpretes librum inscripserunt *Δευτερονόμιον*, Hebraicam designationem מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה in Graecum compositum vertentes. Quippe ista designatio respicit ad locum

hujus libri (XVII, 18) ubi Israelitarum regi praecipitur ut »exemplum hujus legis« (אֶת־מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה הַזֹּאת) describendum curet, ab autographo, quod sacerdotes asservarent. Significat igitur vox *Deuteronomium* nihil aliud quam »exemplar manu transscriptum illius legis, quam tanquam archetypum sacerdotes in templo tuebantur.« Et hoc praeceptum non ante Josiae tempora, quum liber legis denuo innotuit, additum puto. Quicunque autem istud praeceptum excogitaverit, nemo crediderit eum ullam aliam legis Mosaicae auctoritatem agnovisse, praeter illud documentum, quod tanta cura asservatum, tanta fide descriptum voluit (cf. Deut. XXXI, 24—26). Ille ipse qui Deuteronomium, quale ad nos pervenit, compilavit, quem Hilkiam fuisse suspicor (2 Reg. XXII, 8), unicum hunc et incorruptum fontem divinae institutionis commendavit. Ait enim, sub persona Mosis, »nihil addite iis, quae vobis praecipio, nec quidquam iis detrahite, sed diligentem operam navate legibus Jehovae Dei vestri, quas vobis jam exponam« (Deut. IV, 2). Equidem non infitias iverim multa esse in hodierno Deuteronomio, quae seriorem manum prodant; nonnulla esse in Exodo, quae ad antiquissima tempora referenda sint, praesertim illud Epinicium, quod ad Jasharanam collectionem amandavi. Sed si ad Decalogum spectamus, qui intimam legis Mosaicae medullam continet, ausim affirmare nullum esse autographum, nisi illud quod in capite quinto Deuteronomii memoriae traditur, alteram autem versionem, quam Exodus exhibet, inquinatam esse atque interpolatam a Masorethicis Leviticisque scribis, qui novam septenarii Sabbati rationem effinxerant.

Primum enim nusquam Exodi significatur decem mandata, qualia in capite vicesimo exhibentur, ea ipsa verba continere, quae Deus tabulis lapideis bis insculpenda curaverit (Exod. XXXII, 15 sqq. XXXIV, 1). At enim vero, de decalogo illo, qui in capite quinto Deuteronomii traditur, diserte declaratur: »haec verba locutus est Jehova ad omnem multitudinem vestram

nihil addens amplius, et *scripsit ea in duabus tabulis lapideis* quas dedit mihi« (Deut. V, 19). Et quum Moses priores illas tabulas confregisset, non alia, sed eadem verba repetita sunt in tabulis, quae ad priorum exemplar dolatae sunt (Deut. X, 1—4). Quae quum ita sint, non duplex erat, sed unica legis declaratio; et si qui Exodicam versionem Deuteronomicae anteponendam ducunt, iis certe probandi onus injungamus licet, antequam fidem nostram Deuteronomico scriptori denegemus.

Deinde vero, si ipsam Decalogi structuram attendimus, et Exodicum textum cum Deuteronomico comparamus, hic quidem omnia concinunt atque cohaerent, illic autem vel interpolatorem vel oscitantem scribam deprehendimus. Primaria duarum versionum discrepantia in postrema mandati quarti clausula cernitur. Quum enim Exodica editio Sabbati observandi rationem in eo quaerit, quod Jehova mundum sex diebus creasset, requievisset autem die septimo (Exod. XX, 11), Deuteronomica descriptio humanum ac paene Christianum argumentum subjicit, nempe ut requiescerent servi Israelitarum, atque ut ipsi Israelitae meminerint quali ipsos servitute Jehova liberasset (Deut. V, 14, 15). Haec est proba recordatio proba humanitate conjuncta, quae concinat etiam cum initio Decalogi in utraque versione: »Ego sum Jehova Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, *de domo servitutis*« (Exod. XX, 2. Deut. V, 6). Et quum Dominus noster suo in vitam reditu nos quoque ex Aegyptiaca servitute mortis ac peccati liberaverit, habemus causam consimilem et consentaneam, quare septimo quoque die Christianum Sabbatum celebremus. *Primo* autem, non *septimo,* hebdomadis die Israelitae quoque e terra servitutis egressi sunt. Quod si cum Exodico editore mandatum hoc ad symbolicam illam Dei requiem, quae sex creationis dies consecuta sit, referendum censes, novam et Decalogo minime congruam illustrationem infercis. Neque enim initio tabularum Jehova se tanquam

creatorem mundi, sed tanquam Israelitarum liberatorem inducit. Non profitetur: »Ego Deus sum, qui creavi terras et coelum sex diebus«; sed: »Ego Jehova sum, Deus *tuus*, qui eduxi *te* e domo servitutis.« Praeterea, Exodicus ille editor sic incipit: »*Memento* (זָכוֹר) Sabbati, ut illum diem sanctifices«, et tamen nullam commemorationem cum illa sanctificatione conjungit, nam creatio mundi non est relligiosa i. e. Israelitica commemoratio; ergo, ad populum electum dumtaxat pertinere non potuit. Deuteronomicus autem sic incipit: »*Observa* (שָׁמוֹר) diem Sabbati, ut sanctifices eum, *sicut praecepit tibi Jehova Deus tuus.*« Ibi habemus discriminis notam, quae cum singulari Israelitarum conditione conveniret, quae ipsorum animos ad mirandam Dei providentiam reduceret, qua ab Aegyptiaca servitute in libertatem theocraticam vindicati essent.

Ut ceteras easque minores duarum versionum discrepantias perpendamus, penetremus necesse est in ipsam coelestium mandatorum rationem et methodum.

Si debitum relligiosi hominis officium sub clara Christianismi luce contemplamur, eo tenemur, »ut abnegantes impietatem et mundanas libidines *sobrie* et *juste* et *pie* vivamus« (Tit. II, 12), scilicet, ut vivamus *σωφρόνως*, nostros ipsorum appetitus temperantes, *δικαίως*, aliorum commodo inservientes, *εὐσεβῶς*, Deum colentes. Christus enim docuit omne peccatum in corde hominis uniuscujusque oriri, ita ut is sit illico moechus in corde suo, qui vel viderit mulierem cum impudica concupiscentia (Matth. V, 28). Sed haec peccati notio abstrusior est, quam quae per tabulas lapideas incultis Israelitarum mentibus proponeretur. Satis habuit Moses, quem afflatus coelestis illuminavit, in istis tabulis duplicem relligionis materiem digerere. In priore igitur *pietatem* diserte docuit. In altera *justitiam*. In illa ostendit, quomodo Deum ac parentes nostros colere debeamus. In hac, quomodo alienis debita officia praestemus, noceamus

autem nemini, ne in cogitatione quidem nostra. Ita utraque tabula quina continebat praecepta vel interdicta. Prior tabula complectitur tres prohibitiones: (I) ne a vero Deo desciscant Israelitae; (II) ne in idololatriam aberrent; (III) ne per Jehovae nomen pejerent; et duo mandata (IV) ut Jehovae septimum quemque diem consecrent; (V) ut parentes honore prosequantur. Altera tabula quinque prohibitiones comprehendit: (VI) ne caedem committant Israelitae; (VII) ne adulterent; (VIII) ne furentur; (IX) ne falsum testimonium in alterius injuriam perhibeant; (X) ne impudice alienam uxorem, neve avare aliena bona concupiscant. Scio equidem plerisque placuisse quattuor tantum mandata in priore tabula includere, ut quae sola ad Deum spectarent, reliqua sex alteri tabulae amendare, ut quae ad homines solos referenda sint. Sed ex mente veterum nationum officia erga parentes ab officiis erga ceteros homines disjungenda sunt. Colere Deum ac parentes *pietas* est; colere Deum per se *relligionis* est; colere alienos homines, qui aequo nobiscum jure sunt, ad *honestatem* pertinet. Quod ad parentes attinet, optime rem declaravit Pindarus, quum Thrasybulum, qui patri suo operam navaverat, sic alloquitur (Pyth. VI, 19 sqq.):

σύ τοι σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρὸς ὀρθὰν
ἄγεις ἐφημοσύναν,
τάν ποτ᾽ ἐν οὔρεσι φαντὶ μεγαλοσθενεῖ
Φιλύρας υἱὸν ὀρφανιζομένῳ
Πηλεΐδᾳ παραινεῖν· μάλιστα μὲν Κρονίδαν
θεῶν σέβεσθαι·
ταύτας δὲ μήποτε τιμᾶς
ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.

Unde *pius* perpetuum est Aeneae attributum, quippe qui Deos simul ac parentem ex incendio Trojae suis humeris evexerit (Aen. II, 721); unde Anchises sic compellatur (Aen. III, 481): »O felix nati *pietate*«; et describitur tanquam »senior parens *pia* sarcina nati«.

Praecepta prioris tabulae nullam difficultatem parere possunt. Prima duo ad Jehovae cultum sustentandum pertinent. Nam a vero Deo desciscere potuerunt Israelitae vel cum idololatria vel sine idololatria. Potuerunt etiam Jehovam, et alios praeter Ipsum Deos, venerari. Atque hoc quidem primo praecepto vetitum est, ubi עַל-פָּנָי, *coram me*, ad conjunctionem veri falsique cultus pertinet. Idololatria autem qualiscunque secundo mandato interdicitur. In tertio praecepto nemo Hebraicae linguae paullo peritior in tralatitium eorum errorem cadet, qui putant hanc legem ad Jehovae nomen temere effutitum spectare. Nam לַשָּׁוְא idem valet ac לַשָּׁקֶר; cf. Exod. XX, 13 עֵד שָׁקֶר, Deut. V, 11 עֵד שָׁוְא. Nomen Jehovae in jurejurando adhibere non vetitum, sed praeceptum est Israelitis (Deut. VI, 13). Relligionem igitur migrabat, quicunque talem sanctionem perperam adhibuit. Neque haec lex nonum praeceptum anticipat. Peccat enim in Jehovam, i. e. contra *pietatem*, qui Dei nomen in mendacii asseverationem enunciat. Peccat in vicinum suum i. e. contra *justitiam*, qui qualecunque mendacium ad alterius incommodum protulerit. Quartum et quintum praeceptum ad officia pietatis agenda pertinent. Jehovam septimo quoque die adorari, parentes nostros perpetuo honore et obsequio fovere, omnes oportet, qui probitatis laudem et praemia sibi deposcant. Illud qui facit, is recordatur diei, quo Jehova populum suum ex Aegypto deduxit, quo Jesus resurgens ad coelestem tranquillitatem nobis viam aperuit; hoc qui facit, is recordatur naturalem suam vitam parentibus suis deberi, et qui auctores istos vitae non reveretur, is profecto longiorem faustamque vitam non meritus est.

Quinque prohibitiones, quae alteram tabulam complent, cum triplici baptizandorum abrenuntiatione mirum in modum concinunt. Illam abrenunciationem a primitivis usque temporibus in Ecclesia usurpatam esse, et nihil aliud fuisse quam illud *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν*, quod verum atque effi-

cacem baptismum efficiat (1 Petr. III, 21), jam olim ostendit Ricardus Hooker (Ecclesiastical Polit., book V, c. 63). In Anglicana Paedobaptismi administratione infantem consecramus in militem ac famulum Christi, scilicet, ad pugnandum contra *peccatum, mundum,* et *Satanam;* et in Catechismo, quo baptizatos ad confirmationem rite accipiendam instruimus, pueros nostros in memoriam istius militiae reducimus, quum admoneamus eos susceptores ipsorum promisisse triplicem abrenuntiationem *Satanae* et *mundi* et *carnis.* Quod *peccatum* et *carnem* tanquam synonyma inter se commutaverunt Liturgiae compilatores neminem offendet, qui consideraverit omne peccatum ex carne profluere, carnem ipsam in se rationem peccati habere. Sed quum vox *caro,* sicut aliae voces, tam latiorem quam angustiorem significationem praestet, peccatum autem generalius vocabulum sit, culpae materiem in trinas partes distribuere licet, quae in Novo Testamento tam junctim quam separatim *διάβολος, κόσμος, σάρξ,* appellantur (vide supra Pars I. p. 69). Jam vero verba ipsa *διάβολος* et שָׂטָן vi termini denotant *malitiam, invidiam,* et *calumnias.* Et auctor est Jesus *diabolum* fuisse *homicidii* et *mendacii* parentem (Joann. VIII, 44). *Mundus* autem, quatenus in se proprias peccandi illecebras continet, ad commoda praesentis aevi spectare debet; itaque cuicunque objicere possumus, ut diviti illi, *ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου* (Luc. XVI, 25), quicunque rem suam familiarem quovis pacto augere studet, qui illam sibi regulam imposuit: »quaerenda pecunia primum est, virtus post nummos«; qui ut se in civitate tollat, ut regnet in hac vita, tam Deum quam homines contemnendos ducit, qui hunc mundum non futuram vitam spectat, qui misso relligionis imperio, *τὴν πλεονεξίαν* vel inexhaustam habendi aviditatem, *ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία* (Col. III, 5), explere cupit, is utique mundi servus est, et a probitate relligiosa abhorret. Denique *caro,* per se spectata tanquam pars aliqua peccati, eorum est qui

sensuali voluptati incumbunt, qui nulla alieni commodi habita ratione sibimet ipsis gratificari student, praesertim in iis rebus quae sexuum commercium comitantur. Quod si quibus placebit haec tria culpae genera nominibus quibusdam et prosopopoeia distinguere, dixeris *Diabolum* vel *Satanam* sustinere malitiae et mendacii personam (1 Joann. III, 10); *Mammonem* repraesentare mundanam illam avaritiam ac fraudem (Matth. VI, 24); *Belialem* autem incontinentiae impuritatem exprimere (Judic. XIX, 22). Ceterum, triplex haec peccati descriptio in altera Decalogi tabula diserte apparet, praesertim si ad Deuteronomicam versionem spectamus. Nam sic decurrunt ista praecepta: *a*) (VI) »ne homicidium committito«, quod *diaboli* est; (VII) »ne moechare«, quod *carnis* est; (VIII) »ne furare«, quod *mundi* est; atque iterum *b*) (IX) »ne falsum testimonium perhibe«, quod *diaboli* est; (X) »ne alterius uxorem concupisce«, quod *carnis* est; »ne appete alterius domum, agrum, servum, ancillam, bovem, asinum, et quidquid possideat«, quod *mundi* est. Si hoc postremum praeceptum cum Exodo XX, 14, comparamus, novam nanciscimur ac plane singularem confirmationem nostrae sententiae, Deuteronomium continere veram Decalogi atque unicam editionem, Exodi autem compilatorem vel errasse vel oblitum esse. Nam in Exodo omnia commiscentur; בֵּית רֵעֶךָ separatur a reliquis vocibus, quae possessionem denotant, et pro praecepto וְלֹא־תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ cui Masorethici recte appingunt paragraphes signum ס, simplex uxoris mentio inseritur post בֵּית רֵעֶךָ; et שָׂדֵהוּ extrito, et pro תִתְאַוֶּה, quod hic, repetito תַחְמֹד, omnia eidem verbo subjunguntur. Nemo est opinor, critica facultate exercitus, quin hic saltim errabundum vel obliviosum compilatorem in Exodico scriba deprehendat.

IN FRAGMENTUM SECUNDUM.

Rationi consentaneum esset exspectare editorem Jasharanum, postquam ipsissima divinae legis verba recitasset, subjecturum fuisse aliquam explicationem quae medullam vel interiorem tabularum voluntatem aperiret; et praeterea exhortationes additurum, quae Israelitis in memoriam redigerent a quanta eos servitute in quantam felicitatem Jehova sustulisset. Id eum fecisse videbimus, si ductionem Deuteronomici sequentes adhibemus etiam testes eos quos citavi, Micham prophetam et Dominum nostrum in Novo Testamento praedicantem. Atque hoc Decalogi supplementum in duo Fragmenta distribui, propterea quod exhortationes istae singularem quandam sectionem efficiunt, in qua omnia cohaerent, ex qua quum sospitator tres illas citationes hauserit quibus sollicitationes peccati confutavit, verisimile est hanc pericopen (ut significatur Deut. VI, 6 sqq.) probis omnibus Israelitis memoriter insedisse. Quae quum ita sint, medulla vel explicatio mandatorum medium locum occupaverit, scilicet inter ipsum Decalogum et has exhortationes, quibus Decalogi observatio inculcatur.

In secundo Fragmento constituendo provoco in primis ad celeberrimam illam Jesu Christi declarationem, qua doctori legis roganti *ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ;* (Matth. XXII, 36 sqq.) respondit: *ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου· αὕτη ἐστὶν ἡ μεγάλη καὶ ἡ πρώτη ἐντολή· δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος κρέμαται καὶ οἱ προφῆται.* Verba ista, quibus Jesus prioris tabulae argumentum describit, desumpta esse ex hoc loco Deuteronomii (VI, 5. cf. X, 12. XXX, 6) omnes consentiunt. Sed verba, quae tanquam materiam secundae tabulae proponunt caritatem sive dilectionem mutuam hominum

inter se, plerumque referunt ad Levit. XIX, 18, ubi haec sententia obiter tantum occurrit. Equidem crediderim Dominum nostrum duo haec mandata, unde universa lex et prophetae pendeant, non ex duobus libris sed ex uno eodemque loco desumpsisse. Crediderim quoque eum, qui in Deuteron. VI, 1 sqq. totam legis summam recensere voluit, non potuisse alteram tabulam prorsus omittere; Masorethicum autem compilatorem, qui aliud agens omnia commiscuit, brevem clausulam praeteriisse, quae in prototypo libro Deut. VI, 5 et Deut. X, 12 sqq. colligabat. Clausula haec, quae in Levit. XIX, 18 quasi per intercapedinem inseritur, perfecte congruit, tam cum praecedenti Deuteronomii versiculo, quam cum Domini nostri citatione. Nam quum priorem tabulam ita recapitulasset: יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד וְאָהַבְתָּ אֵת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ, etc., »Jehova Deus noster est unus Jehova; et diliges Jehovam Deum tuum« etc., quid aptius quam ut subjungeret וְאָהַבְתָּ לְרֵעֲךָ כָּמוֹךָ אֲנִי יְהוָה, »et diliges vicinum tuum sicut teipsum. Ego sum Jehova!« Ita enim omnia presse et concinne terminantur, et transitum habemus plane admirabilem ad ea verba Deut. X, 12 sqq. ex quibus Michas propheta summam divinae legis extraxit (Mich. VI, 8), quae autem, ut nullus equidem dubito, hoc secundum Fragmentum compleverunt. Ultimam enim Deut. cap. X partem non cohaerere cum historica materie, qua istud caput incipit, neminem potest fugere. Optime autem concinit cum generali illa legis divinae recensione, quam in priore capitis VI parte adumbratam habemus. Amissum igitur catenae annulum recudamus; consuamus abscissam vestem; et ex duabus laciniis integrum ac perfectum pallium accommodemus. Et ne quid vinculi desit, aliam nobis compagem ministrat illa Morasthaei citatio. Nam quum hunc locum ita laudet, ut qui universam significationem potius quam singula verba spectaverit, monstrat tamen se utramque Fragmenti nostri particulam uno obtutu contemplatum esse. Dicit enim:

הִגִּיד לְךָ אָדָם מַה־טּוֹב, »indicavit tibi, o homo, Deus, quid bonum sit«; quo tam ad Deut. VI, 1—3 quam ad Deut. X, 13 refert. Si enim Israelitae debitum Deo officium praestabant, bene ipsis futurum erat (יִיטַב); in terram illam rebus optimis abundantem venturi erant (VI, 3), atque ita obedientia in propriam ipsorum utilitatem (לְטוֹב) erat cessura (X, 13). Ita illud טוֹב utroque loco explicatur, plenius utique priore particula. Quod sequitur in prophetae responsione ad alteram particulam propius respicit. Nam עֲשׂוֹת מִשְׁפָּט, *judicium facere* e Deuteronomio X, 18 mutuo sumitur, אַהֲבַת חֶסֶד, *amor misericordiae,* nititur in Deuteronomio, X, 19. Quod vero tertio loco posuit וְהַצְנֵעַ לֶכֶת עִם־אֱלֹהֶיךָ, *et submissum esse in ambulando coram Deo,* quum ad Deut. X, 20 referri possit, altius habet fundamentum in gravissima illa divinae obedientiae injunctione quam Dominus noster citavit ex Deut. VI, 5. Quinetiam scriba ille, qui Dominum interrogabat, Michae locum statum conjungit cum sexto Deuteronomii capite (Marc. XII, 32, 33). Sed has particulas in unum corpus conflandas esse ipse utriusque contextus plenissime demonstrat. Nam prior illa portio, ex qua Jesus medullam Decalogi extrahendam censuit, quasi sponte sua deducit ad Deut. X, 12, 13, quorum versuum, ut Rosenmüllerus observavit, sensus est hic: »Deum ab Israelitis postulare nonnisi officia ea, quae et humanae naturae et saluti eorum sint convenientissima.« Et eundem quasi sanguinem ac nervos legis in v. 16 agnoscimus, ubi legitur וּמַלְתֶּם אֵת עָרְלַת לְבַבְכֶם, *circumcidite praeputium cordis vestri.* Hanc sententiam paene Christianam citavit Jeremias IV, 4. Eadem resonat in scriptis apostolicis (Paul. Ep. ad Rom. II, 28, 29. ad Coloss. II, 11). Nec aliud voluit Paulus, quum bis declarabat in Christo nec circumcisionem quidquam prodesse nec praeputiatum remanere, nisi si quis eam regenerationem assecutus esset, quae in fide et caritate versetur (ad Gal. V, 6. VI, 15). Denique, si secunda haec

Fragmenti nostri particula ad Deuteron. XI, 9 producitur, ad illam initii quasi iterationem emphaticam perveniemus, qua tota oratio apta et rotunda verborum constructione orbem suum conficiet. A promissis beneficiis incipiens in eadem desinit Fragmentum nostrum, atque ita ad tertii Fragmenti admonitiones pontem transmittit.

IN FRAGMENTUM TERTIUM.

Serratam dimidiatae tesserae aciem, qua cum altera acie collata priores tres Deut. c. VIII versiculos ante sextum sexti capituli versum ponendos judico atque ita viginti tres versus in unum Fragmentum conciliandos, in repetitione verbi הַיּוֹם, quod in primo Fragmento cum vi quadam ponitur (Deut. V, 1), quod tertium quoque Fragmentum inchoare debet (Deut. VIII, 1), quod autem in eodem Fragmento optime iteraretur (Deut. VI, 6). Tales iterationes in rupti orationis ordine restituendo nonnihil ponderis habere, sciunt ii, qui Jesaiae vaticiniis operam navaverunt (cf. Jes. V, 25. IX, 12, 17, 21. X, 4). Sed in hoc loco praecipuam fidem ipsius contextus testimoniis attribuo. Nam summa gravitate praecipitur ut probi Israelitae memoriter ediscant ac perpetuo meditentur haec ipsa et quae praecesserant verba (Deut. VI, 6, 9). Jam vero Jesus Christus, quum insidias sollicitationis mundanae repudiabat, tela sua ex hoc armamentario deprompsit. Nam tres dumtaxat citationes adhibuit, easque hoc ordine *a*) Deut. VIII, 3. *b*) Deut. VI, 13. *c*) Deut. VI, 16. Ut vides Lucanam narrationem secutus sum, quae per se concinnius evadit, nam melius transimus a fame depellenda ad temporale imperium, atque inde ad divinae potentiae demonstrationem, quam si cum Matthaeo id quod secundum est tertio loco ponimus. Assumpto igitur, hoc Fragmentum olim uno tenore decurrisse, prout jam iterum compositum est, Jesum autem haec

verba memoriter tenuisse, quid rationi magis consentaneum esset, quam illa ipsa trium versuum citatio, quam Sospitatori tribuunt Evangelistae? Sed consideremus, quid sit, cur Jesus tantum his versibus attribuerit, ut istis prae omnibus aliis in Vetere Testamenti locis tali tempore uteretur. Jam vero, ne mundanam victus necessitatem nimia sollicitudine urgeamus, quod prima citatio admonet, id scilicet fere perpetuum est Christianae doctrinae argumentum. Nam dixit Jesus: »nolite solliciti esse dicentes quid manducabimus aut quid bibemus; quaerite autem imprimis regnum Dei et *justitiam* ejus, et omnia haec adjicientur vobis« (Matth. VI, 31—33. cf. Deut. VI, 25). Quod autem secunda citatio admonet, ut Deo soli serviamus, id vero magnam Christianismi partem in se comprehendit. Nam nulla fere gravior est Christi praedicatio quam illa: »nemo potest dominis duobus servire; non potestis Deo servire et mammonae« (Matth. VI, 24). At enimvero haud ita perspicuum est quid sibi velit praeceptum illud, quod tertia citatione continetur: »non tentabis Jehovam Deum tuum, sicut tentasti eum in loco tentationis.« Haec tentatio qualis fuerit testantur tres Pentateuchi textus: Exod. XVII, 2—7. Num. XX, 3, 4. ibid. XXI, 4, 5. Summum ibi peccatum fuisse auctor est Psaltes (XCV, 8 sqq.):

Ne obduretis corda vestra, sicut Meribae factum est,
Sicut Massae accidit in deserto,
Ubi majores vestri me tentabant
Atque explorabant, quanquam opera mea viderant.
Quibus tandem iratus juravi
Nunquam eos in terram promissam venturos esse.

Quid quaeris? peccatum illud non aliud fuit, quam illa posteriorum Israelitarum incredulitas, qui miranda Jesu Christi opera intuentes obdurabant corda sua: quos igitur Ille a regno Dei rejiciebat, quippe qui in Spiritum Sanctum apertis oculis blasphemiam effutirent, atque illam in se culpam admitterent,

quae neque in vita nec post vitam remitti possit (Matth. XII, 32). Neque haec interpretatio non quadrat in eam cogitandi rationem, quae Domino nostro tunc temporis, ut videtur, oborta est, quum carnalem illam sollicitationem repudiavit. Nam illa Israelitarum culpa, quum Deum Massae tentabant, ex infideli impatientia nata est. Quanquam Dei potentiam et curam quotidie intuebantur, nequibant tamen exspectare donec Ipsi placeret peregrinationibus electi populi finem facere. Ergo, mussitabant et Mosi rixam intendebant. Simili impatientiae obnoxius fuisset Jesus, si fieri potuisset ut subitanea quadam mirandae potestatis demonstratione studia suorum allicere et delenire studeret. Quod contra pii omnes Israelitae consilio Psaltae obsecuti sunt, qui ait: »Committe Jehovae res tuas; ei confide; is perficiet omnia. Acquiesce in Deo, et spem tuam in eo pone« (Ps. XXXVII, 5, 7). Unde tanquam peculiaris quaedam veterum Israelitarum virtus praedicatur ista *patientia* (*ὑπομονή*) qua *spem* venturae *consolationis* fovebant; vide Hebr. VI, 12 sqq. et cf. Rom. XV, 4: *ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.* Luc. II, 24: *προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ.* Hinc tres habemus Christiani hominis dotes: *τὸ ἔργον τῆς πίστεως καὶ τὸν κόπον τῆς ἀγαπῆς καὶ τὴν ὑπομονὴν τῆς ἐλπίδος* (1 Thess. I, 3. cf. 1 Cor. XIII, ult.). Quum igitur haec patientia tam in Judaeis quam in Christianis deposcebatur, ea proculdubio eminere debebat in Christo ipso, eam Dominus noster proculdubio in examen vocabat, quum in luctam illam suam prospiciebat. Qui etiamsi omnes divinae majestatis legiones in suum auxilium colligere (Matth. XXVI, 53), et magnifica aliqua epiphania in thronum Davidis se collocare potuisset, maluit tamen illud miseriarum poculum, quod Pater ipsi propinasset, ad faeces exhaurire (Joann. XVIII, 11) atque ita per humilitatem ad summam gloriam ascendere. Ita triplici admonitione prior nostri Fragmenti pars probos omnes hortatur,

(I) ne dona praesentis horae tanti aestimemus ut promissae tranquillitatis obliviscamur; nam »quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae jacturam faciat?« (Matth. XVI, 26); (II) ne quid praeter Deum ipsum ita colamus, ut divisum in nostris animis imperium constituamus; (III) ne divinae providentiae legem aspernantes, in eorum errorem incidamus, qui tentant Deum impatientia sua viventes, et moribundi summum numen diris devovent (Job. II, 9).

His admonitionibus praemissis Fragmentum nostrum ad absolutam legis obedientiam revertitur, atque ita ad libri Jasharani significationem exprimendam quam proxime accedit. »Custodiendo custodite praecepta Jehovae ejusque testimonia et statuta, quae tibi praecepit; et facias id quod **probum** (יָשָׁר) et **bonum** est coram Jehova, ut bene tibi sit et ingrediaris et possideas bonam illam terram quam Jehova tuis patribus pollicitus est« (v. 17, 18). »Et **justitia** (צְדָקָה) erit nobis i. e. ut meritum nobis reputabitur, si custodierimus et fecerimus omnia haec praecepta coram Jehova, sicut Ille nobis praecepit« (v. 25). Haec verba Fragmentum nostrum ad justum finem perducunt, et probitatem illam Israelitarum in ea conditione exhibent, quae ad Christianam probitatem spectare videatur. Nam »Christus est finis legis ad *justitiam* fidis omnibus imputandam« (Rom. X, 4). Si lex illa in amore Dei hominisque versatur, qui ad illius legis justitiam proxime accesserit, is non longe aberit ab illa sanctificatione, quam Paracletus a Christo missus verae relligionis sodalibus, singulis illis membris consolidati corporis cujus Christus ipse caput est, vivida vi et plena infusione donaturus est.

Citationes illae Morasthaei prophetae aliaeque quas supra memoravi significant multos alios Deuteronomii locos in libro Jasharano sedem suam habuisse, sed ultima Deuteronomii editio, quae ad nos pervenit, ita commissuras panni rudis in vetus vestimentum introduxit, ut difficile sit autographa ab insititiis dis-

jungere sine aliquo scissurae periculo. Sint igitur tria haec Fragmenta tanquam specimina, quibus Lector eruditus libri Deuteronomici quantum sibi placuerit adjiciat.

Atque haec priorum partium τετρακτὺς relligiosam Jasharani libri doctrinam ad umbilicum adduxit. Quae sequitur τριττὺς celebrat potius et commemorat felicem Israelitarum sortem, populi res gestas et régum laetitiam vel miserias. Haec igitur trium partium collectio canit et resonat. Prior ille quattuor partium thesaurus docet quomodo homo a probitate desciverit, quomodo Israelitae ad veram doctrinam propagandam electi sint et in terram tranquillitatis conducti, quibusnam denique legibus obedientes promissam illam felicitatem confirmatam obtinerent.

PARS QUINTA.

Benedictiones proborum et monita.

I. JACOBI CANTICUM.

Gen. XLIX, 1-27. [1] Congregamini, ut annunciem quae eventura sint vobis
in diebus novissimis,
[2] Congregamini et audite filii Jacobi, audite Israelem
patrem vestrum.

§ 1.

[3] **Ruben**, tu quidem primogenitus es,
Robur meum, et initium virilitatis,
Principium dignitatis et principium honoris.
[4] Sed ebulliisti tanquam scatebrae fervidae; itaque, ne
sis princeps.
Nam patris tui cubile ascendisti,
Polluisti stratum meum isto ascensu.
[5] **Simeon** et **Levi** fratres sunt;
Instrumenta saevitiae sunt gladii eorum.
[6] In conciliis eorum ne commoretur voluntas mea,
In coetu eorum ne sit consociatus animus meus.
Nam prae ira hominem interfecerunt,
Et prae lascivia bovem enervarunt.
[7] Detestabilis sit eorum ira, quoniam immodica fuit,

Et furor eorum, quoniam fuit effraenatus:
Dispertiam eos in Jacobo,
Et dissipabo eos in Israele.
Gen. XLIX. [8] **Juda** tu es ille quem concelebrabunt fratres tui.
Manus tua erit in cervice hostium tuorum.
[9] Catulus leonis est Juda.
A praeda, mi fili, conscendisti!
Incurvat se, procumbit ut leo et leaena;
Quis eum lacessere audeat?
[10] Non decedet sceptrum Judae,
Nec scipio e medio pedum ejus,
Donec venerit tranquillitas,
Et gentes ei obedientiam praestiterint.
[11] Alligans viti asellum,
Et generoso palmiti filium asinae suae,
Lavabit in vino vestimentum suum,
In uvarum sanguine amictum suum;
[12] Atque oculi ejus hilares erunt prae vino,
Prae lacte dentes ejus albescent.

§ 2.

[13] **Zebulon** ad oram maritimam habitabit,
Et ipse navibus portum praebebit,
Pertingens usque ad Tsidonem.
[14] **Issacar** erit asinus robustus
Procumbens inter repagula.
[15] Videbit enim requietem bonam esse,
Et terram esse amoenam.
Humerum igitur subjiciet oneri ferendo,
Et servitiis demensis obnoxius erit.

§ 3.

[16] **Dan** judicabit populum suum,
Tanquam princeps inter tribus Israelis.

Gen. XLIX.
[17] Dan erit sicut serpens in via,
Sicut cerastes in tramite,
Qui mordet calcem equi,
Ut eques retrorsum cadat.
[18] Tuum auxilium exspecto, Jehova!
[19] **Gad** ab hoste infestabitur,
Sed extremum recedentium agmen adorietur.
[20] **Asher** pingui cibo fruetur,
Adeo ut vel regi cupedias ministret.
[21] **Naphthali** est cerva emissa,
Mandans effata pulcherrima.

§ 4.

[22] Juvencus est **Josephus**,
Juvencus prope fontem.
[23] Ferae montanae super eum insidiabantur.
Exacerbarunt eum, jaculati sunt,
Et odio persecuti sagittarii.
[24] Sed firmus mansit arcus ejus,
Et agilia fuerunt brachia manuum ipsius.
Per manus potentis Dei, quem Jacobus coluit,
Per nomen custodientis lapidem Israelis,
[25] Per Deum patris tui, qui te adjuvit,
Et Omnipotentem, qui tibi benedixit,
Sint tibi benedictiones coeli desuper,
Benedictiones profundi, quod infra cubat,
Benedictiones uberis et uteri.
[26] Benedictiones patris tui valuerunt
Super benedictiones montium antiquissimorum,
Et delicias collium aeternorum.
Veniant in caput Josephi,
In verticem sejuncti a fratribus suis.
[27] **Benjamin** est lupus rapax,

Mane praedam devorabit,
Et vespere dividet spolia.

II. BILEAMI CANTICUM.

PRIMA PARTICULA.

Num. XXIII, 7-10. [7] E terra Aramaea me arcessivit Balaquus,
Rex Moabitarum me ex montibus orientis adduxit;
»Veni«, inquit, »et mea gratia male precare Jacobitis;
Age, Israelitas detestare.«
[8] Qua ratione maledicam, cui non maledixit Deus?
Quomodo detestabor, quem Jehova non detestatur?
[9] Ex summis rupibus video eum,
Ex collibus eum considero.
Ecce solus habitat;
Cum ceteris gentibus non miscetur.
[10] Quis dinumeret innumerabiles Jacobitas;
Quis computet vel quartam partem Israelitarum?
Utinam moriatur anima mea mortem **proborum** istorum,
Idem sit meus qui eorum exitus!

SECUNDA PARTICULA.

Num. XXIII, 18-24. [18] Surge, Balaque, et audi;
Animum adverte fili Zipporis.
[19] Deus non est homo, ut mentiatur,
Aut filius hominis, ut quem poeniteat.
Num ille quidquam dixerit, quod non facturus sit,
An sit locutus, quod non praestet?
[20] En, bene dicere in mandatis habeo,
Benedixit ille, ego vero prohibere non possum.

Num. XXIII. [21] Neque enim idololatriam cernit inter Jacobitas,
Neque iniquitatem inter Israelitas.
Jehova Deus inter eos versatur,
Cui ut regi suo jubilantes acclamant.
[22] Deus deduxit eos ex Aegypto.
Ingentes sunt eorum vires tanquam bovis buffeli.
[23] Nullum enim est augurium contra Jacobitas,
Nulla contra Israelitas incantatio.
Tempus instat, quum praedicabitur de Jacobitis
Et de Israelitis: *quanta fecit Deus!*
[24] Ecce hic populus surget sicut leaena,
Et instar leonis se eriget.
Non prius recumbet quam vorarit praedam,
Quam sanguinem occisorum hauserit.

TERTIA PARTICULA.

Num. XXIV, 3-9. [3] Dicit Bileamus filius Beoris,
Dicit vir, cui oculus apertus est,
[4] Dicit is, qui verba audit divina,
Qui visa omnipotentis vidit,
Prolapsus et retectis oculis:
[5] Quam pulcra sunt tentoria tua, o Jacobe,
Et habitationes tuae, o Israel.
[6] Instar torrentium exporrecta sunt,
Instar hortorum ad flumen,
Instar agallochorum, quas plantavit Jehova,
Instar cedrorum juxta aquas.
[7] Profluent fluenta ex ejus situlis,
Et semen ejus erit in multis fluentis.
Vel Agago sublimior erit rex ejus,
Et exaltabitur regnum ejus.
[8] Deus deduxit eum ex Aegypto.

Ingentes sunt ejus vires tanquam bovis buffeli.
Gentes oppositas devorabit,
Earum ossa confringet,
Et sagittas suas [in sanguine] contorquebit.
Num. XXIV. [9] Incurvat se, procumbit ut leo et leaena,
Quis eum lacessere audeat?
Benedictus sit ille, qui tibi bene dixerit,
Qui male, male dictus sit.

QUARTA PARTICULA.

Num. XXIV, 15-22. [15] Dicit Bileamus filius Beoris,
Dicit vir, cui oculus apertus est,
[16] Dicit is, qui verba audit divina,
Qui novit notitiam summi numinis,
Qui visa omnipotentis vidit,
Prolapsus et retectis oculis.
[17] Videbo eum, sed non nunc:
Contemplabor eum, quamvis non sit propinquus.
Procedet stella ex Jacobo,
Jerem. XLVIII, 45, 46. Surgetque sceptrum ex Israele,
Et contundet utrumque latus Moabitarum,
Exscindetque cunctos homines turbulentos.
[18] Erit autem possessio ejus Idumaea,
Et infestus ille Seir ejusdem possessio erit.
Nam Israel strenue se geret.
[19] Tum dominabitur aliquis ex Jacobo oriundus,
Omnesque ex urbibus superstites pessumdabit.
[20] Amaleq fuit principium gentium,
Sed ad extremum peribit.
[21] Firma est habitatio tua, [Qain,]
Et in petra posuisti nidum tuum;
Nihilominus futurum est ut incendatur Qain,
Et quousque contemplabor captivitatem tuam!

III. MOSIS CANTICUM.

Deut. XXXII, 1-43. [1] Ausculta, caelum, dum loquor;
Audi, terra, affata oris mei.
[2] Destillet instar pluviae doctrina mea,
Fluat sicuti ros meus sermo,
Sicut imber tenuis super herbam teneram,
Sicut multae guttulae super herbam adultam.
[3] Nomen enim Jehovae invocabo;
Agnoscite Dei nostri magnitudinem.
[4] Rupes est; perfectum est opus ejus.
Omnes viae ejus legitimae sunt.
Deus fidelis est et sine iniquitate,
Justus et **probus** est Ille.
[5] Perniciose adversus Illum egit eorum, qui Ipsius filii non sunt, labes[1]),
Scilicet gens prava et dolosa.
[6] Hoccine ergo Jehovae rependitis,
Popule stulte et insipiens?
Nonne ipse pater est tuus, qui te sibi comparavit?
Qui te fecit et stabilivit?
[7] Memento dierum antiquiorum,
Considera annos saeculorum praeteritorum.
Interroga patrem tuum, et tibi indicabit;
Seniores tuos, et tibi dicent.
[8] Quum possessiones Supremus gentibus distribueret,
Quum homines dispergeret,
Constituit terminos nationum pro numero Israelitarum.

---

1) Selwynus noster, Professor Theologiae Cantabrigiensis, legit שחתו לו ב״ מאמם, i. e. *filii ejus corruperunt sese usque a matribus.*

Deut. XXXII.
[9] Nam Jehovae portio est Illius populus,
Jacobus est Illi tanquam mensura hereditatis,
[10] Assistebat ei in deserto,
In terra vasta, ululatibus referta, pinguefecit eum.
Circumsepsit eum undique, curam ejus gessit,
Custodivit eum ut oculi sui pupillam.
[11] Quemadmodum aquila assidet nido suo,
Et super pullis suis molli fotu incubat,
Expansis alis suis eos sustentat,
Tollitque eos super pennis suis;
[12] Ita Jehova solus eum duxit,
Nec fuit cum eo Deus alienus;
[13] Vexit eum ad regionem montanam,
Ut agrorum frugibus vesceretur,
Lactavit eum melle de petra,
Et oleo de silice rupis,
[14] Lacte spisso armenti et fluido lacte pecoris ovilli,
Cum adipe agnorum
Et Basaniticorum arietum et hircorum,
Praestantissima tritici medulla;
Sanguinem uvarum, vinum merum bibisti.
[15] At saginatus est **Jeshurun** et recalcitravit.
Saginatus fuisti, incrassatus, adipe obductus!
Tum deseruit Deum creatorem suum,
Et Rupem salutis suae vilipendit.
[16] Peregrinis diis zelotypiam Illius provocabant,
Rebus abominandis Eum irritabant.
[17] Sacrificabant idolis quae non erant Deus,
Diis quos non noverant,
Novis, qui ex vicinia venerunt,
Quos non coluerunt patres vestri.
[18] Rupem, quae te genuit, dereliquisti,

Et oblitus es Dei creatoris tui.
Deut. XXXII. [19] Ergo vidit Jehova et rejecit eos,
Prae ira qua in filios suos filiasque commotus est,
[20] Et dixit: »Abscondam faciem meam ab illis,
Videbo qui sit futurus eorum exitus.
Nam generatio perversa sunt illi,
Filii in quibus non est veritas.
[21] Illi me in zelum commoverunt per non — Deum,
Irritaverunt me idolis suis inanibus;
Itaque ego eorum zelum provocabo per non — populum,
Per gentem contemnendam eos irritabo.
[22] Ignis enim accensus est propter iram meam,
Isque ardebit usque ad ima terrae,
Absumet tellurem cum proventu suo,
Et montium fundamenta comburet.
[23] Cumulabo in eos infortunia,
Tela mea omnia iis impendam.
[24] Exhausti erunt fame, et absumpti peste,
Et exitio virulento.
Dentem bestiarum iis immittam
Una cum veneno repentium in pulvere.
[25] Foris orbabit gladius et in penetralibus terror,
Quum juvenes tum virgines, lactentes et senes.
[26] Dicerem: Dispellam eos,
Delebo ex hominibus eorum memoriam,
[27] Nisi fastum hostium vererer,
Ne alienis Diis factum tribuerent hostes eorum.
Ne dicerent: manus nostra valida est,
Jehova autem haec omnia non patravit.
[28] Nam natio est, quae suis perit consiliis,
Neque ulla iis inest prudentia.
[29] O si saperent: tum intelligerent hoc,

Tum quae ipsis eventura sint providerent.

Deut.XXXII. [30] Qui tandem fieri posset ut unus hostis ipsorum mille persequeretur,

Ut duo decem millia ipsorum fugarent,

Nisi quod ipsorum Rupes venderet eos,

Et proderet eos Jehova?

[31] Rupes enim hostium non est sicut nostra Rupes;

Id scilicet ipsi hostes confitebuntur.

[32] Nam de vitibus Sodomiticis est vitis eorum,

Et de arvis Gomorranis:

Uvae eorum sunt uvae venenatae,

Et racemi amaritudinem pariunt.

[33] Virus serpentium est vinum eorum,

Et atrox aspidum venenum.

[34] Nonne hoc reconditum est apud me,

Obsignatum in thesauris meis?

[35] Mea est ultio, et ego rependam,

Quo tempore pes eorum vacillabit.

Profecto appropinquat dies interitus eorum,

Festinant ea quae imminent mala.«

[36] Attamen Jehova populi sui causam aget,

Et servorum suorum miserebitur,

Quia videbit vires eorum evanuisse,

Et nihil neque opertum neque apertum relictum esse.

[37] Tunc dicet: »Ubinam sunt dii eorum,

Rupes, ad quam confugerunt?

[38] Ubinam sunt illi, qui adipem sacrificiorum eorum comederunt,

Et biberunt vinum libaminis eorum?

Surgant et opitulentur vobis,

Et sint vobis praesidio.

[39] Ergo, videte quod Ego, Ego inquam sum Ille,

Et quod nullus est, praeter me, Deus.
Ego interficere possum, et in vitam reducere,
Vulnerare possum, idemque sanare,
Non est qui e manu mea eripiat.
Deut. XXXII. [40] Etenim ad coelum manu sublata
Per vitam meam aeternam juro:
[41] Quum acuero gladium meum fulgurantem
Et prehenderit judicium manus mea,
Rependam ultionem meis adversariis,
Et osoribus meis retribuam.
[42] Inebriabo sagittas meas sanguine,
Et gladius meus carnem devorabit,
E sanguine confossorum captivorumque,
De principibus judicum inimicorum.«
[43] O gentes exterae, populum Ejus celebrate.
Nam sanguinem servorum suorum ulciscetur;
Ultionem rependet adversariis suis,
Terramque populi sui expiabit.

EPIMETRUM.

Deut. XXXIII, 2-5. [2] Jehova venit de Sinai,
Exortusque est iis de Seir;
Illuxit ex monte Pharan;
Tum processit e sancta multitudine
E dextra Illius ignis jaculationis ad eos missus.
[3] Profecto dilexit tribus;
Omnes sancti sunt Tibi ad manum;
At illi ad pedes tuos procubuerunt;
Unusquisque accepit de enuntiatis tuis.
[4] Legem praecepit nobis Moses,
Hereditatem coetui Jacobi,

Deut. XXXIII. [5] Eritque in **Jeshurun** rex,
Ubi se capita populi congregaverint.
26-29. [26] Nemo est sicut Deus, O **Jeshurun**,
Qui caelo vehitur, ut auxilium tibi ferat,
Et majestas Ejus est in nubibus,
[27] Ubi habitat Deus perpetuus,
Et infra sunt brachia ejus sempiterna.
Expellit ante te hostem,
Et dicit: Pessumda!
[28] Secure habitabit Israel,
Fons Jacobi solus habitabit
Terram frumenti et musti;
Caelum quoque rorem destillabit.
[29] O te felicem, Israel: quis tui similis,
Popule servate a Jehova,
Qui clipeus est auxilii tui,
Et gloriae tuae gladius.
Blandientur tibi inimici tui,
Et in arces eorum ascendes.

COMMENTARIUS.

In tribus reliquis Jasharanae collectionis fasciculis non, ut in primis quattuor, continuatum quoddam opus, perpetuam quasi doctrinae materiem, invenimus, sed potius singula carmina, quae in tres classes distribui possunt. Ita in quinta parte tria cantica habemus, quorum primum et tertium venerandis Jacobi et Mosis nominibus insigniuntur, ut in illo auctor gentis, in hoc reipublicae conditor, bene precans vel admonens Israelitarum tribus alloquatur. Media autem cantilena Bileamo assignatur,

qui, quamquam ethnicus et Israeli hostis, tamen Dei afflatu abreptus, non potuit non bona omnia ac fausta de dilecto Dei populo praedicare. In sexta parte item tria reperimus carmina, quorum quum secundum ac medium mirabilem illam et elementorum ope patratam Joshuae vitoriam celebret, utrumque latus clauditur a duabus cantilenis, quae non minus mirabiles, ambas inopinata aquarum eluvie adjutas, Israelitarum liberationes commemorant. Septima denique parte Davidis tam acerbae quam laetae cogitationes laxiore quadam poematum catena frequentantur, accedunt autem nonnulla ad Solomonen spectantia, quo regnante haec relligiosi argumenti anthologia publici juris facta est. Atque ita a mera poesi ad puram putam historiam pervenimus. His praemissis ad singulorum carminum enarrationem descendo.

IN JACOBI CANTICUM.

De aetate atque auctore hujus Cantici plures fuerunt sententiae. Inveniuntur etiamdum qui credant Jacobum ipsum haec verba cecinisse. Inter quos numerandi sunt Rosenmuellerus, Hengstenbergius, Drechslerus, Delitzschius, et nuperrime Ludovicus Diestel, qui singularem de hoc poemate Commentationem edidit (Der Segen Jacobs in Genes. XLIX. historisch erläutert von Ludwig Diestel. Braunschweig 1853). Sed ut sumas Jacobum fuisse hominem aliquem, non, ut supra ostendi, gentis Jasharanae nomen, habuisse autem duodecim filios, non totidem tribuum progeniem, quis sanus crediderit moribundum senem, adeo decrepitum, vix ut cervicali se sustinere posset, pleno ore profudisse justum carmen, omnibus partibus absolutum atque elaboratum, imaginibus et paronomasiis scatens, atque ita constitutum, ut ne unus quidem filiorum, si filii adessent, quid sibi vellent allusiones illae, intelligeret? Et quis tale poema exciperet,

litteris mandaret, posteris traderet? Hieroglyphicis illud an hieraticis litteris exaratum censeas, an potius, quod Rosenmüllerus fidenter pronuntiavit, »illa morituri progenitoris ultima vota a filiis summa fide et relligione conservata, et a singulis ad posteros propagata et tanquam oracula habita fuisse?« Piget pudetque tam puerilem ἑρμηνείαν in medio saeculo post Christum decimo nono confutare. Contra, cantilenae ipsius testimonium doctis hominibus persuasit Jacobi benedictionem merum esse psalmum, pium illum quidem et relligiosum; sed data opera a seriore quodam confictum, ut singularum tribuum, qua tunc erant, conditionem describeret, et rationibus quasi allatis explicaret. Ac Joannes Chr. Friedrich, cujus commentationem (der Segen Jacobs, eine Weissagung des Propheten Nathan, Breslau 1811) nondum mihi videre contigit, hanc cantilenam ad Solomonis tempora atque ad Nathanem prophetam transferendam censuit. Bleekius (de libri Geneseos origine, Bonnae 1830), Tuchius (Kommentar über die Genesis, Halle 1838), Lengerkius (Kenaan, Königsberg 1844), ut mihi Diestel auctor est, nam libri ipsi desunt, Jacobi benedictionem ad finem illius temporis referunt, quod in libro Judicum continetur. Nec dubitavit Henricus Ewald in eandem sententiam discedere, praesertim quandoquidem cantilena nostra ad Deborae carmen et ad Simsonis res gestas respiciat (Geschichte des Volkes Israel, Götting. 1843. I. pp. 80, 81).

Quare equidem statuerim hoc carmen regnante Solomone conscriptum esse, summatim in Prolegomenis ostendi, ubi versiculos 5 et 10 in hanc argumentationem citavi. Et Psalmum Davidicum XVIII indubia imitatione expressit ille, qui hanc benedictionem composuit (cf. vv. 19, 6. Ps. XVIII, 30.). Sed in ipso carmine enarrando hanc opinionem fusius confirmabo. At enim vero fieri potest, ut Solomone regnante tam Jasharana sylloge, quam haec cantilena litteris mandaretur, idque seorsim; ut merito aliquis rogaverit, quo jure nobilem hunc psalmum in illo

grege compescuerim. Fieri potest, fateor, sed parum illud verisimile foret. Nam si eodem tempore et Jasharanus liber et haec benedictio in publicum prodibant, et si ille liber a probitate et beata sorte Israelitarum nomen suum partim deduxit, certissimum est, opinor, Israelis ipsius vota non alio consilio in cogitationem et scriptionem venisse, quam ut in ea collectione locum obtinerent, ad demonstrandum scilicet quare non omnes stirpis Israeliticae tribus terram probis promissam aequo jure occuparent, quare autem Judae et Josephi filii, illi regnum, hi praecipuam terrae istius partem sibi vindicassent. Si liber Jasharanus talis fuit, qualem eum fuisse existimo, absque hoc additamento foret, ut mancus quodammodo et imperfectus ad nostrum tempus descenderit. Si liber Jasharanus eo tempore compactus fuit, quo eum in unum corpus conflatum fuisse arbitror, benedictio autem Jacobina vel eo tempore vel ante id tempus composita est, constat, si quid in hoc genere constare potest, cantilenam nostram tali collectioni vel insertam esse, vel scriptam esse dumtaxat ut eidem insereretur.

§ 1. *In Leae filios quattuor majores.*

De versuum 3, 4 emendatione et interpretatione jam antea disserui (Pars II, p. 109). In ultima versus quarti clausula parallelismus flagitat ut pro עָלָה reponamus vel עֲלֵה vel עֹלֵה. Neque enim ferri potest transitio illa in medio versu a secunda ad tertiam personam. Ad rem ipsam quod attinet, poeta Solomoneus, post eventum scribens, explicare voluit, quare tribuum Israelitidum tres illae, quae in vetere traditione agmen fratrum ducebant, sortem minus prosperam in terra genti promissa obtinerent. Nam Ruben, quem maximum natu perhibebant, trans Jordanum more nomadico morabatur (Jos. XXII al.). Simeon, qui principio aliquot urbes in ditione Judae occupabat (Jos. XIX, 3), postea in Idumaeam migrabat atque ibi pastoritiam

vitam exercebat (1 Paralip. IV, 41). Levi autem per universam Palaestinam sine ullo possessionis jure sparsus est (Deut. XVIII, 1). Jam vero omnino erant duae causae, ex mente veterum Judaeorum, propter quas tribus istae exheredatae fieri poterant. Ambae in primaeva illa Ecclesiae Jasharanae coarctatione tanquam causae rejectionis apparent. Ambae in altera Decalogi tabula primis interdictis prohibentur. Sunt enim *impudicitia,* praesertim quum ea pietatem quoque violat, ut in Chami Canaanique peccato; et *fraus cruenta vi conjuncta,* qualis Edomitis illis objicitur; hae sunt, inquam, causae primariae cur aliquot consanguineae tribus e proborum societate exclusae esse possent. Nescio an Rubenitae trans Jordanum habitantes incestis matrimoniis pro consuetudine sua dehonestati essent. Moabitae certe et Ammonitae, inter quos Rubenitae degebant, ad incestam patris cum filiabus suis fornicationem originem suam referebant (Gen. XIX, 37, 38), quod ex tali consuetudine confingi potuit. Sed utut ea se res habeat, nullam profecto justiorem paternae indignationis causam excogitare licet, quam hoc Rubeni adulterium. Ita Homerus quoque, quum Phoenicis exsilium explicaret, simile concubinae stuprum allegat, propter quod pater filium diris devovisset (Il. IX, 448 sqq.).

Ex Simeonitarum autem historia atque ex violenta eorum in Idumaeam irruptione satis patet, cruentam illam et dolosam Shechemitarum ultionem (Gen. c. XXXIV) optime quadrare in vagabundae hujus tribus mores et consuetudinem. Levitas quoque, qui haud aliter quam Graecorum ἀγύρται undique mendicabant, latronum cohorti sese adjungere posse, et sub relligionis nomine eorum rapinas et caedes sancire, satis ostendit singularis illa historia de Danitis qui, a Levita quodam adjuti, tranquillos atque innocentes Sidonios gladio interfecerunt, oppidum vero eorum ignibus cremabant (Jud. c. XVIII). Simeonitarum Levitarumque violentiam similem fuisse colligimus ex loco nostro,

ubi de hominibus interfectis, et de jumentis mera lascivia mutilatis traditionem quandam legimus. Quod in hoc facinore describendo poeta Graeco vocabulo מְכֵרָה utitur, id, ut supra vidimus, respicit ad mercenarios illos Philistaeos et Cretenses, qui Graeca armatura distincti sub finem regni Davidei stipendia in Judaea merebant, qui quum ab ipsa Simeonitarum vicinia, h. e. in confiniis Philistaeorum et Idumaeorum, proficiscerentur, — hic enim tanquam advenae in terram illam *ἀλλοφύλων* navibus egressi sunt — consentaneum erat ut poeta noster Solomoneus eorum gladios latrocinantibus Simeonitis tribueret [1]). Quoniam haec Graecae vocis mutuatio satis defendi et explanari potest, non opus est ut ad Aethiopica cum Maurero, aut ad Syriaca cum Dathio confugiamus. Delitzschius, qui omnem cum *μαχαίρᾳ* societatem spernit (»mit dem das Wort natürlich nichts zu thun hat«), agnoscit tamen vocem מְכֵרָה, »gladium« significare, et ad radicem כּוּר rem refert. At enim vero, quum Hebraei gladium nuncuparent חֶרֶב, verisimile non est, si ambae voces pariter nativae essent, hanc quidem nusquam non occurrere, illam vero *ἅπαξ λεγομένην* esse. Quodsi concedimus vocem מְכֵרָה Graecam esse, illico concludimus hoc carmen non scriptum esse ante finem regni Davidis, qui primus se Graecis spiculatoribus stipabat. Neque enim antea Hebraeis innotescere potuit, quamnam designationem Graeci gladio inderent [2]). Ceterum recte

---

[1]) Ut supra vidimus inter Davidis satellites commemoratur Caurus quidam vel *Car ὁ μαχαιροφόρος*. Neque illud praetermittendum est, *Carem* Cyprii regis (et Philistaei e Cypro in Palaestinam migrarunt) hypaspistam *δρεπάνῳ* vel longo gladio insultantis equi pedes amputasse (Herod. V, 111, 112). Ad militarem Carum indolem quod attinet, idem Herodotus tradit (V, 119): *μοῦνοι τῶν ἡμεῖς ἴδμεν Κᾶρές εἰσι οἱ Διὶ Στρατίῳ θυσίας ἀνάγουσι.*

[2]) Ne quis miretur, quod Hebraei Graeco nomine gladium insigniebant, observandum est hodiernas telorum apud Anglos designationes *bayonet, musket, sabre*, etc. peregrinas esse.

monet Schumannus: »cave ne praeverbium בְּ, quod, ubi cum verbo *motus* copulatur, simul indicat *manere* aliquid in aliquo loco, cum praepositione אֶל־, quae tantum *motum* ad aliquam rem exprimit, temere commutes. Nam praeterquam quod hoc docet natura hujus praeverbii, in altero hemistichio parallelismi synonymici vocc. בִּקְהָלָם אַל־תֵּחַד illud adfatim confirmant.« Ita quasi continuam harum tribuum exclusionem indicare voluit poeta; et quum addit, patriarchae nomine loquens, istos fratres nequitia gemellos inter Israelitas non sicut reliquas tribus certas in promissa tellure sedes habitaturos, sed dispersos fore, non certe exspectabat fore ut ea sententia irrita fieret, sed tanquam perpetuo mansuram condemnationem suam pronuntiabat. Atque hic oritur quaestio illa de Levitarum sorte. Si enim hoc canticum sub Solomone scriptum est, et si tunc temporis Lèvitae summo sacerdotio et multis praemiis atque honoribus fruebantur, vix credibile est poetam hanc tribum tanquam perpetuae maledictioni obnoxiam inducturum fuisse. Assentior igitur Drechslero dicenti: »*nach* der Bestimmung Levi's zum Priesterstamme hätte Gen. XLIX, 7 nimmermehr erfunden werden können« (apud Delitzschium Gen. p. 369). At quonam tempore id factum fuisse putas? Nec hujus loci nec mei consilii esset rem omnem a principio examinare. Quam brevissime tamen exponam quantum ad canticum nostrum pertinere videatur. Si ad librum Deuteronomii spectamus, nullum discrimen videmus inter sacerdotes et ceteros Levitas (XVIII, 1—5). Seriorem igitur explanationem habemus in libro Numerorum (XVIII, 2), ubi nomen לֵוִי Scriba ita interpretatur, ut significet Levitas sacerdotum socios et ministros fuisse. Si libros Judaeorum historicos percurrimus, nullum ibi separatum sacerdotum ordinem invenimus. Etiamsi nonnunquam Levitae singulis hominibus a sacris assistebant (Jud. XVII, 5 sqq. XXVII, 30), tamen tam privati homines (Jud. VI, 17 sqq. XIII, 19 sqq.), quam reges (1 Sam. XV, 21. 2 Sam. VI, 13. XXIV, 25)

et prophetae (1 Sam. XVI, 2) pro se quisque hostias Jehovae mactabant. Ad arcam foederis conservandam, vel Shilunte vel Hylopoli (קִרְיַת יְעָרִים) vel Gibeae vel Nobae, aliquem, ut videtur, nominatim consecrabant (1 Sam. VII, 8). Etiam post templum conditum Solomo sacerdotis officio fungebatur (1 Reg. IX, 25), et Levitae nonnisi in servilia ἱεροδούλων [1]) ministeria advocati erant, ad arbitrium regis (1 Reg. II, 27), et nonnunquam, ut significatur, abjecta paupertate terebant vitam (1 Sam. II, 36). Sed ordo Leviticus ad summam dignitatem paullatim evectus est; praesertim in regno Judaeae, ubi post Athaliae mortem ingens rerum commutatio Levitarum Judaeorum auxilio facta est (2 Paralipom. XXIII, 2 sqq.). Nec tamen dominatio illa spiritalis penitus adolevit donec Israelitae, a Babylonio exsilio reversi, auspicibus Esra aliisque sacerdotalibus viris absolutam sibi hierarchiam constituerunt. Hinc illae Levitarum decumae ceteraeque praerogativae. Hinc ritus et ceremoniae et Pharisaeorum farrago. Hinc aucta illa et passim immutata Pentateuchi editio. Quum tamen ne evanida quidem hujus sacerdotii et hierarchiae vestigia in Solomonis historia inveniamus, nihil prohibet quominus vates Solomoneus sortem minus prosperam Levitarum sodalitati attribueret. Et aliquam saltim gratiam scribae Masorethico habere debemus, quod quum exili parodia hujus cantici Mosis benedictionem corrupisset, hunc tamen locum intactum reliquit, ut nobis inde detegere possemus insiticium pannum, quo alium Jasharani libri Fragmentum tam infabre deformavit.

Jam vero a detestatione ad benedictionem poeta se convertit. Atque hic quidem ita rem gessit G. A. Schumann, ut minimum mihi operae ac laboris reliquerit. Vidit enim hoc Judae praeconium necessario spectare ad id tempus »quo Judae tribus summo imperii splendore florere coepit, quo a Saulo, e Benja-

[1]) Similiter Cicero nominat (Cluent. XV, 43) »ministros publicos Martis, quorum satis magnus numerus esset«, ut civitatis jura oppeterent.

minis tribu oriundo, regis dignitas pervenit ad Davidem, Judae prolem, qui fines Judaeorum immensum quantum extendit, et imperium, Sauli regis temeritate debilitatum, mirifice stabilivit, stabilitumque tradidit Solomoni filio.« Cum hac sententia optime concinit membrorum consecutio et parallelismus. Catulus leonis exhibet nobis adolescentem illam potentiam Davidis, qui in montana lustra conscendens tot spolia ovans secum reportabat. Sed summa rerum potitus Davides cum adulto leone comparatur, qui in genua procumbens nullum hostium impetum veretur. At leaena cum catulis circumjacentibus, quam nemo excitare ausit, apte depingit Solomonis tranquillitatem paternis victoriis partam. Quod si concedimus triplicem hanc leonis comparationem unice spectare ad Davidem Solomonemque, constabit eandem mera imitatione translatam esse in Bileami canticum, ubi similem notionum societatem desiderabis (Num. XXIII, 24. XXIV, 9). Sed de aetate illius cantici infra videbimus. Poeta autem aptissime transit a recumbente leaena ad tranquillum pacifici Solomonis regnum et auream illam aetatem qua Juda frueretur. Significat ergo Judae imperium permansurum esse, donec quies et cum quiete gentium obsequium Judae obtingeret. Vocem מְחֹקֵק denotare scipionem longiorem quae in insterstitio pedum sedentis regis atque ad humerum ejus reponitur (cf. Aeschyl. Agam. 195: *ὥστε χθόνα βάκτροις ἐπικρούσαντας Ἀτρείδας δάκρυα μὴ κατασχεῖν*) satis ostendit ipsius loci phraseologia et parallelismus, confirmavit autem Gesenius (in Thesauro) duabus citationibus quarum posteriorem hic locus aperte imitatur (Num. XXI, 18. Ps. LX, 9). Sed de clausula: עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה tot et tam variae explicationes promulgatae sunt, ut, quae verissima est Schumanni observatio, si historiam earum exegetico-critice scribere velis, verendum sit, ne volumen ipso Geneseos libro multo amplius edas. Cunctae tamen interpretationes triplici quasi acie instrui possunt. Agmen ducit eorum sententia,

qui quum venturi Messiae in hoc loco significatiònem agnoscant, lectionem שֶׁלֹּה vel שֶׁלּוֹ pro אֲשֶׁר־לוֹ textui obtrudunt, et intelligunt »donec is venerit cujus illud (sceptrum) est.« Sed difficile est conciliare hanc lectionem cum Masorethico שִׁילֹה. Deinde ista relativae sententiae abbreviatio serioris Hebraismi est, quae tamen quum recentioribus usitatissima foret, facile huc transtulerunt Ezek. XI, 32: עַד־בֹּא אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט, atque ita scriptionem defectivam שִׁלֹה in formam dagessatam שֶׁלֹּה commutaverunt. Secundum ordinem eorum complent sententiae, qui de urbe *Shilunte* cogitant. Atque ii quidem eatenus verum vident, quod vocabulum nostrum ad radicem שָׁלָה, *tranquillus fuit,* referendum censent. Fuit enim *Shilo* urbs in tribu Ephraim, ubi quum primam relligionis sedem in terra promissa constituissent Israelitae, urbi ipsi nomen *tranquillitatis* indiderunt. Nec negaverim citationem illam Delitzschii (Gen. p. 373) aliquid ponderis habere ad similem huic loco interpretationem conciliandam. Laudat enim 1 Sam. IV, 12: וַיָּבֹא שִׁלֹה *et venit Shiluntem.* At vero haec interpretatio historicam veritatem aspernatur. Neque enim verum est Judae tribum principatum obtinuisse usque ad id tempus, quo Israelitae Shiluntem, tanquam Dei aedem, se conferrent, nec illum principatum postea desiisse.

Restat igitur, ut ad triarios confugiamus, ad eos, scilicet, qui quum sententiam unice veram profiteantur, contentionem paene desperatam salvo Marte restituant. Nam nullus sum dubius, quin שִׁילֹה significet *pacem, quietem,* qualis fuit Solomone regnante, qui ipse vocabatur שְׁלֹמֹה i. e. *pacificus,* et אִישׁ מְנוּחָה i. e. *vir tranquillitatis* (1 Paralip. XXII, 9). Haec mihi se commendaverat interpretatio antequam ullum commentarium inspexissem. Hodie vero perpensis omnibus omnium sententiis nullam video quae rerum et verborum nexui magis sit accommodata, nullum quae in grammaticas rationes melius quadret, nullam quae varias hujus loci lectiones convenientius explicet.

Et miror quenquam, qui a critica facultate satis valeat, ullam aliam rationem inire posse. Habemus igitur vatem Solomoneum, sui temporis laudatorem. Habemus, qui pacem atque opulentiam ubique videret, qui haec omnia tanquam amplissimam vetustae vaticinationis consummationem agnosceret, quum post Davidis victorias et splendida regni Solomonei initia, tanta esset vitium copia ut agricolae generoso palmiti, tanquam ignobili rubo, asellos alligarent, tanta vini abundantia, ut vino pro aqua uti possent, atque ut omnes quasi perpetuo convivio hilares essent et rubicundi, tanta autem gregum multitudo, ut lacte manaret terra ex promisso Jehovae (supra Deut. VI, 3), ut omnes incolae niveo illo et pingui potu sitim qualemcunque restinguerent.

§ 2. *In Leae filios duos minores.*

Ordo filiorum Jacobi, quo in hoc cantico invicem succedunt, non plane concinit cum catalogo, quem supra e Geneseos capite XXXV excerpsi. Hic enim Zebulon Issacari praeponitur; et quattuor ancillarum filii, qui post Leae filios inseruntur, ita commiscentur, ut filiorum Zilpae Leanae filii Bilhae Rachelanae utrumque latus claudant. Deinde in fine subsequuntur Rachelae ipsius filii. Hunc ordinem, quem haud scio an geographica quadam ratione permotus induxerit poeta noster, non erit operae pretium turbare. Satis fuerit quattuor quasi sectiones vel particulas discernere.

Zebulonis tribus a lacu Tiberiadis ad sinum Ptolemaidis pertinuit, et tametsi commercio dedita et fortasse litteris Phoeniciis imbuta tamen pro aris et focis contra Siseram naviter pugnavit (Jud. V, 18). Ut Juda leoni, ita Issacar asino comparatur. Neque id ita comparatum est ut pro ludibrio habeatur. Nam Homerus quoque magnanimum Ajacem, quum a pugna recederet, tardo asino assimilavit (Il. XI, 557). Illud significare voluit vates noster, Issacarem, cujus nomen mercedem שָׂכָר

innuere potest, conductos mercede colonos praebuisse, et quum agrum Esdraelonis fertilissimum obtineret, maluisse agriculturae quam bello operam dare. At vero quum ad fores ipsius Deborae auspiciis pugnatum erat, is quoque officio suo non defuit (Jud. V, 15). Vocabulum מִשְׁפְּתַיִם varias interpretationes nactum est. Potest utique significare *aquarum canales,* ab Arabico سفت *bibit,* atque ita spectaret ad fluenta quae campos Esdraelonis irrigant. Sed melius foret ad verbum שָׁפַת *posuit* redire, ita ut intelligamus gemina illa repagula, inter quae jumenta in stabulis quiescunt; cf. Jud. V, 16.

§ 3. *In quattuor duarum ancillarum liberos.*

Quae de Danitarum fortuna figura poetica innuuntur, ea plerique omnes ad Simsonem referunt, qui, quum Philistaeos non modo miranda corporis vi, sed etiam astutia debellasset, etsi dispersa tribu Danitarum oriundus, tamen summum judicis officium inter Israelitas obtinebat. Si Danitarum historiam contemplabimur, videre licebit eos haud aliter ac Simeonitas praedationi deditos fuisse (Jud. XVIII, 1 sqq.), ut quos Amoraei in montes compulissent (Jud. I, 39). Constat igitur Simsonem, ut antea Jephtha Gileadita (Jud. XI), postea Davides, mediaevis autem temporibus Franciscus Sforza fecerunt, mercenariorum agmine militarem gloriam adeptum, ita summum inter suos locum obtinuisse. Quum tamen captivitatem ac miseram mortem oppeteret, poeta ad ampliorem Davidis sui fortunam respiciens subjicit: »tuum auxilium exspecto Jehova!« Nam hoc comma bene intellexit Schumannus: »poeta Simsonis tempora depingens per Jacobum ingemiscit malis, quae Israelitae Philistaeorum jugo pressi pertulerint, simul fore sperans ut Jehova bene juvante eveniat, quod Simsone effici non potuerit, Davidis victoriis.« In hanc sententiam citat Jonathanis paraphrasin. Melius potuisset citare Psalmum LXXXIX, 19 sqq.:

Jehova est clypeus noster,
Numen Israelitarum est rex noster.
Olim in visione clienti tuo locutus es:
»Auxilium imposui viro fortissimo,
Hominem e populo electum exaltavi.
Inveni Davidem cultorem meum,
Sancto oleo inunxi eum.«

cf. Psalm. XXXIII, 20: »Jehovam exspectat animus noster; ille enim nobis auxilium est et clypeus.« Quum Danitae vix aut ne vix quidem inter tribus Israelitidas recenserentur, verba כְּאַחַד possis reddere »tanquam si esset una tribus«, tanquam si aequo cum ceteris jure ac potentia esset. Sed praestat, opinor, אַחַד, hic loco ordinalis numeri רִאשׁוֹן positum intelligere (cf. Gen. I, 5. Exod. XII, 18). Ita eandem notionem majore vi inculcatam habebimus: »Dan, qui vix est tribus, tanquam princeps tribus aliquamdiu regnabit.« Statim post Danitarum tribum scriptor noster Gaditas commemorat, quorum militiam simili dictione describit. Gaditae enim inter Ammonitas degentes et Arabum incursionibus infestati *ξυνήθη τὴν δίαιταν μεθ᾽ ὅπλων ἐποιήσαντο* (Thucyd. I, 6). Itaque ut Danitae serpenti ex latebris exsilienti et equorum *calces* morsu adorienti comparantur, ita Gaditae etiam, quum Ammonitae vel Arabes terram eorum populati praedam abigebant, ex insidiis irruentes *calcem*, i. e. extremum agmen recedentium latronum cominus aggrediebantur. Legendum esse cum Scheidio עקבם, quivis critices peritus concedet. Nam contra analogiam esset, si Asheri commemoratio praefixo מ inciperet, quum cunctae tribus casu recto inducantur. Quadruplex verbi lusus in prima clausula optime concinit cum Jasharano more quem indubium illud hujus libri specimen infra exhibebit (2 Sam. I, 20). Ad rem quod attinet, militaris Gaditarum laus ad Jephtham Gileaditam spectare potest, qui ante Simsonem judex fuit inter Israelitas. Sed profecto haud oblitus est poeta noster quantopere undecim illi Gaditarum heroes Da-

vidis ipsius gloriae contulissent (1 Paralip. XII, 8). De Asheritis, qui angustam quidem sed fertilissimam maris mediterranei oram occupabant, nihil hic commemoratur, nisi opimis illos deliciis abundare, ita ut Solomo cuppedias qualescunque suas inde asportaret. Naphthalitarum praeconium paullo difficilius primo aspectu apparet. Nam plurimi interpretes textum sic refingendum putant: נַפְתָּלִי אֵילָה שְׁלֻחָה הַנֹּתֵן אֲמִרֵי שָׁפֶר, i. e. »Naphthali est arbor surculosa, edens ramos pulcritudinis.« Quum tamen reliquae tribus non cum plantis sed cum animalibus comparentur, praestat certe eandem translationem hic quoque exspectare. Quocirca legendum est אַיָּלָה, et reddendum ut in versione posui. Nam *cerva emissa* vel *cerva loca montana libero pede permeans* apte repraesentat Naphthalitarum sortem, qui Libanum occupabant, ibique post Baraqui victoriam summa libertate fruebantur. Praeterea quaedam bellicae laudis significatio in hac figura contineri potest. Velocitas enim inter militares praestantias censetur. Ita Achilles perpetuo epitheto *πόδας ὠκὺς* vocatur, et, si verum vidi, veteres Etrusci, ut Teutones illi a quibus orti sunt, suum nomen a celeritate cursus derivabant (Varronianus Ed. alt. p. 69). Similiter in vetere Testamento heroes illi Gaditae dicuntur esse »caprearum instar in montibus veloces« (1 Paralip. XII, 8). Et Asahel describitur tanquam »capreae sylvestri pedum velocitate similis« (2 Sam. II, 18). Quinetiam in elegia Jasharana Saulus et Jonathan aquilis leviores fuisse perhibentur (2 Sam. I, 23). *Verba* illa *pulchritudinis* vel *splendoris* quae Naphthalitis tribuuntur spectant proculdubio ad nobilissimum illud epinicium, quo Debora prophetissa Baraqui Naphthalitae victoriam celebravit. Verbum שָׁפַר jubilantem victorum exultationem apte describere posse, ostendit vox שׁוֹפָר *tuba* vel lituus, inde derivata. Hanc vocabulorum familiam nuper examini subjecit F. Böttcher (Höfer, Zeitschr. f. d. Wissenschaft der Sprache III, pp. 1—31).

§ 4. *In duos Rachelae filios.*

Quae quibusdam interpretibus inextricabili difficultate impedita videtur Josephidarum benedictio, ea latioris critices ope illustrata facillimum praebet sensum, qui cum antiquiore Ephraimitarum historia aptissime cohaereat. In primis mihi certissimum videtur errasse eos, qui voces בֵּן פֹּרָת ad fruges, ramos, vel surculos qualescunque rettulerunt, verum autem vidisse Schumannum aliosque, qui פֹּרָת idem esse putant quod פָּרָת *juvencam, vaccam*, ut adeo בֶּן־פֹּרָת sive בֶּן־פָּרָת *pullus vaccae*, fere idem sit, quod בֶּן־בָּקָר Exod. XXIX, 1, i. e. *juvencus.* Nam ne repetam poetam nostrum imagines suas non a plantis sed ab animalibus derivasse, sagittariorum mentio minime quadraret in plantam. Praeterea, in Deut. XXXIII, 17, ubi interpolator ille planissime imitatur nostrum carmen, Josepho decus primogeniti bovis exoptatur. Quinetiam Jeremias, qui si quis alius probe cognovit librum Jasharanum, de Ephraimo sub imagine vituli refractarii loquitur (XXXI, 18). Ut tertius versiculus omni labe careat, levissimam eandemque certissimam emendationem adhibendam censeo. Inserta enim *vav* tam ante quam post שׁוּר, vel hac potius ab initio sequentis versiculi illa e media voce detracta, optimus sensus restitui potest; praesertim si cum Ilgenio, Vatero, Justo, et Gesenio pro בָּנוֹת statum constructum בְּנוֹת sufficias. Quippe sic decurret sententia: »filiae ascensionis, i. e. ferae montanae, insidiabantur super eum« עָלָיו שָׁרוּ. Verbum שׁוּר significat *insidiari* cum praepositione עַל, ut hic, in loco Hoseae, ubi de fera latitante et insidiante sermo est (XIII, 7): כְּנָמֵר עַל־דֶּרֶךְ אָשׁוּר, »sicut panthera super viam insidiabor«. Jam vero tam ferae quam venatores praedam suam ad fontes exspectant. Ita rex Dasaratha in Sanscritico poemate *Rámáyaná* elephantem ad aquam insidiatus miserum illum eremitae filium sagitta occidit. Et si recentiorem auctorem desideras, legas

λεοντοφόνου illius Gordono-Cummingi historiam, qui mites ferasque belluas semper inter aquandum exspectabat. Bene igitur poeta noster, quum Josephum tanquam juvencum ad fontem induxisset, advocat etiam feras e montibus et venatores sagittarios, qui eum infestis ungulis et telis adorirentur. Ista ad Ephraimitarum casum, qui in libro Judicum (c. XII) enarratur, pertinere arbitror. Quum enim Ephraimitae Gileaditas invasissent, hi Jephtha duce insignem victoriam reportabant. Et non solum multos in proelio illo conciderunt, verum etiam quum ii, qui evadebant, ad Jordanis vada accederent, Ephraimitica dialecto agnitos ad duo et quadraginta hominum millia trucidarunt. Ferae illae montanae apte repraesentant Gileaditas, cujus nomen גִּלְעַד asperam, montanam, et lapidosam regionem designat. Sagittarios etiam sub regibus inter Gileaditas abundasse satis docet pugna illa, quae Ramothae Gileaditicae commissa est (1 Reg. XXII, 34). Sed quantumvis oppressi a Gileaditis, Josephidae adeo vires suas in integrum restituerant, ut regnante Solomone inter potentissimos Israelitas censerentur, et post magnifici illius regis obitum, novem tribubus adscitis, a Judaeorum imperio desciscerent, et novam, sub rege Ephraimitico, dominationem instaurarent. Itaque prudenter egit poeta noster, qui sub Solomone scribens Josephidis subblandiretur et quasi secundo munere palparet, commemorans tamen quantis ex angustiis per Dei patrii beneficium erepti essent. In versu 24 pro מִשָּׁם reposui מִשֵּׁם, quam lectionem a Syro atque Onkelo probatam Dathius idcirco commendat, quia parallelismus clausularum veram iterationem efflagitet. Divini nominis quantae sint in historia Jacobi partes supra vidimus (Pars II, Fr. IV), ubi lapis quoque Jacobi Bethelicus commemoratur. *Benedictiones caeli* sunt pluviae roresque, *benedictiones profundi* sunt fontes et rivuli, *benedictiones uberis et uteri* sunt copia lactis et pecudum, quae omnia Josephidis obtigerunt, quae autem, ut poeta significat, tamdiu permansura

erant, quamdiu restarent montes illi qui in Ephraimi et Manassae finibus eminuerunt. Vocabulum נְזִיר, ut vides, propria verbi significatione accepi. Nam ut taceam de pulcherrima illa Josephi historia, quae postremam Geneseos partem dramatica quadam actione vivificat, satis patet Ephraimitas seorsim in terra Goshenis habitasse atque inde erumpentes Philistaeos rapinis infestasse. Ita enim interpretari licet antiquissimae traditionis vestigia (1 Paralip. VII, 21. Bunsen, Aegypten I, p. 220). Sin mavis נְזִיר cum Dathio *optimus* vel cum Rosenmüllero *eximius* reddere, equidem non repugno. Ita enim adulatoriam hanc potentissimae tribus allocutionem haud absurde absolveris. Quae de Benjaminitis dicuntur, gentem significant militiae et latrocinio penitus deditam. Et militarem Benjaminitarum excellentiam satis comprobatam habemus in illa historia qua post multas victorias tribus haec fere a ceteris Israelitis deleta est (Jud. c. XX). Davidis autem temporibus haec tribus, quae regem totius gentis, Saulum, filiumque ejus Jonathanem, ambos insigni militaris gloriae laude florentes, suppeditaverat, Davidi ipsi fortissimos stipatores misit, qui cum Gaditis istis commemorantur (1 Paralip. XII, 1 sqq.).

IN BILEAMI CANTICUM.

Fuit inter Judaeos vetus, ut videtur, traditio vixisse Mosis temporibus in extremis orientis orae regionibus Bileamum quendam propter artes magicas maligna maledictionis vi praeditum; quem quum Balaquus, Moabitarum rex, eo consilio arcessivisset, ut Israelitas per suos fines iter facientes diris devoveret, divino illum afflatu abreptum bona ac fausta omnia praedicasse. Si Solomone regnante carmen aliquod vel exstaret, vel compositum esset, ut hanc benedictionem invito vati extortam vividis coloribus

depingeret, non modo verisimile est, sed potius certissimum, illud in collectione Jasharana locum occupaturum. Nam, si quid videmus, ista collectio propterea edita est, ut Summi Numinis benedictionem et tutelam, atque alia omnia quae *probitatem* sequerentur, cum anteacta dilecti populi historia et cum praesenti, qualis sub Solomone fuit, faustitate conjuncta esse ostenderet. Quid igitur significantius foret, quam vatem avarum, malignum, inimicum exhibere e summa rupe in Israelitarum tentoria despicientem atque inde de probitate eorum et ventura felicitate concionantem? Ex rei ipsius natura liquet hanc cantilenam simpliciter poeticam esse et confictam. Quis enim ex amicis Israelitarum tale praeconium, assistens prophetae, ipsius ore exceptum litteris mandaret? Neque enim vel ipse vel Balaquus illud sibi munus imponi sivisset. Si quis hodie vivit, qui ipsissima Bileami verba memoriae prodita fuisse existimat, is sua sententia, per me licet, abutatur. Equidem satis habebo brevi comprobatione demonstrasse: (*a*) Bileami vaticinium sub Solomone scriptum esse, (*b*) et ad Jasharani libri argumentum data opera spectare.

a) Hoc vaticinium non scriptum esse *ante* Solomonem certissimum est. Nam in Num. XXIV, 3 indubiam habemus imitationem verborum eorum, quae Davides ad finem vitae suae composuit (2 Sam. XXIII, 1). Si verba ipsa nostri loci: נְאֻם בִּלְעָם בְּנוֹ בְעֹר וּנְאֻם הַגֶּבֶר שְׁתֻם הָעָיִן cum istis verbis: נְאֻם דָּוִד בֶּן־יִשַׁי וּנְאֻם הַגֶּבֶר הֻקַם עָל comparas, vix fieri potest quin eundem in utroque loco stylum agnoscas. At enim vero E. W. Hengstenberg, qui haud indoctam de hoc cantico disputationem abhinc decennium edidit (die Geschichte Bileams und seine Weissagungen, Berlin 1842), Davidis verba ex nostro loco mutatis mutandis desumpta esse idcirco putat, quia hic vetustiorem formam בְּנוֹ, ibi vero recentiorem בֶּן־ reperimus (p. 134). Eorum argumento evinceremus, id quod minime con-

cederet Hengstenbergius, narrationem huic cantico adjunctam ipso cantico recentiorem esse. Nam ibi legimus בֶּן־בְּעוֹר (Num. XXII, 5). Sed quanquam nullus sum dubius, quin antiquius sit poema nostrum, quam historia illa[1]), quae recentioris Judaismi prodigia sapit, nec negaverim בְּנוֹ בְעֹר magis genuinam esse lectionem quam בֶּן־בְּעוֹר, minime concludam inde Davidem hanc cantilenam imitatum fuisse. Nam בְּנוֹ יִשַׁי forma foret prorsus inaudita. Supra vidimus (Gen. XLIX, 11) בְּנִי אֲתֹנוֹ, »filium asinae suae«; et habemus formam חַיְתוֹ nominibus generalibus, sicut שָׂדַי, יַעַר, גּוֹי, praefixam. Sed in his formis, si quid video, י vel ו residuum est articuli, vel pronominis indicativi, quod definitioni inservit, quod tamen ante verum patris nomen nunquam inseritur. Forma illa ἅπαξ λεγομένη בְּנוֹ ipsa per se demonstrat *Bileamum* ex antiquissima traditione generalem potius praestigiatoris designationem fuisse, quam cujuspiam hominis nomen proprium; et patrem *Beorem* eandem significationem habuisse. Illud non ignorabat Hengstenbergius, qui veram horum nominum etymologiam ex Simonis horreo deprompsit (p. 20). Scilicet בִּלְעָם compositum est e בָּלַע, *absumpsit, perdidit,* et עַם *populus,* denotat autem potentem praestigiatorem, cujus efficaci scientia civitates perniciei devotae erant. Similiter patris nomen בְּעוֹר, vel scriptione defectiva בְּעֹר, spectat ad radicem בָּעַר *absumpsit, igne depavit,* quod in hoc ipso cantico occurrit (Num. XXIV, 22). Nisi mavis utrumque nomen ad militarem populationem referre; nam inter reges Idumaeorum commemoratur etiam בֶּלַע בֶּן־בְּעוֹר (Gen. XXXVI, 32). Obiter moneo Graecam transcriptionem Βόσορ (2 Petr. II, 15) ex confusione inter בעור et בשר profluxisse[2]). Sed nomen Bileami

[1]) Aliquam narratiunculam cum hoc poemate in libro Jasharano conjunctam fuisse ostendit Michae citatio (VI, 5), ubi historia Israelitarum in eandem cum hoc carmine memoriam revocatur.

[2]) Illud fortasse non nimis urgendum est, quod Psalmus XCII, qui Sab-

patrisque ejus ad divinationem spectare confirmatur nomine urbis, in qua diversabatur. Nam, ut Hengstenbergius acute conjecit (p. 35), urbs פְּתוֹר in Mesopotamia (Deut. XXIII, 5. Num. XXII, 5) indicat locum, ubi collegium interpretum celebratum est; radix enim פָּתַר significat *interpretatus est somnium* (Gen. XL, 8, 16, 22), unde פִּתְרוֹן *somnii interpretatio* (Gen. XL, 12, 18). Concludo igitur Bileamum in antiquo poemate idcirco בְּנוֹ בְעֹר appellatum fuisse, quia הַבְּעֹר potuit significare *eum qui maledicendo perdit,* ita ut officii hic definitionem potius quam paterni nominis habeamus. Similiter in libro Josuae idem Bileamus appellatur הַקּוֹסֵם, i. e. *hariolus* (XIII, 22), ut a vero propheta discernatur. Sed fortasse supervacanea est haec de nominibus argumentatio. Nam si canticum illud Jacobi sub initium regni Solomonei compositum est, id quod supra demonstravimus, hoc poema, quod inde iteratam citationem excerpsit (cf. Num. XXIV, 9. Gen. XLIX, 9. Num. XXIII, 24. Gen. XLIX, 9. XLIX, 27), ultima Davidis verba mutuatum esse constat, non vice versa. Ergo non *ante* Solomonem scripta est Bileami vaticinatio. Nec tamen *post* Solomonis decessum conflari potuit. Nam primum Michas ille ad hoc carmen tanquam vetus aliquid provocat: »recordare« inquit, »quid Bileamus Balaquo responderit, et quae in te beneficia contulerim a Shittim (i. e. a tempore statim post Bileami vaticinium Num. XXV, 1) usque ad Gilgalem (ubi in terram promissam ingrederentur, Jos. IV, 19).« Haud ita locuturus fuisset, si recentius aliquod carmen sub Bileami nomine circumferretur. Deinde vero, quum canticum nostrum beata omnia de conjuncta et numerosa Israelitarum gente praedicet (Num. XXIII, 9, 10. XXIV, 7), fieri non potest, ut conscripta sit haec benedictio post perniciosam illam Jerobeami sedi-

---

bato destinatus hanc cantilenam imitatione exprimit (cf. vv. 11, 13), et Jasharanam indolem spirat (Deum enim יָשָׁר et צוּר appellat v. 16), virum stultum et impium אִישׁ־בַּעַר nuncupat (v. 7).

tionem, ex quo tempore Juda et Ephraim perpetuo invicem odio vexabantur (Jes. IX, 21, XI, 13). Denique de debellatione Moabitarum et Idumaeorum, quam Davides demum effecit (Num. XXIV, 17, 18. 2 Sam. VIII, 2, 14), ita canit poeta noster, ut qui rem recentioris argumenti tractaret. Nec Amalequitarum excidium et Kenitarum captivitatem ita commemoratam crediderim, nisi si quis Sauli memoriam haud penitus obsoletam foveret. Rem igitur undique contemplanti nulla restat dubitatio, quin hoc vaticinium Solomone regnante confictum fuisse ponam.

b) Bileami canticum data opera compositum esse, ut corpori Jasharano insereretur, illico concedas necesse est, simulac concesseris illud eo ipso tempore scriptum fuisse, quo collectio haec primum divulgari coepit. Nam ambae notiones, quae, ut supra vidimus, in nomine Israelitarum implicitae continentur, tam *benedictionis* (אָשָׁר) quam *probitatis* (יָשָׁר), ita in hoc carmine explicantur, ut consilium auctoris quivis agnoverit. Ut a Bileamo ipso incipiam, quis maledico atque inimico praestigiatori, eidemque peregrino, talem tantamque benedictionem attribuisset, nisi ut beatam et divinitus munitam Israelitarum sortem quasi majore quadam vi significaret? Ac nexus sententiarum, quinetiam verba ipsa scriptoris mentem non aliud fuisse ostendunt. »Quomodo« inquit »imprecabor, quibus Deus non sit imprecatus?« »Bene precari jussus sum, quia Deus nullum cernit inter Jacobitas peccatum, nullam inter Israelitas culpam.« Aliis verbis, Israel אָשֵׁר i. e. *felicitatem* consecutus est, quandoquidem יָשָׁר i. e. *probitatem* exsequitur. At vero si nihil aliud esset ad hanc rem pertinens nisi votum illud (XXIII, 10): »utinam moriar ut *probi* (יְשָׁרִים) illi!« ibi equidem non potuissem non agnoscere Jasharani libri spiritum ac materiem. Fateor enim veram vocis יָשָׁר significationem et naturam libri qui sub hac designatione circumferebatur, mihi magis ex hoc loco eluxisse quam ex alio quovis ubi vox illa occurrit. Rosenmüllerus, cui nihil tale

suboluit, vidit tamen vocabulum יְשָׁרִים respicere ad nomen יִשְׂרָאֵל. Sic enim scribit: »utinam moriar mortem justorum i. e. Israelitarum, uti ex serie orationis liquet, allusione ad litteras ישר facta, a quibus Israelitarum nomen incipit. Videtur illorum verborum sensus esse hic: Israelitae tanta fruentur felicitate, qualem ipse mihi usque ad mortem opto; q. d. utinam mihi contingat aeque fortunatum mori. Innuit Bileamus, totum populum Israeliticum per omnia futura tempora felicissimum fore neque ullum malum esse experturum.« Quid quaeris? si ullus fuit liber יָשָׁר, si talis fuit, qualem ego concipio, si sub fausta et pacifica Solomonis dominatione conflatus est, si eodem tempore editum est istud Bileami vaticinium, ecquis dubitet poema nostrum non modo sedem sibi vindicasse inter alias ejusdem argumenti scriptiones, verum etiam eo consilio ac mente compositum fuisse, ut huic libro insereretur? En tibi quasi totius cantilenae versus intercalaris, qui si non totidem verbis, at significatione tamen usquequaque in libro Jasharano resonare debuit, nullum prophetam aut regem Israelitas a promissa benedictione dejicere posse, modo probitatem suam retinerent.

IN PRIMAM PARTICULAM.

Haec particula facillima intellectu est, nec fusiorem interpretationem desiderat. Terram Aramaeam, quae hic significatur, Mesopotamiam esse, liquet ex secundo versiculo, ubi הַרְרֵי־קֶדֶם commemorantur. In versu 10. cum Venema pro מִסְפָּר divisim מִי סָפַר legendum puto, ut respondeat מִי מָנָה in versu antecedente, atque ut particula אֶת accusativum comitetur. Maurerus haec verba sic reddit: »et [*quis numeret,* quod mente repetendum est] secundum numerum (acc. adverbialis) multitudinem Israelis.« Idem pronuntiat emendationem Venemae, quae a nonnullis libris confirmatur, aperte scioli correctionem esse. Parallelismus membrorum convincit hanc lectionem necessariam esse.

Quum autem רֹבַע *multitudinem* interpretatur ille, etymologiae verbi minime contradicit (vide Lepsium, Zwei sprachvergleichende Abhandlungen p. 139). Sed praestat opinor, cum plerisque interpretibus, intelligere quattuor illas castrorum Israeliticorum partes, in quas duodecim tribus erant divisae (Num. II), quarum vel una ingentem multitudinem contineret. Id quod significatur apertius in versu 13.

IN SECUNDAM PARTICULAM.

Nonnulla sunt in his versibus, quae interpretes torserunt. In v. 21 vocem אָוֶן, quae *vanitatem* significat, intelligo speciatim de idololatria. Similiter Onkelos et vulgatus interpres. Et in 1 Sam. XV, 23 אָוֶן et תְּרָפִים conjunctim nominantur. Praeterea pro *Beth-el* i. e. *Domus Dei* dicebant *Beth-aven* i. e. *Domus Vanitatis,* quum ibi pro veri Dei cultu idololatria irrepserat. Vox עָמָל quoque generalem significationem praestat *μόχϑος, πόνος labor, molestia;* sed ut a *μόχϑος, πόνος* habemus *μοχϑηρία, πονηρία,* ita hoc vocabulum *delictum, culpam, iniquitatem,* atque *impietatem* denotat. Ultima pars hujus versus confirmat hanc interpretationem, nempe Israelitas eo tempore, quo hoc canticum scriptum est, ad idololatriam minime propensos fuisse. Pergit enim scriptor Jehovae regis inter Israelitas praesentiam significare. Recte igitur Rosenmüllerus: »videntur intelligi laetae vociferationes, quae circum tentorium sacrum, quod Deus, *rex* Israelitarum, habitare credebatur, a gratias agentibus et post salutaria sacra convivantibus mittebantur.« Et Hengstenbergius (p. 117) sententiam loci illustravit his locis appositis; Jos. VI, 5, 20: »quando tubarum clangorem audietis, clamorem tollant omnes quam maximum«; 1 Sam. IV, 5: »quum arca legis divinae in castra veniret, Israelitae ingentem clamorem tollebant, ita ut terra commoveri videretur«; 2 Sam. VI, 15: »Davides et cuncti Israelitae adduxerunt arcam inter laetos clamores et tubarum sonos.«

Easdem jubilationes templi consecrationem celebrasse quivis concesserit (vide Psalm. LXVIII, 25 sqq.). Et certum est hanc de cunctis Israelitis praedicationem non potuisse conscribi post Bethelicam illam Jerobeami idololatriam. Ita ut hic quoque notam temporis agnoscamus. In v. 22, etsi optimi interpretes in eo consentiunt quod sub nomine רְאֵם non *monocerota,* neque *orygem* vel aliam qualemcunque *capream,* sed *bovem buffelum* intelligunt, tamen mirificam difficultatem peperit vocabulum plurale תּוֹעֲפֹת. Si ceteros locos, ubi רְאֵם inducitur, comparamus, praesertim Deut. XXXIII, 17, bestiam cornutam et cornibus suis omnia sternentem ante oculos habemus, cui fortitudinis potius ac roboris quam agilitatis significatio conveniat. Prima facie igitur amplecti debemus vulgatam versionem *fortitudinem,* quam Onkelos, Syrus, et Arabs Erpenii sustinent. Eandem significationem alii loco injungunt (Ps. XCV, 4), ubi תּוֹעֲפוֹת הָרִים in nostra versione de *fortitudine* montium intelligitur. Quo loco quum *altitudinem* montium alii significatam velint, ita hic quoque Rosenmüllerus existimat תּוֹעֲפֹת רְאֵם esse idem quod Arabum ايفاع لاريم *elatio caprearum,* qua phrasi Arabes indicent capreas capite sursum elato arrectisque auribus adstare, id quod haec animalia prae alacritate soleant facere. Alii, ut Gesenius, *celerem* et *velocem cursum* intelligunt, quam significationem cum loco Psalmi s. l. et Job. XXII, 25: כֶּסֶף תּוֹעָפוֹת, ubi *montes argenti* (Plaut. Mil. gl. IV, 2, 73), i. e. ingens pecuniae copia, aperte declaratur, nemo poterit conciliare. Quaerendum est, quaenam significatio cum vocis etymo et cum his locis ad amussim congruat. Jam vero vocem hanc ad radicem יָעֵף referunt, quae denotet *defatigatum esse,* et quum lassitudo tam a celeri cursu quam a montibus ascendendis et comparanda pecunia oriatur, sibi videntur omnia satis apte explicuisse! Fuerstius autem (Concord. p. 505) transpositionem literarum confingit, atque ita ad radicem יָפַע transcurrens תּוֹעָפָה reddit »locum, qui longe

lateque conspici potest, a splendendo, unde argentum ex metallis montium erutum«, et, opinor, altitudo cornuum! Quae omnia refutatione non egent. Equidem arbitror radicem יָעַף aliqua affinitate conjunctam esse cum radice עוּף, quae *volare* i. e. *sursum ire* denotat, et in producta forma יָעַף notionem *sursum contendendi* agnosco. Ex hac notione profluxit sensus *contentionis virium et defatigationis.* Unde quivis viderit, quomodo significatio *moliendi, fluctuandi,* et *intumescendi* oriri posset. Atqui illa est quasi montis aptissima descriptio; nam montes sese in juga attollunt, et summum aera petunt. Utrum *ala* et *ales* cum *alo* et *altus* conjuncta sint necne, discrepant etymologi. Sed nemo negaverit *altitudinem* montium ad *alendi* i. e. *majus faciendi* notionem redire, unde *altus fluctus* inter Graecos *τρόφι κῦμα* appellatur a *τρέφειν, alere.* Et avis sublimi volatu iter faciens *altus* appellari potest. Ita corvus, apud Ovidium (Fasti II, 252), »aerium pervolat *altus* iter.« Notiones magnitudinis et laboris sive molestiae inter se commutari posse docet affinitas illa notissima inter *malus* et *μόλις, μέγας, μόγις* et *μόχθος* (New Cratylus § 185). Quid quod illud ipsum רְאֵם vi termini denotat id quod altum est instar montis? Nam רָאַם vel רוּם altitudinem montium exprimit. Neque aliud est vocabulorum *βοῦς* et *ταῦρος* etymon. Nam *βοῦς* quidem ad elevationem humi spectat, unde *βοῦνος* etc. (New Cratylus § 469), et in linguis Indo-Germanicis, ut *χοῖρος* et *χοιράς* ad minorem collium altitudinem spectant (New Cratylus § 281), ita radix *tor-* vel *dor-* montanam regionem designat (New Cratylus § 92). Quam apte montium altitudo qualemcunque ingentem magnitudinem significet, auctor est vir celeberrimus Jonathan Swift, qui in ludicra illa fabella de Gulliveri peregrinationibus, quum viator ille inter pygmaeos Lilliputianos commoraretur, non aliam mirabundis nanis prodigiosi, ut ipsis videbatur, gigantis designationem tribuit, quam *quinbus flestrin* i. e. *homo montis instar*

(»man-mountain«). Ex hac argumentatione concludo, vulgatum interpretem proxime ad verum sensum accessisse, et vocem תּוֹעֲפוֹת significare ingentes vires cum ingenti magnitudine consociatas.

IN TERTIAM PARTICULAM.

Vix operae pretium est eos refutare, qui quum *ἅπαξ λεγόμενον* שְׁתֻם vertant *clausus* s. *obturatus oculis,* Bileamum ita vocari existimant, quia in itinere angelum ante asinam non viderit (Num. XXII, 23, 31). Nam certum est שְׁתַם Chaldaeis significare *perforare, aperire, revelare,* ita ut hoc participium respondeat v. 4 גְּלוּי. Iidem similiter errarunt, quum נֹפֵל v. 4 referunt ad id quod in itinere Bileamo contigerit (XXII, 31). Ut mihi quidem videtur ista historia nondum exstitit quum haec vaticinatio conscripta est. Ceterum bene animadvertit Rosenmüllerus (ad Num. XVI, 4) eos qui divina oracula exspectabant, tanquam extra se raptos, pronos in faciem se prostravisse (cf. 1 Sam. XIX, 25. Ezek. I, 22. III, 23 alibi). Nomen אֲהָלִים vel אֲהָלוֹת denotat *agallochum* vel *xylaloen, lignum aloes* vel *lignum paradisi,* arborem magnam et umbrosam, cujus ligna valde sunt odorata. Quum hic, ut in Psalmo CIV, 16, legimus Jehovam ipsum arbores plantasse, intelligimus laetum ac procerissimum vigorem. Metaphoram in v. 7 sic explicat Gesenius (Thesaur. s. v. דְּלִי): »*manat aqua ex situlis ejus* i. e. larga erit posteritas ejus, metaphora ab aqua de situla destillante ad semen virile translata, ex nostro sensu obscoena, sed Orientalibus familiari (Jes. XLVIII, 1).« In altero hemistichio idem sensus verbis paullo immutatis exponitur. Observat Gesenius דָּלְיָו dualis numeri esse, haustra enim bina esse solere. Mentio Agagi regis Amalequitarum spectat proculdubio ad Sauli victoriam (1 Sam. XV, 8), cujus memoria regnante Solomone satis recens esse debebat. Nec opus est, ut cum Bleekio ad Sauli ipsius tempora recurramus

unde hoc oraculum desumptum esset et huic vaticinationi insertum. Absurda est Michaelis conjectura antiquiorem aliquem regem, Ogygem puta, hoc loco innui. Constat Agagum istum potentem regem fuisse, cruentum bellatorem (1 Sam. XV, 33). Ceterum exstirpatio illa Amalequitarum non modo declaratur Num. XXIV, 20, sed significatur clausula hic statim insequente v. 8, ubi sanguinolenta quaedam victoria describitur. Nam mihi certissimum est, veram lectionem eam esse quam ex Psalmo LXVIII, 24 desumpsi. Ibi enim idem verbum מָחַץ cum necessario supplemento invenimus: תִּמְחַץ רַגְלְךָ בְּדָם, »contorquebis pedem tuum in sanguine.« Profecto praestat supplementum בדם tanquam simili litterarum ductu, qui sequitur כרע, absorptum restituere potius, quam idem vocabulum duriuscula ellipsi subaudire, ne dicam hoc additamento tertiam parallelismi clausulam numerosiorem fieri.

IN QUARTAM PARTICULAM.

Ut in tertia particula Sauli victoriae, ita quarta hac Davidis res gestae significantur. Nam *stellam* illam et *sceptrum* ad potentissimum hunc regem spectare nemo dubitare potest. Stellae enim sunt quasi Jehovae ministri, et sceptrum, quo gentes exteras contundat, Davidi ipsi tribuitur (Ps. II, 9). Davidem autem Moabitas confregisse et ceteros hostes, qui contra eum tumultuabantur, Idumaeae quoque praesidia imposuisse, ut possessiones suas confirmaret, testatur historia (2 Sam. VIII), et Davides ipse gloriabundus praedicat (Psalm. II, LX). Quae omnia cum cantico nostro ad litteram usque concinunt. Nam ut nomina propria omittam, hostes ii, qui בְּנֵי שֵׁת *filii strepitus bellici,* i. e. turbulenti et tumultuantes, appellantur (cf. Jerem. XLVIII, 45: בְּנֵי שָׁאוֹן, qui locus ex nostro imitatione expressus est), nobis in memoriam revocare debent initium Psalmi secundi:

»Quare gentes tumultuantur?
Et nationes aestuant inania?
Conspirant reges terrae et principes conveniunt
Adversus Jehovam eumque quem Jehova inunxit.«

Et in Psalmo sexagesimo, qui ad Idumaeae debellationem spectat, illa ipsa versus 18 formula occurrit; nam quod hic de Davide praedicatur, id Davides ibi de Israelitis suis praedicat (v. 14): בֵּאלֹהִים נַעֲשֶׂה־חָיִל »Deo adjuvante fortiter rem gerimus.« In formula שֵׂעִיר אֹיְבָיו (v. 18) affixum pronominale non ad שֵׂעִיר spectare, sed ad regem illum Israelitarum, suadet positio vocis יְרֵשָׁה. In clausulis quae sequuntur v. 19 intercapedines narrationis omisi. Et in fine primae versus 21 clausulae vocem vocativam קַיִן intuli, non modo ut membrorum parallelismus constet, sed etiam ut paronomasia קִנֶּךָ habeat quo referatur. Vaticinationem nostram, qualis in libro Jasharano edita est, non ultra versum vicesimum secundum procedere, quem levi correctione emendavi, satis, ut mihi quidem videtur, hac ratiocinatione concludi potest. Prophetam divino spiritu afflatum de rebus longe post venturis augurari posse, minime negaverim. Sed, in primis, haec non est vera vaticinatio, sed commemoratio rerum gestarum antiquo vati poetica quadam licentia assignata. Deinde, quum illud esset scriptoris consilium, ut beatam Israelitarum fortunam significaret, ab re fuisset quidquam de miseriis iis innuere, quas Assyrii et post Assyrios Macedones electo populo illaturi erant. Denique, si poeta noster vel maxime prospexisset classem illam Alexandri magni, qua Tyrum obsidebat, putasne eum praeoccupasse confusam illam nomenclationem, qua posteriores Judaei a Cypriorum designatione כִּתִּים vel כִּתִּיִּים, quae *Citienses* i. e. incolas *Citii* in insula Cypro denotat (Jes. XXIII, 12. Jer. II, 10. Ez. XXVII, 6), ad Ma-*ced*-ones vel Ma-*ket*-os transibant? Constat enim seriores Judaeos vocabulum כִּתִּים tali significatione usurpasse. Ita 1 Maccab. I, 1 Alexander

magnus *ἐκ τῆς γῆς Χεττιεὶμ* venisse dicitur, et 1 Maccab. VIII, 5 Perseus *Κιττιέων βασιλεὺς* appellatur. Jam vero nulla fuit Graecorum cum navibus in Palaestinam invasio praeter illam ipsam Alexandri magni, quum Tyrum debellabat, Hierosolymam hostiliter aggressus est, et deinde ad Babylonem et Assyrios usque perrexit. Quum autem, ut supra vidimus, Synagoge magna, quae libros sacros edendos curabat, usque ad hoc tempus, nec diutius, permaneret, facile crediderim hunc quasi gemitum ad finem cantici a quovis Judaeo adjectum esse, ut praesentem gentis infidae dominationem deploraret et significaret *βίον* suum *ἀβίωτον* esse factum, fere iisdem verbis quibus Mattathias ille usus est (1 Maccab. II, 13): *ἵνα τί ἡμῖν ἔτι ζῆν;* eundem autem, quum de Assyria loqueretur, materiam punctatori cuidam obtulisse, unde verbum אָשׁוּר, quod tanta vi in hoc cantico semel atque iterum occurrerat (XXIII, 9. XXIV, 17), in nomen ethnicum אַשּׁוּר corrumperet. Ne multa: Bileami personae convenit dicere, quid ipse mentis acie videret, non quid Assyrii vel alii quicunque homines contra Amalequitas Kenitasque olim essent facturi. Ergo, אָשׁוּר est, quod potest esse, primae personae verbum. Alternus clausularum parallelismus efflagitat ut tam תִּשְׁבֶּךָ quam קִנֶּךָ sit nomen casus accusativi cum personali affixo. Quod si negas fieri posse, ut תִּשְׁבֶּךָ sit nomen verbale a tertia persona foeminina formatum (vide Fürst Concord. p. 1345), haud equidem dubitem rescribere אֶת־שְׁבְיֶךָ. Atque ita Bileami canticum, quattuor particulis inclusum, ad umbilicum adducitur.

IN MOSIS CANTICUM.

Nobile hoc carmen Mosi abjudicandum esse jampridem viderunt doctissimi interpretes, inter quos Dewettius perhibet criticos omnes agnovisse auctoris nomen falso praedicatum esse. Meum

erit breviter ostendere hoc poema Solomone regnante conscriptum esse, eo consilio ut quintae Jasharani syntagmatis parti adderetur. Primum moneo Judaeis minime inusitatum fuisse Psalmos Mosi attribuere. Ita Psalmus XC., carmen elegantissimum et recentioris styli, summi illius prophetae ac ducis nomine inscribitur. Deinde vero hic noster Psalmus pluribus locis a precatione illa vel jubilatione, quae in primo Samuelis libro capite secundo inseritur ita expressus est, ut servilem imitatoris manum facile deprehendas. Illa precatio Hannae, Samuelis matri, assignatur. Sed quum e rerum et sententiarum nexu mihi persuasissem Davidem esse illorum verborum auctorem, postea vidi nuperrimum eundemque doctissimum librorum historicorum interpretem, Othonem Thenium, eandem sententiam amplexum esse (kurzgefafstes exegetisches Handbuch z. A. T. vierte Lieferung p. 8). De hac re fusius disputabo quum ad ea Jasharani libri fragmenta accedam quae in libris Samuelicis asservantur. Quod si vel Samuelis matrem imitatus est vates noster, is utique longe post Mosis tempora vixerit. Jam vero loci quibus Mosis quod vocatur canticum Hannae quae vocatur precationem exprimit, hi sunt: Deut. XXXII, 31 ex 1 Sam. II, 2; Deut. XXXII, 39 ex 1 Sam. II, 6; Deut. XXXII, 41—43, XXXIII, 3 ex 1 Sam. II, 9, 10. Sed nulla evidentior est imitationis nota quam si quis perpetuam et solennem alterius locutionem mutuatur. Davidi vero proprium est Deum, qui refugio est et praesidio, *rupem* (צוּר) vocare. Non modo in Hannae precatione, quam Davidi hoc argumento praecipue motus attribuo, sed in iis Psalmis quos nemo dubitet Davidis nomine insignire, haec locutio summa vi adhibetur. Ita in Psalmo XVIII, 3. 2 Sam. XXII, 3 et in ultimo Davidis cantico 2 Sam. XXIII, 3 Jehova appellatur *rupes*. Sed imitator noster non satis habuit hanc locutionem semel atque iterum, quasi sponte sua, adhibere; sexies in hoc carmine eadem haec metaphora recurrit (Deut. XXXII, 4, 15, 18, 30, 31, 37),

et criticos quosvis appello num validiore quis argumento servilem imitationem detegere posset. Praeterea frequens est in imitando Ps. XVIII, quem nemo non Davidi attribuet (cf. Deut. XXXIII, 29. Ps. XVIII, 45 et 34). Itaque concludo scriptorem hujus carminis Davide recentiorem esse. Carmen autem editum esse ante decem tribuum secessionem et quum unus tantum rex Israelitas gubernabat, liquet tam ex toto carmine quam ex Deut. XXXIII, 6: »Rex erit in Jeshurun quum *capita populi* se congregarint«, ubi notabis titulum *regis* מֶלֶךְ non potuisse adduci, nisi post regiam dignitatem inter Israelitas constitutam. Ut mihi quidem videtur haec regis mentio aperte spectat ad id tempus, quo *rex* Solomo omnia tribuum *capita* Hierosolymam ad aedem Dei instaurandam convocavit (1 Reg. VIII, 1). Constat igitur hoc carmen sub initium regni Solomonei scriptum esse. Idem scriptum fuisse eo consilio ut collectioni Jasharanae insereretur concludo equidem ex nomine poetico יְשֻׁרוּן, quod in hoc carmine ter occurrit (Deut. XXXII, 15. XXXIII, 5, 26), ceteroqui nonnisi in Jes. XLIV, 2. Parallelismus clausularum in Jesaiae loco ostendit יְשֻׁרוּן et יִשְׂרָאֵל plane synonyma fuisse. Ait enim v. 1: »audi *Jacobe* serve mi, et *Israel,* quem elegi«; et v. 2: »noli timere serve mi *Jacobe,* et *Jeshurun,* quem elegi.« Jam vero consentiunt omnes יְשֻׁרוּן a יָשָׁר inflexum esse. Sed, ut supra vidimus, plerisque placuit syllabae וּן- diminutivam et caritativam significationem tribuere, et Gesenius vocem nostram *rectulum (frommchen)* reddit. Bene autem observavit Hengstenbergius (die Gesch. Bileams p. 98) hanc interpretationem minime quadrare in nostrum poema; quis enim dixisset »*rectulus* saginatus est et recalcitravit«, aut: »regnabit in *rectulo*«; aut: »nemo est ut Deus *rectuli*«? Quinetiam opinio illa terminationem וּן- diminutivam esse, nullo fundamento nititur. Nam quod ex diminutivis Syrorum in ܘܢ desinentibus hoc concludunt, id in Hebraismum non cadit. Profecto allegant vocabulum אִישׁוֹן *pupilla,*

meditullium. Sed, ut Fürstius monet (Concord. p. 1357) »terminatio וּן- non per semet ipsam diminutiva est, sed aliquid hominis simile eoque proinde minus significat.« Nomina propria, qualia sunt זְבוּל-וּן a זְבוּל *habitatio* et יְדוּת-וּן a יְדוּת *laudatio,* satis docent nomen יְשֻׁר-וּן derivatum esse a יָשָׁר *rectus* vel *probus* per obsoletum יְשׁוּר vel יְשֻׁר quod *rectitudinem* vel *probitatem* denotare debet, terminationem autem ipsam *collectivam* esse potius quam *diminutivam,* et significare, sicut derivata adjectiva in aliis linguis, *id quod pertinet* ad qualitatem quae per vocem primariam declaratur. Quum igitur initio carminis (v. 4) pronuntiasset vates noster Jehovam esse justum et *probum* s. *rectum* (יָשָׁר), voluit proculdubio dicere, Israelitas, quatenus veri Israelitae essent, *probitati* vel *rectitudini* deditos esse, atque inde felicitatem esse consecutos. Nam ut Addisonus noster praeclare locutus est (Cato Act. V. sc. 1):

»If there's a power above
(And that there is all nature cries alond
Through all her works) he must delight in virtue,
And that which he delights in must be happy.«

Confinxit igitur vates noster derivatum illud vocabulum יְשֻׁרוּן, quo populum *probitate* praeditum designaret, et Jesaias, qui, sicut Morasthaeus ille Michas, collectionem Jasharanam proculdubio versaverat, hinc mutuatus est synonymum nominis Israelici, quo numeros suos adornaret. Qui autem ipsam libri Jasharani medullam hoc vocabulo excogitato expressit, qui eodem tempore, quo ille liber ordinatus est, poema suum Mosis nomine inscripsit, qui ita argumentum suum tractavit, ut supplementum quoddam benedictionum Jacobi et Bileami cum admonitione historica conjunctum compegerit, is profecto alio consilio scribere non potuit, quam ut collectionem Jasharanam necessaria aliqua materie augeret. Illae ipsae interpolationes, quas, ut infra videbimus, editor nescio quis Leviticus de suo infersit, ita comparatae sunt, ut ostendant

haec tria carmina quadam societate olim connexa esse, nam Levitarum illa benedictio inserta est, ut Jacobi maledictionem quadamtenus mitigaret. Et si, ut supra demonstravi, liber Deuteronomii fragmentis Jasharanis haud minima ex parte constat, hoc in fine libri verbatim exscriptum carmen eodem fonte derivatum fuisse certissimum est.

Philologorum gratia operae pretium est observare radicem שׂער quae in v. 2 *imbres hispidos* et in v. 18 *timere* vel *horrere* denotat, ad omnes vocum *φρίσσειν* et *horrere* notiones exprimendas (New Cratylus § 288) adhiberi posse.

In v. 4. Dathius aliique vocem צוּר, quae tanta cum vi toties in hoc carmine iteratur, ex significatione verbi צוּר vertere malunt *creatorem,* propterea quod Deus tum demum *rupes* vocetur, quum de securitate et salute, quam hominibus praestet, sermo sit. Hic autem, ut putant, *creationis* potius quam *tutelae* notio subest; atque iterum in v. 18. At vero per totum hoc canticum Deus tanquam *tutela praesens* Israelitarum significatur; et quod ad v. 18 attinet, ubi צוּר יְלָדְךָ, *rupes quae te genuit* inducitur, Jesaias, qui hoc poema cognitum habuisse videtur, substituit in admonitione sua (LI, 1) »respicite ad rupem ex qua excisi estis« (חֻצַּבְתֶּם), ut imaginem omnibus membris convenientem efficeret.

Paullo difficilior est v. 5 constructio, quam tamen ita expedio. שִׁחֵת est verbum pihilicum, quod hic, ut saepe, adducit objectum cum praefixo לְ; et לוֹ respicit ad Deum. Nominativus autem est מוּמָם, cujus affixum pronominale per antecedentem appositionem לֹא בָנָיו explicatur, idemque versu sequente fusius exponitur; similem inversionem habemus in v. 20: בָּנִים לֹא אֵמֻן בָּם. Voluit poeta noster significare, secundum universum libri Jasharani argumentum, Israelitas quidem generaliter יְשֻׁרוּן et יְשָׁרִים esse, tanquam populum a Deo electum, sed eos tantum qui *probitatem* colerent *probo* ac *justo* Jehovae

acceptos esse posse. Ergo labes pseudo-Israelitarum, eorum qui nomine non re יְשֻׁרוּן erant, qui non *probos* sed *perversos* se ostenderent, qui in filios Dei adoptati paternam Illius auctoritatem aspernarentur, haec inquam labes in causa erat, cur Jehova suum populum servitute aliisque poenis immissis subinde castigandum censuerit. Neque haec reprehensio repugnat Bileami effato Deum nullam in Israelitis idololatriam aliamve iniquitatem conspexisse (Num. XXIII, 21). Ibi enim de veris Israelitis vel de Ecclesia Israelitica in genere sermo est, respectu etiam habito ad relligiosam gentis conditionem regnante Solomone, cujus regni initio saltim nullus erat falsorum Deorum cultus. Hoc autem canticum, persona Mosis assumpta, ad praeteritam gentis historiam spectat, et fortasse venturam Jerobeami idololatriam et seditionem praesagit. Nec minus in hac re quam in nomine *Jeshurun* stylum vere Jasharanum agnosco. Nam, ut supra vidimus, lapsus ille Adami non modo universam hominis conditionem exhibet, sed etiam illud idololatriae periculum depingit, quod Israelitis identidem imminebat. Tam homo in genere quam Israelitae speciatim יָשָׁר esse desinebant, quoties a Jehova ad Baal-Peorem desciscebant, id quod versibus qui sequuntur, praesertim, ut videbis, versu 17 declaratur.

In v. 8. Rosenmüllerum sequor, qui rem ita declarat: »jam tum quando Deus varias mortalibus terras assignando populos discerneret, jam tum certorum populorum terras ac terminos destinavit, quae futurae Israelitarum multitudini capiendae satis essent.« Nec aliter Dathius, qui tamen ad numerum nationum Canaaniticarum rem referendam censet. Maurerus vocem עַמִּים reddit *tribuum,* ut in Deut. XXXIII, 3, 19. Sed ista versio quid sibi velit haud intelligo.

Dathius difficultatem sibi excogitavit in verbo יִמְצָאֵהוּ v. 10. »Quomodo«, inquit, »dicere potuit Moses, Deum *invenisse* populum in deserto, in quod eum ipse deduxerat?«

Itaque, ut remedium sibi expediret, adscivit lectionem codicis Samaritani וַיְאַמְּצֵהוּ *confortavit eum.* Sed quidni similis sensus in recepto textu contineatur? Nam מָצָא significare potest *convenire aliquem, praesto adesse, assistere.* Ita in Gen. XVI, 7 Jehova per ministrum suum *invenit* וַיִּמְצָא i. e. *convenit* Hagaram, vel ei praesto adstitit in deserto. Et Hosea, qui ad hoc canticum saepius respexit, eandem locutionem mutuatus est: כַּעֲנָבִים בַּמִּדְבָּר מָצָאתִי יִשְׂרָאֵל, »quasi uvas in deserto offendi vel inveni Israel« (IX, 10); cf. XIII, 5: אֲנִי יְדַעְתִּיךָ בַּמִּדְבָּר, »ego cognovi, i. e. visitavi, te in deserto.« Ad finem proximae clausulae adscivi emendationem Houbigantii יְשַׁמְּנֵהוּ pro vulgato יִשְׁמַן. Sequitur enim descriptio curae, qua Jehova suum populum foveret, donec Jeshurum יִשְׁמַן *pinguis factus esset,* v. 15. Cf. Jerem. V, 28, qui, ut alias, librum Jasharanum, vel, si mavis, Deuteronomium imitatur.

In v. 17 notabis relativum vel vocabulum definiens quater omissum, quod in hoc cantico saepius occurrit, praesertim ante particulam לֹא notionem vocabuli negantem; cf. 5, 21. In Jeremiae imitatione (II, 11) habemus וְהֵמָּה לֹא אֱלֹהִים. Neque hic versus non est dignus observatione propter vocem שֵׁדִים, nonnisi hic et Ps. CVI, 37 obviam. In utroque loco plerique, Alexandrinos LXX et Vulgatum sequentes, reddunt *δαιμόνια, daemones,* »quandoquidem recentiores Judaei idola daemones esse putabant, qui ab hominibus se coli paterentur.« At vero quum iste Psalmus nostrum locum, ut alios hujus cantici, imitetur (cf. e. g. Deut. XXXII, 40. Ps. CVI, 26), non oportet ad recentiores Israelitarum superstitiones confugere. Idem Psalmus nos docet (v. 28) praecipuam Judaeorum culpam in eo constitisse, quod Baal-Peorem obscoenis ritibus colerent. Quod confirmat alter ille nostri cantici imitator, Hoseas vates (IX, 10. XIII, 1). Praeterea, si verum vidi, scriptor Jasharanus non potuit non spectare ad eum cultum qui relligiosae probitati per se et prae

omnibus aliis perniciose contradixit (vide supra p. 57 sq.). Praestat igitur vocabulum שֵׁד, quod tantum in plurali obversatur, ex Arabico سَائِدٌ, سَيِّدٌ, *dominus* explicare, et plurales הַבְּעָלִים *statuae Baalis*, אֲשֵׁרִים וְחַמָּנִים, *statuae Astartes et Solis* (Jes. XXVII, 9) comparare. Ita *Seid*, ut *Molok*, *Adon*, *Bel*, generale erit Dei nomen, quale in usu esset inter conterminas gentes, et spectabit fortasse ad Idumaeorum ceterorumque Arabum relligionem, quae post victorias Davidis Israelitis innotuit, potius quam ad orientalium septentrionaliumque nationum superstitiones. Pluralis autem numerus denotabit *idola* (עֲצַבִּים), quae in Psalmo CVI, 36, 38, 39 ante et post שֵׁדִים commemorantur, et quae tamquam *mortua* מֵתִים Psaltes ille irridenda censet (v. 28). De adjectivo חֲדָשִׁים in annotatione ad Deborae canticum disputabo.

vv. 26, 27. Verbum אָמַרְתִּי pro apodosi propositionis conditionalis accipiendum esse docet sequens לוּלֵי. Locutio פֶּן־יְנַכְּרוּ ad litteram significat *ne alienarent illud;* nam forma pihilica נִכֵּר valet *alienis reddere* vel *transferre;* Gr. ἀλλοτριοῦν. Sed in Jer. XIX, 4, ut hic, supplendum est dativum *Diis;* ibi enim legimus: וַיְנַכְּרוּ אֶת־הַמָּקוֹם הַזֶּה, *alienis Diis consecrarunt hunc locum.*

Hosea vates imitatur, si non verba, at sensum v. 34, ubi loquitur: »Ephraimi peccata, uti fasciculus, colligata et reposita sunt« (XIII, 12), nam צָרוּר a *crumena constringenda* derivatur, et צְפוּנָה peccatum eo consilio reconditum denotat, ut serius ocyus meritas poenas subeat.

Paronomasia אֶפֶס עָצוּר וְעָזוּב v. 36, quae etiam 1 Reg. XIV, 10. XXI, 21. 2 Reg. IX, 8. XIV, 26 obviam est, universitatem quandam vel totalitatem rerum designatarum indicat. Alii intelligunt »pueros qui adhuc domi detinentur et qui emancipati sunt«; alii »liberos et servos«; alii »matrimonio conjunctos et caelibes.« Sed, ut opinor, verum vidit Ewaldus, qui reddit

(Geschichte d. Volkes Israel I, p. 159): »das enge und lose d. i. *alles;* wie wir mit ähnlichem Lautspiele von vorn *das Dicke und Dünne* sagen.« Similiter Sophocles in Antig. 40:

> τί δ᾽ ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ᾽ ἐν τούτοις, ἐγὼ
> λύουσ᾽ ἂν ἢ ᾽φάπτουσα προσθείμην πλέον.

Nec alia est illa *ligandi* et *solvendi* potestas (i. e. omnia faciendi quae ad receptionem et ejectionem discipulorum pertinerent), quam ecclesiae suae concessit Dominus noster (Matth. XVIII, 18). Hanc significationem verborum lusu significare conatus sum, ut olim Godofredus Hermannus disputationem quandam suam nuncupavit »septem *aperta operta* apud Aeschylum« (Opusc. IV, p. 333). Errat Ewaldus, ut mihi quidem videtur, quum ex hac loquendi formula, quam imitatur libri Regum auctor, argumentum trahit suae opinionis de sera hujus cantici origine. Nam, ut antea ostendi, auctor ille historicus librum Deuteronomii seorsim vel librum Jasharanum qui partem saltim libri Deuteronomii includebat, ita citavit ut qui nullum alium Mosaicae disciplinae fontem adire posset. Utram hypothesim statueris non potuit non novisse, et, si libitum erat, imitari nostri cantici locutiones. Debiliorem ejusdem rei significationem mihi invenisse videor in 1 Reg. XVIII, 21, 24, 27 al. ubi Elias in suos usus convertit Deut. XXXII, 37—39, qui locus in nostro cantico proxime succedit.

Auctor Psalmi CVI, ut alibi, ita versu 26, nostri cantici versum 40 imitatur. Hunc versum nonnisi jurisjurandi significationem continere, ostendunt Gen. XIV, 22. Exod. XVII, 16. Quum particula אם in jurejurando negationem exprimat (cf. e. g. Ps. XCV, 11), praestat in v. 41 conditionem intelligere, cujus apodosin verbo אָשִׁב contineatur.

Varias interpretationes locutionis מֵרֹאשׁ פַּרְעוֹת v. 42 apud Rosenmüllerum invenies. In Commentario ad Deborae canticum (Jud. V, 1, 28—30) ostendam nomen פְּרָעוֹת, quamvis femini-

num plurale, *viros principes, proprie judices,* designare, et nomen רֹאשׁ eum significare posse qui in aliqua re agmen ducit. Itaque, hoc loco non dubitavi *principatum gentium* potius quam *singulorum hominum capita*, physico sensu, intelligere. Qua ratione Judaei principes inimicos trucidarent, discas licet ex historia Agagi, regis Amalequitarum (1 Sam. XV).

Epimetrum nostri cantici eundem auctorem habuisse atque canticum ipsum satis docent singularis quaedam styli proprietas, et nominis Jeshurun iteratio. Jam antea significavi Masorethicum editorem de suo interpolasse intermedios versus a sexto usque ad vicesimum quintum. Illud certissimum est, si fatearis tam hoc canticum quam Jacobi benedictionem in collectione Jasharana inclusam fuisse. Nemo enim, quum ita de singulis tribubus praedicasset, vel eadem perversa imitatione repetivisset, vel Rubeni Levisque condemnationem in bona ac fausta praeconia commutasset. Praeterea, si sacerdotium Leviticum nondum esset constitutum regnante Solomone, eodem rege nemo ita locutus esset de privilegiis Aaroniticis et de lege quam Levitae administrarent. Neque, ut taceam has rerum ipsarum repugnantias, aliae desunt temporis notae, quo haec intercalaris corruptio interposita est. Nam in hac recensione Simeonis tribus evanuit ex Israelitarum catalogo, quod aliter explicari nequit, quam ex illa historia, qua docemur Simeonitas, Hiskia demum regnante, terminos Israelitarum reliquisse, atque ad eum diem quo *Paralipomena* conscripta sunt in montana Seiri regione habitavisse (1 Paralip. IV, 39—43). Ergo, verisimile est hoc additamentum post Hiskiae regnum fuisse excogitatum. Deinde vero is, qui hoc epimetrum a reliquo carmine sejunxit, eundem titulum praefixit quem in capite Psalmi XC reperies: scilicet haec est *benedictio,* illae vero *preces Mosis* אִישׁ הָאֱלֹהִים. At vero singularis ille titulus similem, si non eundem, editorem prodit. Quum igitur ex vv. 13 sqq. colligi posse videatur Psalmum XC

post exsilium Babylonicum factum esse, non aliam sejuncti et interpolati cantici chronologiam statuere oportebit. Denique, quum versus 5 et 26 quasi una continuatione et tenore decurrant, commissuram agnoscimus, qua perrupta inconcinnus iste pannus subdebatur.

Prooemium epimetri, quo vates noster Deborae canticum imitatur (Jud. V, 4, 5; cf. etiam Psalm. LXVIII, 9. Habacuc. III, 3 sqq.), describit quanta majestate, quam terribili tempestate pluviae et fulminum comitatus, Jehova se Israelitis per desertum iter facientibus exhiberet, ut legem tanquam a se ipso datam acciperent. Imagines, quae sublimem hanc tabulam complent, ad שְׂרָפִים illos sive flammantes Dei ministros respiciunt, qui ex sententia Judaeorum Deum semper satellitum instar cingebant, ejusque mandata exsequebantur. Hac de re satis dictum est in Commentario ad primam partem; cf. etiam not. ad Ps. LXVIII, 17. Et quum seriores Judaei perhibebant angelos a Jehova in lege Mosaica ferenda adhibitos esse (Acta Apost. VII, 53. Gal. III, 19. Hebr. II, 2), ea opinio nitebatur Graeca hujus loci versione. Nam LXX pro מִימִינוֹ אֵשׁ dant ἐξ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ. Hujus versiculi lectionem mendo aliquo laborare satis appareret ex vocula דָּת, si hanc cum plerisque interpretibus ad Chaldaicum vel potius Persicum דָּת *edictum* referres. Quis enim ferret talem locutionem in ullo poeta, qui ante exsilium Babylonicum vixerit? At LXX quidem legebant אשדות עמו *fortes cum eo* derivantes אשדות a שָׁדַד. Equidem, quum primum animum meum ad hunc locum explicandum appuli, legendum autumavi דֵּעוֹת. Nam quemadmodum in Hannae quod vocatur cantico (1 Sam. II, 3) legimus: Jehovam esse אֵל דֵּעוֹת i. e. *Deum cognitionis,* ita hic quoque lex Dei per fulgura declarata *ignis cognitionis* appellari potuit. Quum tamen inspexissem Gesenii Thesaurum, ibique invenissem Böttcheri conjecturam, אֵשְׁדָּת

vel אֶשְׁרָת legentis, quod compositum sit ex אֵשׁ et שָׁרָת vel שְׁרָת *jaculatio fulminum*, a radice שָׁרָה coll. n. pr. שְׁרְיאוֹר, ut sententia sit: *e dextra ejus ignis jaculationis* (i. e. fulgura) *ad eos* missus, non potui non agnoscere veritatem hujus interpretationis, quam, ut Gesenius monet, sine ulla mutatione in vulgari scriptura inest, siquidem דָּת pro יְרָת esse potest *jactio* sive *jaculatio* a radice יָרָה *jecit*. Hanc rationem loci sententiae accommodatissimam esse quivis viderit, qui reminiscitur Deum, ex Judaeorum sententia, fulgura tanquam ministros voluntatis suae adhibere (Ps. L, 2, 3. CIV, 4. CXLVIII, 8). Itaque ait poeta haec fulgura, quae antea vocaverat *gladium Dei fulgurantem* (Deut. XXXII, 44), procedere non modo *e dextra Jehovae,* sed etiam *e catervis sanctitatis* i. e. ex infinita illa multitudine, quae, ut Judaei putabant, Dei thronum circumsistens triplici acclamatione sanctitatem summi numinis pronuntiabat. Ita Jesaias divino afflatu abreptus *Seraphim,* i. e. igneas has naturas, circum Jehovae thronum volantes contemplatus est, qui alternatim sibi acclamabant: »*Sanctus, Sanctus, Sanctus* Jehova coelestium exercituum« (VI, 3). Bene igitur subjicit vates noster »omnes *sancti* ad manum tibi sunt, at Israelitae ad radices montis Sinai procubuerunt«, ut qui tantam Sanctae majestatis propinquitatem reformidarent. Sunt qui קְדֹשָׁיו hic ad Israelitas referant, nam pii Jehovae cultores saepius ita appellantur (Ps. XVI, 3. XXXIV, 10. Deut. VII, 6. Levit. XI, 43—45). Sed vix credibile est, idem vocabulum eodem loco tam varia significatione usurpatum esse, nempe ut denotaret tum infinitam illam coelestium potentiarum multitudinem quae e coeli sacrario prodeuntes divinam majestatem et comitabantur et declarabant, tum Israelitas qui prae timore supplices se ad imum montem abjiciebant. Ad commutationem personarum et numeri quod attinet, scriptor noster mirifice delectatur tali scriptionis inconstantia; cf. Deut. XXXII, 7. 15 sqq.

Neque illud classicis scriptoribus prorsus inusitatum erat; nam Vergilius ipse haec scripsit (Aen. VIII, 644):

> Haud procul inde citae Metum in diversa quadrigae
> Distulerant — at tu dictis, Albane, maneres! —
> Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Quod si transitio a קְדֹשָׁיו ad בְּיָדֶךָ nimis abrupta videtur, levi mutatione ו in ךָ transferas licet. Certe nullo pacto possis affixam ו vel ad praecedens עַמִּים vel ad sequens וְהֵם referre. Denique, vix opus est ut moneam *Seraphim* illos vel igneos Dei ministros, quum nullam agentis ratione praediti personam sustineant, non posse vel bene vel male mereri; itaque non vocatos esse *sanctos* sui ipsorum causa, sed quia e sacra Dei praesentia, quam ter acclamato קָדוֹשׁ declarabant, emanantes sanctitudinem non suam sed Jehovae prae se ferebant.

In v. 5 dubitatur, quid sit subjectum verbi יְהִי. Aben-Esra intelligit *Mosen.* Jarchi, quem plerique interpretes sequuntur, *Jehovam* ipsum significatum vult, qui in veteri Theocratia Israelitarum fuit rex unicus (1 Sam. XII, 12). Sed is qui Deuteronomium compilavit venturi regni significationem Mosi attribuit (XVII, 14); et hic versus, ut supra monui, ad templi consecrationem Solomone regnante respicere videtur. Itaque nihil aliud pro subjecto posuerim quam nomen ipsum מֶלֶךְ quod ad finem clausulae cum vi quadam relegatur.

In ultimis versiculis poeta noster frequens est in stylo Davidis imitando. Imago רֹכֵב שָׁמַיִם v. 26 desumpta est e Psalmo XVIII, 10, 11, 12. Habes eandem praedicationem מְעֹנָה v. 27 in Psalmis XC, 1. XCI, 9. Singularis locutio עֵין יַעֲקֹב, *fons Jacobi,* v. 28, illustratur Psalmo Jasharano LXVIII, 27: מִמְּקוֹר יִשְׂרָאֵל, e *fonte Israelis.* In Psalmo XVIII, 31, ut hic v. 29, Deus vocatur *clypeus* populi sui, atque idem Psal-

mus vv. 45, 34 apta illustratione interpretatur locutiones illas, quae inde desumptae finem nostri cantici efficiunt. Ibi enim legitur v. 45: נֵכָר יְכַחֲשׁוּ-לִי *peregrini homines mihi blandientur* (cf. Psalm. II, 12), unde clausulam v. 29 antepenultimam explicabis; et habemus ibidem v. 34: וְעַל בָּמוֹתַי יַעֲמִידֵנִי, *efficiet ut loca excelsa* (i. e. arces) *occupem,* unde postrema nostri cantici verba justam significationem derivant.

PARS SEXTA.

Mirae probi populi victoriae ac liberationes.

I. MOSIS AC MARIAE OVATIO.

CHORUS MULIERUM.

Exod. XV, 1-18. [1] Cano Jehovam, nam gloriose gloriatus est,
Equum et equitem dejecit in mare.

PRAEFECTUS CHORI.

[2] Robur meum et laus est Jehova,
Et mihi fuit saluti.
Ille meus Deus est; illum celebrabo.
Deus patris mei est; illum extollam.
[3] Jehova bellator est, Jehova est nomen ejus;
[4] Currus Pharaonis et exercitum projecit in mare,
Delectum praefectorum ejus in mare algae immersit.
[5] Abyssi texerunt eos,
In profundum, sicut lapis, descenderunt.
[6] Dextra tua, O Jehova, qui inclytus es robore,
Dextra tua, Jehova, confregit inimicum.
[7] Immensa tua potentia adversarios tuos profligasti.
Ira tua ardente immissa consumpti sunt ut stipula.
[8] Halitu furoris tui coacervatae sunt aquae;
Steterunt instar cumuli fluenta;

Congregatae sunt abyssi in medio mari.
Exod. XV. [9] Dixit hostis: »persequar, assequar,
Praedam dividam, et vota mea explebuntur.
Stringam gladium, mea manus eos pessumdabit.«
[10] Vento tuo flabas, et operuit eos mare;
Submersi sunt, sicut plumbum, in aquis immensis.
[11] Quis sicut tu inter Deos, Jehova?
Quis sicut tu magnificus in sanctitate,
Laudibus augustus, mirabilia praestans?
[12] Extendisti dextram tuam, tum terra eos devoravit.
[13] Pro benignitate ducis populum quem liberasti,
Pro potentia tua ducis eum ad habitationem Sanctitatis tuae.

CHORUS MULIERUM.

[21] Cano Jehovam, nam gloriose gloriatus est,
Equum et equitem dejecit in mare.

PRAEFECTUS CHORI.

[14] Audient hoc gentes et contremiscent;
Incolas Palaestinae timor occupabit.
[15] Tum perturbati erunt phylarchi Idumaeae,
Proceres Moabitarum corripiet pavor,
Metu dissoluti erunt omnes Canaanaeae habitatores.
[16] Invadet eos timor et tremor.
Propter potentiam brachii tui ut lapis obmutescent,
Donec transierit populus tuus, Jehova,
Donec transierit populus, quem elegisti.
[17] Duces eum et plantabis in monte hereditatis tuae,
In loco, quem sedi tuae parasti, Jehova,
In sacrario, Domine, quod manus tuae exornaverunt.
[18] Jehova regnabit in aeternum et perpetuo.

CHORUS MULIERUM.

Exod. XV. [21] Cano Jehovam, nam gloriose gloriatus est,
Equum et equitem dejecit in mare.

II. JOSUAE OVATIO.

CHORUS.

Psalm. CXXXVI. [1] [Cano Jehovam, nam bonus est Ille,
Et benignitas ejus est aeterna.

PRAEFECTUS CHORI.

Ps. CXXXV, 5-7. [5] Certe ego scio, Jehovam magnum esse,
Et Dominum nostrum omnibus Diis majorem.
[6] Nam facit Ille, quidquid ei placuerit.
[7] Educit nubes undique e terra,
Fulgura facit cum pluvia,
[Exod. IX, 24] Grandinem igni commixtam,
Ventum quoque ex promptuariis suis producit.
Ps. CXXXVI. [7-9] Is fecit lumina magna;
Solem ut diei praeesset,
Lunam vero et stellas ad regendam noctem.
[11] Hic est qui populum suum ex Aegypto liberavit,
[16] Qui per desertum duxit eum,
[21] Et terram optimam ei possidendam tradidit.
[17-20] Hic est, qui reges magnos percussit,
Et reges potentes interfecit.
Sichonem regem Amoritarum,
Et Ogum regem Basanitidis,
[Ps. CXXXV, 11.] Et omnes Cananaeae reges.

CHORUS.

[Ps.CXXXVI, 1.] Cano Jehovam nam bonus est Ille,
• Et benignitas ejus est aeterna.

PRAEFECTUS CHORI.

Jos. X. [5-11] Venerunt reges Canaanitarum,
Quinque reges venerunt adversus Gibeonem.
Tum surrexit Josua et Gilgale profectus est,
Josua et cum illo fortissimi Israelitarum;
Hostes ex improviso adoritur, fugat, prosternit;
Fugiunt reges illi cum exercitibus suis, fugiunt,
A Gibeone versum Bethchoronem, Azekam, et Makkedam.
Jehova autem contra eos pugnabat;
A coelo grandinem lapidosum dejecit,
Et sagittas suas flagrantes in eos jaculatus est.
cf. 1 Sam. XVIII, 6. Gladius quidem Israelitarum millia occidit,
Sed sagittae Jehovae myriadas occiderunt.]
[12, 13] Tum allocutus est Josua Jehovam
Et coram Israelitis precatus est:
»Sol, Gibeone quiescas!
Luna, tu in valle Ajalonis.«
Et morabatur Sol et substitit Luna,
Donec populus ultionem ab hostibus suis sumpsisset.
Exod. XV. [11] [Quis sicut tu inter Deos, Jehova?
Quis sicut tu magnificus in sanctitate?
[13] Pro benignitate ducis populum quem liberasti,
Pro potentia tua ducis eum in terram tranquillitatis.

CHORUS.

[Ps.CXXXVI, 1.] Cano Jehovam, nam bonus est Ille,
Et benignitas ejus est aeterna.]

III. DEBORAE OVATIO.

Strophe 1.

BARAQUUS.

Jud. V, 12. Age, age, Debora, age, age, carmen cane!

DEBORA.

Jud. V, 2-31. [2] Quod duces ducis provinciam administrabant in Israel,
Quod promptum se praestitit populus,
Laudate Jehovam!
[3] Audite, Reges, erigite aures, Principes!
Ego Jehovam, ego, canam,
Celebrabo Jehovam, Deum Israelis.

Strophe 2.

[4] Jehova, quum prodires e Seiro,
Quum incederes ex agro Idumaeo,
Terra contremuit, coeli quoque diffluxerunt,
Nubes quoque diffluxerunt aqua,
[5] Montes concussi sunt coram Jehova,
Coram Jehova Deo Israelis.

Strophe 3.

[6] Diebus Shamgaris, filii Anathi,
Diebus Shamgaris et deinceps,
Derelictae erant viae, et per vias amplas ire soliti
Per devios tramites iverunt;
[7] Derelicti erant pagi in Israele, derelicti erant,
Donec surrexi ego Debora,
Surrexi tamquam mater in Israele.
[8] Elegit Israel Deos novos:
Tunc facta est portarum oppugnatio.
Nec clypeus videbatur nec hasta,
Inter tot millia Israelitarum!

Strophe 4.

BARAQUUS.

Jud. V. [12] Age, age, Debora, age, age, carmen cane!

DEBORA.

[9] Animus meus fertur in duces Israelis,
In eos e populo qui se promptos praebuerunt.
[10] Laudate Jehovam, vos qui asinabus candidis vehimini,
Qui in judicio sedetis, et inceditis per vias;
[11] Meditaminor, ob jubila lignatorum inter aquarum diluvia!
Ibi celebrabant vindicationes Jehovae,
Vindicationes pagorum ejus in Israele.
Tunc ad portas suas rediit populus Jehovae.

Strophe 5.

BARAQUUS.

[12] Age, age, Debora, age, age, carmen cane!

DEBORA.

Surge, Baraque, adduc captivos tuos, fili Abinoami!
[13] Tunc descenderunt ii qui relicti erant procerum;
Cum heroibus meis descendit populus Jehovae;
[14] Descenderunt ex Ephraimitis, quorum sedes est inter Amalequitas;
Post te, Benjamin, cum populo tuo,
Ex Machiritis descenderunt duces,
Atque ex Zebulonitis tenentes baculum tribunitium.
[15] Tum principes ex Issacharitis erant cum Debora,
Et Naphthalitae aeque ac Baraquus
Eum comitantes in vallum se effuderunt.

Strophe 6.

BARAQUUS.

Ad rivos Rubenitarum magna erant animi consilia.
[16] Quare desidebas inter repagula
Ad pastorum fistulas audiendas?

Ad rivos Rubenitarum magna erant animi consilia.
Jud. V. [17] Gilead trans Jordanum tranquille sedebat,
Et Dan, quare divertebat ad naves?
Asher ad littus marinum commorabatur,
Et ad sinus suos conquiescebat.
[18] Zebulon autem est populus qui vitam vilipendens morti
se obtulit,
Itemque Naphthali, in agro montano.
[12] Age, age, Debora, age, age, carmen cane!

Strophe 7.

DEBORA.

[19] Venerunt reges, pugnarunt,
Tum pugnarunt reges Canaanitarum,
In Tahanacho ad aquas Megiddonis;
Sed ne frustulum quidem argenti reportarunt.
[20] De coelo pugnarunt stellae,
Ex orbitis suis pugnarunt contra Sisram.
[21] Torrens Quishonis abripuit eos,
Torrens hostiliter antevertentium est torrens Quishon.
Conculcabas, anima mea, robustos!
[22] Tum terram conquassarunt calces equorum,
Ob praecipitem fugam fortissimorum ex illis.

Strophe 8.

BARAQUUS.

[23] Exsecraminor Meron, dixit minister Jehovae,
Exsecraminor ejus incolas,
Quia non venerunt ad Jehovae auxilium,
Ad Jehovae auxilium cum suis militibus.

Strophe 9.

DEBORA.

[24] Laudata sit prae mulieribus Jahela,
Uxor Cheberi Kinnaei,

Prae mulieribus in tentoriis habitantibus laudata!
Jud. V. [25] Aquam ille petiit, haec lac praebuit,
In patera honoris lac spissum attulit.
[26] Deinde sinistram ad clavum extendit,
Dextram ad malleum operariorum,
Et contudit Sisram, caput ejus conquassavit,
Feriit transfoditque ejus tempora.
[27] Inter pedes ejus procumbens cecidit, jacuit!
Inter pedes ejus procumbens cecidit!
Ubi procubuit, ibi cecidit peremptus!

Strophe 10.

[28] Per fenestram prospicit et vociferata est
Mater Sisrae per transennam,
»Quare tardat currus ejus venire?
Quare morantur curruum ejus gressus?«
[29] Prudentissimae e primariis ejus feminis responderunt,
Immo vero ipsa suae quaestioni respondit:
[30] »Nonne inveniunt, nonne dividunt praedam?
Unam puellam, immo duas puellas, fortissimo duci praedam;
Vestem tinctam, immo duas vestes tinctas, Sisrae praedam;
Vestem acu pictam, immo duas vestes acu pictas, collo meo praedam?«

BARAQUUS.

[31] Ita peribunt hostes tui, Jehova!
Qui autem amant illum erunt sicut Sol quum prodit in lumine suo.

COMMENTARIUS.

Huc usque in collectione Jasharana restituenda progressus sum testimoniis ex rei ipsius natura potius quam aliunde petitis innisus. Nam hac argumentatione usus sum. Fuit quidam liber seu poematum fasciculus, qui סֵפֶר הַיָּשָׁר appellabatur, quem scribae Masorethici bis citaverunt atque suo operi intertexuerunt. Sed vocabulum יָשָׁר designat illam probitatem a qua primaevi homines declinaverant, ad quam conservandam ac propagandam natio Israelitarum sejuncta est atque a Deo ipso erudita. Quum igitur multa exstent poemata vel poematum fragmenta, quae ad hoc argumentum manifesto pertinent, consentaneum est credere haec omnia olim ex illa collectione abscissa esse, excerpta, et desumpta. In universum ea est argumentatio mea, quam variis identidem deductionibus ita sustentavi, vix ut ullus relinquatur dubitationi locus, sitque verisimillimum rem ita se habere, ut judicavi. Jam vero in duabus reliquis operis Jasharani partibus in solidiorem provinciam descendimus; ipsae citationes ante oculos se tradunt; et testem oculatum habemus, qui has scriptiones se ex libro Jasharano desumpsisse profiteatur. Itaque, hoc modo ratiocinor. Quum tres essent mirandae populi Israelitici victoriae vel liberationes, quarum duae Mosis et Deborae singulis canticis celebrentur, quae ad nos integra pervenerint, num credibile foret tertiam, Josuae dico, Jasharano Cantico commemoratam fuisse, cujus fragmentum in citatione Masorethica conservetur, illas autem caruisse vate sacro, vel potius quum vate sacro minime carerent a probitatis libro sine ullo postliminii jure exsulasse? Deinde vero, quum Davides adversum Sauli proelium elegia commemorasset, quam Jasharano libro inclusam populo suo recitandam proposuit, num credibile foret regium illum poetam alia illa

carmina quae ad suas ipsius victorias et felicitatem pertinerent, non simili honore insignita voluisse? Et si sylloge Jasharana sub initium Solomonei regni edita est, eodem argumento concludamus licet carmina aliquot ad id tempus pertinentia in hac anthologia sedem sibi vindicasse. Ea, si quid video, honesta est et ratio et oratio.

IN MOSIS AC MARIAE OVATIONEM.

Israelitarum historiam non esse simpliciter mythicam, hanc nationem a tyrannide Aegyptiorum liberatam esse, et in Palaestinam inductam, ibi autem tam *αὐτόχθονας* quam *ἐπήλυδας* debellasse non sine veris portentis ac prodigiis, non sine manifesto praesentis Jehovae auxilio, adeo certum est, ut aliter explicari nequeat, quemadmodum tam perpetua atque indelibilis earum rerum memoria cum relligiosa universae gentis persuasione se commiscuerit [1]). Quod si omittas coelestia illa divinae praesentiae signa, quae traditionem legis divinae in deserto comitabantur, tres fere fuerunt auxilii a Deo praesente dati significationes, eaeque elementorum ope ministratae, quae in memoria electi populi penitus insidebant et ovatione quaeque sua celebrabantur. Prima illa favoris divini demonstratio oblata est,

[1]) »From an antiquity, which would be shrouded in darkness, were not a dim light cast upon it by their own history, this small people has flowed down an unmingled stream amid the stormy waves of the world. For a phenomenon so marvellous it is idle to assign any ordinary causes. One cause alone explains it. We must regard it as an inexplicable wonder, or we must believe that this people were, as they profess, separated from the rest of men by God, and this in a manner so evident, solemn, and effectual, that the ineffaceable belief of the fact has been transmitted from generation to generation, as an essential characteristic of the race.« Andrews Norton, Evidences of the genuineness of the Gospel, vol. II, p. 415.

quum Israelitae statim liberati a servitute Aegyptiorum trans intimum maris Arabici recessum trajiciebant, hostes autem, qui infesto animo persequebantur, subito maris refluxu obruti erant. Secunda victoria miraculo parta ea erat, quum Josua quinque confoederatos Amoritarum reges improviso adortus est et profligavit, in fugientes autem Jehova tantam grandinem vel aërolithorum imbrem dejecit, ut plures hoc modo quam Israelitarum gladio perirent. Tertia illa victoria et primae et secundae erat perquam similis. Nam exundatio fluminum Sisrae currus obruit, et eodem tempore tempestas de coelo contra hostes pugnabat, ita ut Baraquus facili victoria potiretur. In his divina ope partis victoriis versabatur rerum Israeliticarum cardo. Nam si Pharao eos assecutus esset, si reges Amoritae triumphassent, si Baraquus ferreum Jabini jugum excutere non potuisset, actum fuisset de salute et securitate populi electi. Atque ista tria divini favoris documenta eodem saeculo accidisse, demonstrabo quum ad Josuae victoriam accessero. Jam vero de prima liberatione pauca sunt quae dicta velim.

Ubi et qua ratione Israelitis via per mare patefacta sit, optime et affatim explanavit Rosenmüllerus (ad Exod. XIV, 21, 22). Demonstrat enim trajectionis locum esse arctissimum sinus Suesensis recessum, ubi Diodoro auctore (III, p. 172) latitudo maris est circiter quindecim stadiorum. Deinde ventum קָדִים, qui per totam noctem flavisse dicitur, non esse *Eurum,* qui fluctus in littus Africanum facilius potuisset impellere, quam aquas dividere, sed ventum *violentum,* qui, ut locus ipse docet, a septentrionali regione descendit (vide infra ad Jud. V, 9—11). Et quum verisimile non sit solo vento mare ita repelli potuisse, ut vadosum fieret, maris refluxum, illo ipso tempore ortum, multum contulisse, ut id efficeretur, quod solus ventus efficere non potuit. Praeterea ad refluxum accedere potuisse, quod per singularem Dei providentiam, Coro illo vehemente exorto, redi-

turorum ex meridie in septentrionem fluctuum impetus ita sisteretur, ut refluus maris motus, quum is alias sex horas durare soleat, tunc duodecim horas duraverit, quod idem in Hollandia A. C. MDCLXXII accidisse feratur. Ad tempus in ipsa trajectione absumptum quod attinet, monet Rosenmüllerus verisimile esse maximam Israelitarum partem cum mulieribus, infantibus, et pecoribus jam antea in Arabiam migrasse, qua ratione numerus transeuntium valde minueretur, atque ita transitus multo facilior esset. Equidem addo eos, qui per mare transibant, quodammodo armatam esse virorum multitudinem, qui novissimum decedentium agmen claudebant (cf. Exod. XII, 37, 38). Consentaneum est credere Israelitas, quorum nonnulli saltim in Goshene habitantes bella cum vicinis Philistaeis exercebant (1 Paralip. VII, 21), aliquam armaturam habuisse. Nec Pharao cum sexcentis curribus lectissimis atque omni equitatu exiisset, si in inermes profugos, qui nulla tela haberent, quibus se defendere certarent, impetum fuisset facturus. Crediderim potius aliquamdiu proeliatum esse inter novissimam Israelitarum aciem et primum Aegyptiorum agmen, donec vento cessante et tempestate fulminea coorta, fluctus redirent, et Aegyptii nimis sero agnoscerent se contra Jehovam pugnare (cf. etiam 1 Sam. IV, 8). Neque enim aliter intelligere possum narrationem illam (Exod. XIV, 24 sqq.), Jehovam circa vigiliam matutinam prospexisse *e nube ignea,* quo visu Aegyptios clamitasse »fugiamus! nam Jehova pro Israelitis contra nos pugnat.« Rem fusius explicat auctor Psalmi LXXVII, 17 sqq.:

Viderunt te aquae, o Deus, viderunt te et timuerunt,
Etiam abyssi contremuerunt.
Nubes aquas effuderunt, aether fragorem edebat,
Tela tua ubique pervadebant.
In aethere tonitru tuum sonabat,
Fulgura tua per orbem coruscabant,

Terra mota est et contremuit.
Tu per mare ingrediebaris, per aquas vastas incedebas,
Nec reliquisti vestigia ulla.
Duxisti, ut gregem, populum tuum
Per Mosen et Aaronem.

Iis qui objecerunt maris rubri fundum vel coraliis acutis impeditum vel alga impervium esse, satis refutavit Rosenmüllerus adhibito Carsteni Niebuhrii de utraque re testimonio. Denique idem ostendit talem exercitus per mare vadosum trajectionem non plane sine exemplo esse, quandoquidem Alexander per mare Pamphylium (Strabo XIV, 2 § 9) et Scipio per vada ad novae Carthaginis moenia (Liv. XXVI, 45) exercitus suos conduxissent. Quod de posteriore eventu traditur, id examussim convenit nostrae historiae. Livius enim ait: »ad id quod sua sponte, cedente in mare aestu, trahebatur aqua, *acer etiam Septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quo aestus ferebat.*«

Nulla igitur dubitatio restare debet de historica fide earum rerum, quae hoc cantico celebrantur. Quaestio autem oritur, quonam tempore haec ovatio conscripta fuerit? Nachtigallus enim, quem Rosenmüllerus citavit ad Exod. XV, 1. p. 287, hunc hymnum, qualem nunc eum legimus, a Mose et Israelitis decantatum fuisse idcirco negat, quia longiusculus sit; putat igitur ipsum ἐπινίκιον nonnisi versu 1 et 21 constitisse; reliqua autem carminis pleraque (v. 11—17) aevum Davidicum prodere. Cui equidem eatenus assentior, quod statim post hanc liberationem existimem mulierum chorum praeeunte Maria nullam aliam cantilenam iterasse quam illa verba quae in vv. 1, 21 continentur. Ita, ut ipse observat, post Davidis *γιγαντοφονίαν* mulieres cantabant (1 Sam. XVIII, 7): »percussit Saulus millia sua, et David suas myriadas.« Ita quoque inter veteres Graecos, quum primum victor aliquis palmam Olympiae reportasset, satis erat

breve quoddam Archilochi ἐπινίκιον in Herculem decantare, cujus duo supersunt iambici versus:

ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες
αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο,

et ter interponebatur ephymnium τήνελλα καλλίνικε, cujus priorem vocem instrumentorum sonos imitantem chori praefectus recitabat, succinebat autem chorus ipse acclamationem καλλίνικε. Hinc Pindari illa (Olymp. IX, init.):

τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος
φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ, καλλίνικος ὁ τρίπλοος κεχλαδώς,
ἄρκεσε κ. τ. λ.

Postea vero poeta aliquis longiorem atque excultiorem hymnum composuit, qui in memoriam victoriae de tempore in tempus repeteretur [1]). Idem in nostro cantico accidisse credibile est. Scilicet, quum devicto Sisra Israelitae plenam promissae telluris possessionem sibi videbantur obtinuisse et quoties secura tranquillitate fruebantur, verisimile est eos coetus solemnes frequentasse, ubi memoriam rerum antea gestarum renovabant, et ovationes, nonnunquam etiam lamentationes, instaurabant. Id Davidis regno praecipue in usu fuisse concludo ex loco quem nemo adhuc interpretatus est. Nempe in secunda illa libri Jasharani citatione, 2 Sam. I, 18, legimus Davidem jussisse ut Judaei naeniam suam de Saulo et Jonathane ediscerent קָשֶׁת. Hanc vocem Dathius *metrum* vertit i. e. carmen metrice compositum. Lowthius, quem sequitur Gesenius, »carmen de *arcu*« intelligit. Thenius legendum censet קָשֶׁב vel קַשֶּׁבֶת adverbialiter, ut significet *diligenter*, scilicet oportuit Judaeos summa cura adhibita istud carmen ediscere. Sed quidni derivabimus קָשֶׁת ita scriptum a radice קָשַׁשׁ *collegit, congregavit*, ut significet: *catervatim* scilicet, *in coetibus suis et congregationibus illud carmen ediscant Judaei?*

[1]) Ewaldus putat (die poetischen Bücher des alten Bundes I, p. 105) hoc canticum festo Paschali Shilunte decantatum esse.

Ita summa cum vi Zephania II, 1: הִתְקוֹשְׁשׁוּ וָקוֹשּׁוּ, »*congregate vosmet ipsos et congregamini*, antequam decretum effectum suum sortiatur (irruet vero ille dies tam cito quam palea a vento abripitur) antequam vos invadat fervens Jehovae ira«; quippe קַשׁ significat *culmus aridus* frumenti, unde illa metaphora. Quod si vel naenias solemni die decantabant, multo facilius ἐπινίκια poterant repetere. Et nihil interest, utrum ponas excultiorem nostri hymni editionem a Maria ipsa vel Mose in deserto, ubi otio abundabant, conflatam esse, quod mihi non absimile videtur, an potius a Debora vel alia prophetissa eo consilio amplificatum esse hoc poema, ut una cum ceteris ovationibus recitaretur. Majorem saltim hujus carminis partem ante Davidem exstitisse satis demonstrat Psalmus LXXXIX, qui sub Davide scriptus est (v. 20 sqq.), qui autem ita ad hoc canticum alludit (vv. 6—10), ut qui veterem aliquam ac bene notam scriptionem citaret. Quinetiam hoc poema bellicosorum Israelitarum animo ac mente ita se commiscuisse videtur, ut inde suum baritum vel proelium inchoantium paeana et acclamationem mutuo sumerent. Neque enim dubium est, quin verba illa: מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִים יְהוָה, *quis sicut tu inter Deos, Jehova?* quae in Psalmo LXXXIX, 6, 8 resonant, heroi illi Judae Maccabaeo cognomen impertiisse, scilicet e quattuor vocabulorum principiis מכבי, quas litteras ultimus ille Israelitarum liberator, in memoriam veterum victoriarum, vexillis suis inscribendas curaverat (vid. Grotium, ad Maccab. II, 4). Nam quod alii docent cognomen illud derivatum esse a chaldaico מַקָּבָא, *malleus,* quo denotarent bellatorem qui hostes contunderet, id mihi parum verisimile videtur. Nec video quomodo ea sententia confirmetur orthographia Graeca *Μακκαβαῖος*. Quod enim affirmant futurum fuisse, ut *Μαχαβαῖος* scriberetur, si nomen e quattuor istis litteris conflatum esset, id non dispicio quo jure affirment, quum, ut ait Gesenius (Thesaur. p. 648), »vocabula semitica

per כ scripta in lingua Graeca plerumque habeant κα, quae euphoniae gratia in media voce duplicatur.

Mariae prophetissae non minimas fuisse in hoc poematio pangendo partes inde concludo, quod v. 20 inducatur illa, tanquam praefecta chori, et quod Micha, quum ad librum nostrum, ut vidimus, manifesto respicit, Mariam cum Mose et Aarone commemorat, inter duces, qui Israelitas e terra servitutis eduxissent (VI, 4). Praeterea Deborae facinus et canticum demonstrant, quantopere tunc temporis valeret mulierum poetico afflatu praeditarum auctoritas.

De cantico ipso non opus est ut plurima disseram. Neque enim ulla est in verbis difficultas, quae vel tirones moretur. Chori muliebris Ephymnion ante v. 14 interposui, ubi quaedam quasi pausa conspicua est. Quum verbum גָּאָה ad elationem animi exprimendam adhibeatur, versionem septuagintaviralem et Hieronymum sequens ad gloriationem Jehovae rem rettuli. Quod poetria de אַלּוּפִים i. e. *phylarchis* vel *chiliarchis* potius quam de *regibus* Idumaeae loquitur (v. 15), id subindicat vetustatem carminis; nam Idumaei reges habebant antequam Israelitae monarchia utebantur (Gen. XXXVI). Ejusdem rei argumento est, quod de Philistaeis et Idumaeis et Moabitis, quos e terra Aegypti elapsi hoc ordine adituri erant, et de transitu per has gentes, quasi in deserto praesens loquitur (vv. 14—16). *Habitationem sanctitatis* non esse Cananaeam, sed montem Sinai ubi Jehova se populo suo summa majestate manifestavit, satis ostendit locus ille Deuteronomii, quem supra interpretati sumus (Deut. XXXIII, 2 sqq.). Aben-Esra, cujus haec sententia est, versum undevicesimum perperam huic cantico accenset. Moses autem Nachmanides, cui Moses Mendelides assentitur, carmen nostrum in v. 18 desinere arbitratur. Quod mihi quoque, post Rosenmüllerum, verissimum videtur. Nam v. 19 nec numeros nec sensum habet poeticum.

IN JOSUAE OVATIONEM.

Brevissimum hoc libri Jasharani fragmentum mirum est quantas turbas inter omnes revelatae relligionis patronos conciverit, quum ibi miraculum omnium quotquot tradita sunt maxime portentosum intelligunt, nec sciunt quomodo id vel tueantur vel explicent vel rejiciant. Ut in medias res uno saltu descendam, confidenter pronuntio nullam esse hic prodigii significationem, si excipias saxeam illam grandinem, quae tantam fugientium inimicorum stragem dedit. Optime enim demonstravit Henricus Ewald (Geschichte des Volkes Israel I, p. 251) verba, quae ex libro Jasharano citentur, nonnisi precationis formulam poetis usitatissimam continere. Scilicet, quum Gibeone diu atque aequo marte pugnatum esset et nox appropinquaret, vereretur autem Israelitarum dux, ne, id quod saepe accidit (Aeschyl. Pers. 428. Thucyd. IV, 134, Arrian. Anab. II, 11 § 5), tenebrae, vel minus clara lunae lux, hostes suos ab imminenti pernicie liberaret, ibi tum Josua, divino auxilio fisus, precabatur ut Solis decessus retardaretur, donec victoriae omni parte absolutae potitus esset; quod ita ratum est, ut precabatur; nam ante occasum solis hostes se praecipiti fugae dederunt. Similes precationes citavit Ewaldus [1]) ex Homeri Il. II, 413 sqq. Od. XXIII, 243—6. Plauti Amphitr. Prol. 113. sc. I, 1, 119 sqq. Liv. VII, 33. Imrialkais, Moallaka v. 45. Abulfeda, Ann. T. III, p. 74. Atque ut illustrationem ex altera parte respondentem adducam, dux ille noster Wellingtoniensis, sub finem nobilissimae illius in Belgio pugnae, qua Napoleontem debellavit, quum multas jam suorum militum cohortes vel concisas vel defessas

[1]) Non pauca ex his citationibus praeoccupaverat C. D. Ilgen, de imbre lapideo et solis ac lunae mora etc. Lips. 1793, ut a Rosenmüllero disco (p. 185); nam commentationem ipsam non vidi.

videret, exclamasse fertur: »utinam vel nox vel Blücherus nobis subveniret!« Hanc interpretationem, quam quivis simplicissimam esse concedet, obscuravit scriba Masorethicus, qui poeticae dictionis imperitus vel coeco prodigiorum studio abreptus addidit »solem in medio coelo stetisse, nec occidisse per diem integrum!« Quod si ita fuisset, duo miracula in eadem victoria conficienda adhibuisset Summus ille atque Optimus Creator, qui nihil sine aliqua causa faciundum curat. Quod quum sine exemplo esset, ita etiam omni fructu careret. Finge enim occasum solis miro quodam divinae potentiae ministerio aliquot horas prorogatum fuisse. Quis inter pugnandum vel vincentium vel cedentium illam crepusculi productionem animadvertisset? Nisi forte putas bellatores istos horologia secum in loculis portavisse! At enim vero nisi ut singulari prodigio ostenderet et confirmaret divinam illam tutelam, quam Israelitae sibi vindicabant, quid opus erat, ut orbis nostri rotatio sisteretur? Et quis sanus crediderit tantam universi mundi interpellationem a Sapientissimo Rectore inductam esse, solummodo ut Amoraei divinam manum in Israelitis auxiliandis agnoscerent? Saxea illa grando fulminibus commixta, quae impetu suo totas cohortes prostravit, fortiori argumento erat, quam quaevis astronomiae subversio [1]). Sed paene absurdum est de tali re ratiocinari, quum ne verba quidem veteris cantilenae ullam tanti prodigii significationem contineant. Et tametsi scriba Masorethicus, qua erat in portenta propensione, vetusta verba in stolida sua glossa aliter ac dicta sunt acceperit, Jesaias tamen, qui librum Jasharanum proculdubio versaverat, Josuae victoriam cum ea pugna prope Baal-Prazim

[1]) Talem rem pro signo adversi numinis vel ab impiis haberi posse, auctor est Livius (II, 62): »Prohibuit foeda tempestas, cum grandine et tonitribus coelo dejecta. Admirationem deinde auxit, signo receptui dato, adeo tranquilla serenitas reddita: ut velut numine aliquo defensa castra oppugnare iterum relligio fuerit.«

qua Davides Philistaeos profligavit (2 Sam. V, 20. 1 Paralip. XIV, 11) ita conjunctim commemorat, ut qui Jehovae auxilium similiter in utroque proelio exhibitum putaret. Ita enim vaticinatur (XXVIII, 21): »Etenim sicut in monte Prazim surget Jehova, sicut in valle prope Gibeonem commovebitur ad perficiendum opus suum, sed illud opus erit peregrinum et insuetum.« Profecto non ita locuturus fuit propheta, si facinus aliquod inauditum et per se in historia Josuae traditum esset. Ut Davidi contra Philistaeos, ita Josuae contra Canaanaeos Jehova non dubias tulerat suppetias; hic lapidibus grandinis a coelo missis caedebantur hostes, illic, quum Jehova hostes ut aqua perrumperet, coelestia quaedam signa, ut fulgura, in Philistaeos missa fuisse constat [1]). Scio esse qui putent Prophetam respicere ad pugnam Gebae commissam, qua Davides Philistaeos ingenti clade affecit (2 Sam. V, 25). Sed *Geba* non est *Gibeon,* et quae de valle prope Gibeonem a Jesaia significantur, spectant proculdubio ad vallem Ajaloniam, quae in fragmento nostro occurrit. Fulmina, id quod saepe fit, grandinem illam lapidosam in pugna Gibeonea comitata esse diserte memorat Josephus (Antiqq. V, 1. § 17): *ἔνθα καὶ τὴν τοῦ θεοῦ συνεργείαν ἔμαθον, ἐπισημήναντος αὐτοῦ βρονταῖς τε καὶ κεραυνῶν ἀφέσει καὶ χαλάζης καταφορᾷ μείζονος τῆς συνήθους.* Idemque testatur Habacucus propheta, modo ad hunc locum respexerit (III, 11) et non generaliter ad signa divinae potentiae, quae Israelitas in deserto consolabantur. Certum est v. 3 ex carmine aliquo Jasharano, vel Deut. XXXIII, 2 vel Jud. V, 4 vel Psalmo LXVIII, 7 desumptum esse, et fieri potest ut v. 11 quoque ex nostro poemate excerpserit propheta; ait enim: »Sol, luna, stetit in habitaculo:

---

[1]) Quum propheta *grandinem* tanquam Divinae irae instrumentum paullo ante (v. 17) commemorasset, colligas licet victoriam Davidis, sicut Josuae, grandine fulminibus commixta in hostes coelitus descendente adjutam esse.

ad lucem sagittarum tuarum ambulabant (nempe *Israelitae adversus hostes suos*), ad splendorem fulguris hastae tuae.« Jam vero *sagittae Jehovae* sunt *fulgura;* Psalm. XVIII, 15. LXXVII, 18. CXLIV, 6. cf. Deut. XXXII, 41. Itaque, non prorsus absurdum esset suspicari Habacucum non modo ad locum hunc spectasse, sed eum eodem modo intellexisse, quo J. D. Michaelis in Annotationibus ad vernaculam libri Josuae versionem. Is enim, ut nobis auctor est Rosenmüllerus ad Jos. X, 12—15 p. 183, existimabat Cananaeos, ubi in fuga a tempestate vehementer vexati essent et ad incitas fere redacti, ne noctis quidem et tenebrarum beneficio ab Israelitarum persecutione et ultionis libidine liberatos esse, sed, quiescente tempestate, per totam noctem fulgura undique coelo micuisse, quae quum Israelitis hostes persequentibus lucem, diurnae non multum cedentem, praebuissent, tum hostes prohibuissent ne Israelitarum manibus elaberentur, atque in sylvis et speluncarum latibulis sese absconderent. Utcunque ea se res habuerit, satis liquet prophetam Habacucum nihil dixisse de retardatione motuum coelestium. Voluit is profecto significare, quoties Deus rubenti dextra fulmina sua jacularetur, toties Israelitas adversus hostes proeliabundos solis vel lunae lumine facile carere posse; cf. Exod. XIV, 20. Psalm. LXXVII, 17, 18. Eos, qui scribae Masorethico fidem fecerunt, rem intellexisse ita ut iste interpretatus est, nemo est qui miretur. Ita Josephus (l. c.) ad sacros Judaeorum libros in hujus rei comprobationem provocat, nisi is fortasse Jasharanam collectionem significaverit. Ita Siracides ille Jesus quaerit (Ecclesiastic. XLVI, 5): *οὐχὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος καὶ μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο;* nisi forte ad aliud miraculum (2 Regg. XX, 11) spectavisse credendus est. Sed hodiernos interpretes, qui poterant perspicere, quid illud valeat quod in hanc sententiam scriba Masorethicus vetustum poema allegat, coelum ac terras movere, vel potius orbis universi motionem sistere, ut

liber canonicus omni errore carere videatur, id nos in stuporem dare oportet. Quid enim? crederent homines, qui post Copernicum vixerunt, Deum universum mundi systema labefactasse, scilicet ut aliquot millia Israelitarum non certam ac perpetuo mansuram victoriam complerent — nam victoria illa jam parta erat — sed aliquamdiu victos hostes persequerentur, potius quam scribam quemlibet male interpretatum esse fragmentum poeticum, quod multo melius nos explicare possumus? Quantopere sudent vel honestissimi viri, ut *argumentum* illud *ad scholiastam* evadant, uno exemplo ostendam. Nuper mihi contigit Cantabrigiae in Ecclesia Academica de nostro textu concionantem audire familiarem quendam meum Marigenam (i. e. Gallice *Morgan*) Cowie, Coll. D. Joannis Socium [1]), virum in disciplinis physicis et mathematicis, si quis alius, exercitatum, qui tamen philologicam scientiam ne primoribus quidem labris attigit. Is utique inter alia quae mihi quidem plane miranda protulit, ne omnia ex citatione illa penderent, atque ita scriptor canonicus in scholiastam descenderet, vocabulum יָשָׁר *verum* vel *veridicum* interpretabatur, et scriptorem nobis exhibebat qui rem certam atque exploratam esse tali auctoritate comprobaret: »nonne hoc scriptum est in libro *veritatis*« i. e. verissimum est illud, quod nunc trado! Nec puduit virum perquam ingeniosum talem sententiam coram doctissimae Academiae doctoribus effutire. Ibi tunc equidem, si non antea, perspectum habui, quam necesse esset ut in Jasharani libri aetatem atque indolem inquireretur.

Novissimus hujus loci interpres, Johannes Gumpach (alttestamentliche Studien, Heidelberg 1852 pp. 141—181), qui tralatitiam illam de miraculo astronomico opinionem summo cum

[1]) Nomen oratoris idcirco edicendum putavi, quia ista concio ad *Praelectiones Hulseanas* pertineat, quae eo consilio recitantur, ut postea typis demandatae publici juris fiant. Atque haud scio an jam prodierit ac prostet venalis ista concio.

contemptu atque indignatione rejicit ac repudiat, ipse tamen plane singularem explicationem excogitavit. Nam sic rem enarrat. Josuam quum ex castris Gilgalicis per totam noctem magnis itineribus contendisset, milites autem fessos paruumper ad Gibeonem quieti dedisset, meridiano tempore, quo plerique omnes in terris orientalibus paullum conquiescant, Cananaeos ex improviso adortum esse, atque eos post breve proelium fugasse. Priusquam autem pugnam illam committeret, Josuam tacita prece Jehovam adorasse ut victoriam Israelitis concederet. Deinde vero, sublata voce, ut omnes audirent, Soli, qua esset in Deum fiducia, imperasse, ut per meridianum tempus, id quod alioqui facturus esset, tardius iret, atque ita ingentem stragem, una circiter hora patratam, intueretur. Ut haec interpretatio constet, Gumpachius totam narrationem a v. 6 ad v. 14 in tres pericopas distribuit I. vv. 6—7; II. 8—10; III. 11—14, quarum prima Josuae iter, secunda pugnam Gibeoniticam describat, tertia autem parenthetica sit, et doceat quonam Dei subsidio tantam Israelitae stragem ediderint, nempe, Jehovam saxosam illam grandinem immisisse, *quia* Josua precatus esset, Israelitis autem palam dixisset »O Sol quiesce et Luna subsiste!« Verba כְּיוֹם תָּמִים reddit »quasi Sol totum diem moratus esset« (»als ob sie den ganzen Tag gezögert hätte«), et ultima verba ad grandinem, quam Jehova Josuae precibus obsecutus misisset, non ad qualemcunque diei retardationem refert. Jam vero, ut alia praeteream, quae hanc interpretationem pessumdant, cardo rei vertitur in eo, quod Gumpachius particulam אָז causali significatione donandam censet. De ista particula Gumpachius in eodem libello (pp. 206 sqq.) subtilius quam verius disputavit, modo aliquam subtilitatis laudem grammatico concedas, qui nondum didicit apodosin a protasi, antecedens a relativo, *tunc* a *quum, idcirco* vel *propterea* a *quia,* distinguere. Id enim commisit, quum in locis quibusdam אָז tanquam repetitionem relativi כִּי notavit. Si Noldium

tuum evolves ne unum quidem exemplum invenies, ubi אָז relativo sensu usurpatur. Quod enim duobus in locis vir ille laboriosus significationem *nam* huic particulae assignavit (Jud. V, 13. Psalm. LXXXIX, 20), utrobique temporalis et demonstrativa vis elucet. Idem valere de hoc loco affirmo. Nam אָז יְדַבֵּר non differt, nisi mutatis mutandis, a locutione illa Psalmi citati: אָז דִּבַּרְתָּ, quam omnes vertunt *tunc* i. e. quum foedus illud fecisti *locutus es in oraculo* (per Nathanem, 2 Sam. VII, 4) *ad pium tuum*. Contextus ipse postulat ut hic quoque verba vertamus: »*tunc temporis,* scilicet eo ipso die quo Jehova Amoraeos Israelitis traderet, allocutus est Josua Jehovam et dixit coram exercitu suo.« Non nego fieri posse ut meridiano tempore luna occasum versus appareat (qua regione jacuit Ajalon a Gibeone conspecta), sed in hac dictione lunae partes exiguas esse vel scriba ille Masorethicus vidit, qui (v. 13) nonnisi solem memorat. Nisi forte putas Josuam voluisse, ut luna saltim illuminaret hostium insectationem, postquam solis lumine ad Gibeonem cessante trans juga montium in vallem Ajalonis descendissent victores et victi. Summa enim voti, ut vidit Rosenmüllerus, haec est: »nolint duo prae ceteris aspectabilia astra propero cursu lucem Israelitis in hac opportunissima valle ablatum pergere, tantisper dum suos hostes caederent.«

Ad carminis nostri integrationem quod attinet conjectura opus est. Nam verba ipsa in narratione Masorethica inclusa teneri nemo crediderit qui Judic. c. IV cum Deborae cantico comparaverit. Ibi enim (Jud. IV v. 14) Debora Baraquum eodem modo quo hic (v. 8) Jehova Josuam hortatur; nempe, hostes infesta acie oppugnandos esse; nam Deum eos in Israelitarum manus tradidisse. De quo tamen oraculo silet Deborae epinicium. Filum habemus, quae nos ad aliquam certe amissi thesauri partem quasi manu ducat. Nam vocem חֶסֶד, quae *benignitatem* denotat, in illa Mosis ovatione ita usurpatam videmus

(Exod. XV, 13), ut vi quadam sua significaret summum favorem quo Jehova Israelitas prosequeretur. Talem divinae benignitatis significationem in Josuaē victoria praesto adfuisse, non poterat ignorare vates ille, qui istam victoriam celebrabat. Jam vero exstat Psalmus (CXXXVI), in quo singuli versus in eandem formulam desinunt: scilicet, utrum sensus praecedentis versiculi absolutus est, an imperfectus, illico subjicitur: כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ, »nam benignitas ejus (i. e. Jehovae) est aeterna.« Ceteroqui iste Psalmus cum eo qui statim praecedit in collectione nostra tam in ordine sententiarum, quam in verborum atque imaginum delectu mirum in modum congruit. Concludimus igitur hos Psalmos a communi quodam fonte derivatos esse. Quae sane opinio eo confirmatur, quod prior Psalmus frequens est locis aliunde desumptis. Nam ut taceam v. 1, 2; 6; 15 sqq. qui ex Psalm. CXXXIV, 1, 2; CXV, 3; CXV, 4 sqq.; totidem verbis repetuntur, v. 7, qui ad Jerem. X, 13. LI, 16 referri potest; habemus in v. 14 citationem carminis Jasharani (Deut. XXXII, 36), et in Ps. CXXXVI, 12, recurrit phrasis illa, quae saepius in Pentateucho usurpatur, ut in Deut. VII, 19. Jam vero, ut Dathius monet, convenientia argumenti probabile facit Psalmum CXXXVI in fundatione secundi templi adhibitum esse, quod nonnulli maxime ex Esr. III, 11 colligunt, ubi narratur: *reduces alternis choris Jehovam laudasse, quod bonus sit aeternaque in Israelitas benignitate;* quae ipsa formula est, in qua singuli hujus Psalmi versus desinunt, qua respondebatur alteri choro, prius hemistichion accinenti. Quae si ita sunt, si Levitae hunc Psalmum decantabant ad celebrandam iteratam promissae patribus terrae possessionem, quid verisimilius, quam eos quasi ultro respexisse ad illam Josuae victoriam non longe ab Hierosolymis partam, qua prima certam sibi sedem vindicassent Israelitae? Et quoniam tunc exstabat Jasharana illa ovatio, quid verisimilius, quam eos inde desumpsisse atque in suos usus convertisse

quidquid ibi conveniens atque accommodatum invenirent? Ut mihi quidem videtur, illa victoriarum quae Josuae pugnam statim antecedebant commemoratio, quam in utroque Psalmo habemus (CXXXV, 10 sqq. CXXXVI, 17 sqq.), multo melius cum antiqua ovatione, quam cum iterata Templi consecratione conveniret. Et quae de Sole et Luna inducuntur (CXXXVI, 7—9) optime quadrarent in ultima Jasharani carminis commata, ubi Josua ista lumina alloquitur. Quid quod fulgura commemorantur (CXXXV, 7 sqq.), quorum in victoria Josuae tantae erant partes? Hunc locum, qui apud Jeremiam (X, 13. LI, 16) bis occurrit, eo probabilius a vetere carmine desumptum esse deducas, quod iste propheta frequens est in libro Jasharano citando (cf. supra p. 160). Ergo quantum conjectura assequi possumus, Jasharanum carmen, quod in libro Josuae nominatim citatur, iterum resarciri potest, si quaedam in narratione ipsa vestigia cum iis utriusque Psalmi versibus ita compinguntur, ut justum poema inde renascatur. Id quod speciminis gratia tentavi.

Verba quae in citatione Jasharana occurrunt, et quae ad carmen supplendum aliunde desumpsi, facilia sunt intellectu, neque ullam annotationem desiderant. Quum tamen multa ex fide Josuanae narrationis historica pendere videantur, operae pretium erit, priusquam ad Deborae canticum transeam, periodum temporis, quae inter Josuae et Baraqui victorias intercessit, accuratius in examen vocare.

In hoc ipso capitulo multa esse perplexa et confusa, discimus ex versu 15, qui, ut plerique interpretes animadverterunt, alieno loco positus est, et tantum in fine capitis legendus, ubi etiam reperitur. Nemo, qui latiori criticae operam dedit, capitulum hujus libri decimum cum undecimo comparabit, et postea dubitabit, quin indoctus ille compilator, qui varias has de Canaanaeorum debellatione traditiones in unum corpus redegit, Josuae tribuerit potissimam Taanachi ad Megidduntem victoriam,

quam longe postea Baraquus reportavit. Atque hic quidem eximiam sacrae historiae operam navavit amicus noster et vicinus, Arthurus Hervey, vir clara stirpe oriundus, idemque ingenii et doctrinae laudibus florentissimus (Genealogies of our Lord and Saviour Jesus Christ, Cambridge 1853). Is enim, inter alia quae ad chronologiam libri Judicum spectantia optime observavit, nos admonuit (p. 228 sqq.) ea quae de Jabino in libro Josuae (c. XI) commemorentur, tam nominibus regum et urbium, quam loco, ubi res gestae esse tradantur, examussim concinere cum historia quae in libro Judicum (c. IV) narretur, et in sequenti capitulo poeticis coloribus depingatur; unde non absurdum foret concludere, Josuae librum quodammodo corruptam exhibere eam narrationem quae in libro Judicum contineatur. Quinetiam bene perspexit nomen loci מִשְׂרְפוֹת מַיִם nullam aliam significationem habere, quam illam *cremationem curruum ad aquas,* quam victor Jabini Sidone ex jussu Jehovae confecerit. Quid quaeris? scriba ille Masorethicus, quum, post exsilium Babylonicum, abscissa illa veterum poematum tam epicorum quam lyricorum membra in novum corpus coagmentavit, Josuae, principi Canaanitarum victori, omnes tam septentrionales quam meridionales victorias tribuit. Quod longe aliter accidit. Nam postquam Israelitae, Josua duce, sedem sibi stabilem et domicilium in Palaestina constituissent, illico eos conterminae gentes infestis incursionibus lacessebant. Primus igitur Mesopotamiae rex novos colonos debellabat, a quo servitio Othniel Israelitas octavo anno liberabat (Jud. III, 9). Quum Othniel Calebi fuerit ex fratre nepos, Calebus autem Josuae aequalis, haud immerito deducit Herveius noster (p. 222) liberationem ab Othniele effectam vel vivente Josua vel statim post ejus mortem contigisse. Deinde ostendit vir doctus Ammonitarum et Moabitarum dominationem per octodecim annos, quae in c. III. narratur, eandem esse atque illam e qua Jephta longe post suos exemit (c. XI, 13, 24, 5), nec Gibeonem alio tempore

alios hostes debellasse (c. VII). Ita ut Israelitae triumvirorum Ehudi, Gideonis, et Jephthae auspiciis uno impetu assurgentes Moabitarum, Ammonitarum, et Midianitarum jugum exuerent. Quae si ita sint, Ehudi facinus et auctoritas (III, 12—30) alieno loco commemorantur, et releganda sunt ad tempora, quae Jabini debellationem subsequebantur. Ad summum demonstrat Herveius periodum inter Josuam et Samuelem multo breviorem fuisse, quam quae in tralaticia chronologia circumfertur; in capite primo v. 1 legendum esse »post mortem *Mosis*«, ubi nunc habemus »post mortem *Josuae*«, et in c. XI, v. 26 vocabulum שָׁנָה corruptum esse et substituendum עִיר vel עָרִים; nam quoniam *sexaginta urbes* dimidiatae Manassitarum tribui obtigerunt (Deut. III, 4. 1 Reg. IV, 13), ducentae et quadraginta urbes justa computatione pertinere debebant ad duas tribus, Rubenitas scilicet et Gaditas, qui illam Sichonis regionem obtinebant. Ad civile illud bellum quod attinet, quo Benjaminitae paene excisi sunt et exterminati, Herveius monet, quum Phinehas, Aaronis nepos, tunc temporis viveret (Jud. XX, 28), illud non potuisse evenire nisi intra centum annos post Josuae mortem; et sive concedas, sive neges, משה legendum esse pro מנשה in Jud. XVIII, 30, idem inde argumentum deducas. Quum in cantico Deborae Benjaminitae inter primos nominentur (Jud. V, 14), vix verisimile est, quicquam ante id tempus huic tribui gravius accidisse, et certe quum Ehudus Benjaminita universae genti praeesset (Jud. III, 27), quod tamen post Deborae tempora evenisse vidimus, haec tribus inter ceteras eminuisse credenda est. Ut Herveio videtur (p. 236), civile illud bellum et Benjaminitarum excidium in nullum tempus melius quadrat, quam in longam illam requiem quae Ehudi victoriam sequebatur, quo tempore, ut verisimile est, bellicosi Benjaminitae superbum ac procacem fastum assumebant, neque ullum erat foris bellum, quod civium animos ab intestinis discordiis avocaret. Denique, quoniam ab initiis Samuelis usque ad sum-

mam Davidis potentiam Philistaei inter saevissimos et maxime formidolosos Iraelitarum hostes censebantur, verisimile est Simsonis historiam, quae in Jud. cc. XIII — XVI narratur, pontem quasi trajectionis esse, quo a Judicum temporibus ad eam aetatem transeamus qua regnum inter Israelitas constituebatur. Quae quum ita sint, sic ordines licet periodum historicam a castrametatione Gilgalensi ad Sauli regnum, cui Herveius noster, genealogiis fretus, non plus quam CCXL annos concedit.

Josuae victoria	Jos. c. X.
Othnielis imperium	Jud. c. III, 8 — 11.
Shamgaris victoria	Jud. c. III, 31.
Deborae victoria	Jos. c. XI. Jud. c. IV, V.
Ehudi, Gideonis, Jephthae res gestae et imperium	Jud. III, 12—30, VI—VIII, XI, XII, 1—7.
Varia variorum imperia, ex isto triumviratu oriunda	Jud. IX, X, XII, 8—15.
Eodem fere tempore civile bellum et Benjaminitarum excidium	Jud. XIX, XX, XXI.
Michae historia et Danitarum expeditio	Jud. XVII, XVIII.
Philistaeorum dominatio et Simsonis Danitae res gestae et imperium	Jud. XIII—XVI.

Ex isto rerum gestarum ordine, quem nemo post Herveii disputationem vel verum esse vel vero proximum negabit, affatim liquet scribas Masorethicos eximiam veterum documentorum materiam, qua abundabant, nec digerere potuisse nec satis intelligere. Quibus tamen hanc gratiam habemus, quod integros saltim pannos consuebant, quos resarcire possimus, atque ita antiquam vestem quadamtenus redintegrare.

IN DEBORAE OVATIONEM.

Ad Deborae hymnum triumphalem accedens gaudeo quod abhinc quinquennium hanc difficillimam fere totius Scripturae pericopen ita tractavi, vix ut quidquam mihi laboris ac molestiae exantlandum supersit (Praelectio Philologica in scholis Cantabrigiensibus habita a. d. IV. Id. Octobr. MDCCCXLVIII de Deborae cantico triumphali. Cantabr. MDCCCXLVIII). Nec praeter commentarios, quos tunc inspexeram, ullum frugi bonae additamentum mihi quidem innotuit, nisi excipias ea quae Johannes de Gumpach (Alttestamentl. Studien, Heidelberg 1852. pp. 1—140) diligentius quam peritius disseruit. Nam quum multas emendationes tentaverit, plura corrupit quam correxit, nec universum cantici sensum melius assecutus est, quam ii qui praecesserant [1]).

Priusquam ad interpretationem difficillimi hujus Cantici accedam, nonnihil disputandum videtur de rebus gestis, quae ibi commemorantur, de Debora ipsa, de indole, dispositione, et consilio poematis. Quo facto, ad singula enodanda melius progrediemur.

I. In capite statim antecedente legimus, Jabinum, Canaanitarum regem, qui Chatzore sedem suam regiam haberet, cujus vero dux Sisra habitaret Charoshethae Nationum, durissimum inter Israelitas septentrionales imperium per viginti annos exercuisse, donec Baraquus, ex Qedasha Naphthalitarum, hortante

[1]) Hominis esset valde otiosi omnia perlegere quae de hoc Carmine conscripta sunt. Strictim quidem inspexi Poli et Rosenmuelleri farragines, quae nullam fere ante editam commentationem illibatam reliquerunt: ad manum habui criticam Dathii versionem, atque interpretationes G. H. Hollmanni (Halae, 1818) et H. H. Keminki (Traj. ad Rhen. 1840); neque mihi ignota erant, quae commentatus est H. Ewald in libro cui titulus: Die poetischen Bücher des Alten Bundes (Göttingae, 1839, Vol. I, p. 125). Sed frustra ubique quaesivi plenam ac veram hujus Capituli exegesin.

atque adjuvante Debora, prophetissa Bethelea, quae magna tunc temporis auctoritate apud suos valeret, Taborem montem cum exiguis copiis occupasset, atque inde subito incursu interque vehementissimam de coelo tempestatem ferreos Sisrae currus totumque Canaanitarum exercitum funderet ac fugaret. Quam quidem victoriam, et, qui ex ea profluxit, exitum Sisrae plane miserabilem, una, ut videtur, commemorant Debora et Sufes ille Naphthalita. Imprimis igitur, ut a temporis ordinatione incipiam, servitium illud Jabineum statim post Othnielis mortem Israelitis injunctum fuisse apparet, qui tunc denuo Jehovam peccatis suis offenderant. Neque illud pro difficultate habendum est, quod in capite tertio scriptum invenimus — nempe, Shamgarem, Anathi filium, post Othnielis decessum cives suos a Philistaeis liberasse. Aperte enim demonstrat Canticum nostrum (v. 6), Israelitas illa ipsa Shamgaris aetate tam humili ac demisso fuisse animo, ut per qualescunque angiportus et trans limitem viae inimicorum metu obreperent. Si igitur vel plusquam sexcentos Philistaeorum humi stravisset grex ille bubulcorum cui praefuit Shamgar, non ideo putandum est late patentem illam dominationem, quam Jabinus inter septentrionales exercebat, illico collabefactam fuisse. Quodcunque patraverit Shamgar, id inter eas agricolarum conturbationes numerandum est, quae servitutem omnium variant potius quam evertunt. Si textum nostrum sequimur, pro certo habendum est, Jabini potestatem perduravisse ab Othnielis morte usque ad id temporis »quo Debora surgeret, quo surgeret mater Israelis.«

Jam vero Jabinus noster, Chatzoris rex, idem nomen eandem dominationem habet, quam vetus ille Septentrionalium Canaanitarum signifer, quem Josua, si Masorethicos audis, multo ante devicerat. Illud quoque observatione dignum est, quod in hac historia Jabinus ille minor, si non idem fuerit, haudquaquam quasi actor appareat. Omnia per Sisram geruntur — Sisra fer-

reos currus in unum locum congregat — Sisra aciem instruit — Sisra devictus fugit — Sisrae mors, quae bellum finiverat, Jahelae male illam quidem conciliatam [1]) gloriam inchoat. Quid quaeris? Sisra iste, non Jabinus, personam tyranni induit, et Jabinus vix aut ne vix quidem in scenam prodit. Qui criticam historiae methodum experiendo tentaverit, is profecto non dubitabit, quin Jabinus, i. e. יָבִין, »prudens,« »intelligens,« generale esset nomen, sive patrium seu potius epitheton, omnium regionis Canaaniticae regum. Eodem modo invenimus multos veterum Aegyptiorum *Pharaones*, Philistaeorum *Abimelekos*, Graeco-Aegyptiorum *Ptolemaeos*, Babyloniorum *Labynnetos*, Cappadocum *Ariararathes*, Ponticorum *Mithradatas*, Syrorum *Ben-Hadados*. Et quum Jabinus ille summus quasi muta sit hujus historiae persona, rationi consentaneum esset arbitrari, Sisram procuratorem fuisse vicarium, qui mixtorum hominum provinciam principis nomine administrabat, colligebat vectigalia, et pensa victo populo facienda imponebat. Quae omnia certius eliciamus licet e nomine loci illius ubi sedem administrationis habebat Sisra. Ubinam sita fuerit illa urbs, quae in sacro textu חֲרֹשֶׁת הַגּוֹיִם appellatur, nemini adhuc compertum est. Nemini tamen ignotum esse debet, quid nomen urbis significet. Nam verbum חָרַשׁ, quod radicem verbi *χαράσσω* exhibet, denotat »insculpsit,« »fabricatus est;« et nomen femininum חֲרֹשֶׁת, inde derivatum, significat *fabricationem lignorum* vel *lapidum*. Quod vero explanationis vel definitionis gratia additur הַגּוֹיִם, idem supplementum invenies in nomine provinciae Galilaeae, quae

[1]) Sophistae illi Oxonienses, qui, quum quater anno tot et tanta Christianismi praecepta violent, tamen *διεγείρειν ἐν ὑπομνήσει τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν* profitentur, nescio cui vitio verterunt, quod hoc Jahelae facinus improbaret. Perperam is sane sacram Scripturam interpretatur, qui mendacium, perfidiam, crudele dormientis hospitis homicidium, Deo ipsi placuisse existimat.

appellatur גְּלִיל הַגּוֹיִם, *Γαλιλαία ἀλλοφύλων*. Praeterea, bis injectam mentionem videmus de rege »Nationum,« sine ulla alia designatione (Gen. XIV, 1. Jos. XII, 23), ubi tamen Galilaeam innui apparet. Putandum est igitur permixtam variarum gentium — Syrorum, Phoenicum, Canaanitarum, Philistaeorum — colluviem ab antiquissimis temporibus in Septentrionali Palaestina una vixisse; et quum singularum urbium reguli unius cujusdam imperio plerumque essent obnoxii, is scililicet מֶלֶךְ הַגּוֹיִם, i. e. *τῶν ἐθνῶν βασιλεύς*, appellatus est. Ex Josuae libro (c. XI, 1 sqq.) comparato cum nostro cantico (v. 19) apparet plures regulos harum nationum Jabino subditos fuisse, qui satrapae Sisrae obediebant. Jam vero Sisra, Jabini Chatzorei, i. e. *τοῦ τῶν ἐθνῶν βασιλέως*, procurator, inter has permixtas ac perturbatas nationes habitabat, in urbe quadam quae חֲרֹשֶׁת appellata est, i. e. *ξυλοτομόπολις* vel »fabrorum oppidum.« Asiaticis tyrannis semper moris fuit, ut plenam ac liberam satrapis suis potestatem relinquerent, modo vectigalia subditae provinciae sedulo collecta essent ac dinumerata in aerarium. Regio illa, quam procurabat Sisra, a Libano usque ad Carmelum et Taborem, pretiosis arboribus abundabat, praesertim cedris, quarum tunc multiplex erat usus, quas igitur vicini reges summo studio appetebant. Quapropter Jesaias propheta hanc jactationem Sancheribo attribuit: »Ego cum curruum meorum multitudine montium fastigia occupavi, cacumina Libani; prostravi cedros ejus proceras, abietes ejus praestantissimas. Penetravi ad summam ejus altitudinem, ad sylvam ejus amoenissimam« (2 Reg. XIX, 23). Atque iterum in parabola contra regem Babylonis: »Abietes,« inquit, »contra te laetatae sunt, et cedri Libani; ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos« (Jes. XIV, 8). Ergo, quemadmodum Pharao ab antiquioribus Israelitis servilia opera exigebat, et lateribus ex luto formandis varioque in agris servitio vitam eis acerbam reddebat, ita Sisra quoque, ut vectigalia ex arboribus Jabino facilius

redirent, provinciales suos pro lignatoribus tractabat, et in caedendo, dolando, et portando cedros atque abietes satis eos sollicitos habebat. Atque haec opera, in Charoshetha sua moderabatur. Similiter, Athenienses urbi illi, qua argenti metalla exercebant, *Λαυρεῖον*[1]) nomen indiderunt, *ἀπὸ τῶν λαυρῶν*, i. e. »fodinis metallorum;« atque alibi invenimus similiter impositas urbium appellationes. Et quod ad servitii genus attinet, eodem modo Josua jam antea Gibeonitas tractaverat. »Vivant,« inquiebat, »sed sint lignatores et lixones publici« (Jos. IX, 21). Neque illam hujus historiae partem silentio praeterire oportebit, quae ex Cantico solo innotuit: nempe omnia bellica instrumenta tunc temporis genti devictae defuisse (v. 8): »neque enim clypeus nec jaculum inveniebatur in quadraginta millibus Israelitarum.« Caverat utique Sisra ne ad bellum via nimis aperta pateret. Quod idem postea voluerunt Philistaei, quum edicerent (1 Sam. XIII, 19), »ne Hebraei sibi gladios aut hastas facerent.« At vero minime constat Baraqui illum exercitum inermem fuisse: sed ex contrario innuitur (c. IV, 15, 16) Sisrae copias vi et armis in fugam esse conjectas. Quibus autem armis? Shamgar, cum grege suo bubulcorum, baculis quibus boves stimulantur, ingentem Philistaeorum stragem patravit (c. III, 31). Et si Baraquus lignatorum decem millia ad Taborem[2]) congregabat, quid obstat quin suas secum secures, quibus arbores caedebant — ne-

---

[1]) Vide Welcker, die Aeschyleische Trilogie, p. 212; Wordsworth, Athens and Attica, p. 209 n.

[2]) Taboris nomen in nostro Cantico frustra quaesieris; sed mons ille proculdubio significatur verbis (v. 18): עַל מְרוֹמֵי שָׂדֶה, nam מָרוֹם de montibus praedicatur (Ez. XVII, 23; Ps. VII, 8; Jes. XXVI, 5), et haec descriptio: »Zebulon est populus qui vitam ad mortem usque nihili aestimavit, et Naphthali *in excelsis* agri,« ad amussim concinit cum illis capituli antecedentis verbis (v. 6): »Vade et occupa Taborem montem cum decem millibus Naphthalitarum et Zebulonitarum.«

que illam adeo imbellem armaturam — in manibus portarent[1])? Itaque totam narrationem satis enucleatam videmus, si vel ad oppidi Sisranei nomen satis animum attendimus. Lignatorum praefectus atque administrator, quod saepe fit, a lignatoribus suis, qui se pro re nata bipennibus, asciis, et dolabris armaverant, devictus est, et fugiens miserabilem ingloriamque mortem occubuit. Id scilicet decreverat Jehova, qui fidem suorum praemio coronat, qui imo de gradu tollit humiles, superbos autem de summa sede deponit.

II. De prophetissa ipsa primum est observandum, eam antiquioremque Deboram, Rebeccae nutricem, idem nomen eandem sedem habuisse. Nam quod vetus illa sub *quercu* sepulta fuisset, quae propterea »quercus luctus« esset vocata (Gen. XXXV, 8), haec autem nostra jus diceret sub *palma,* quae ipsius nomine appellaretur (Jud. IV, 4, 5), tantillum id discrepantiae nemo sane urgebit. Inter Ramam igitur et Bethelem ab antiquissimis usque temporibus in honore fuit Deborae et nomen et arbor. Equidem opinor nomen illud appellativum potius fuisse quam proprium: et fortasse ab omnibus prophetissis usurpabatur, quae de tempore in tempus sub illa arbore vel jus dicerent vel Jehovae oracula pronunciarent. דְּבוֹרָה enim est *apis, μέλισσα,* vel *vespa, σφήξ.* Apud veteres quidem Aegyptios *apis* vel *vespa* significabat *regnum:* inter Graecos autem *μελίσσης* nomen injungebatur non modo poetis poetriisque communiter, verum etiam sacerdotibus Magnae Matris, et Vati Delphicae speciatim. Hinc Pindarus de oraculo Cyrenaico ita loquitur:

---

[1]) Curandum imprimis ne magna injuria fiat
Fortibus et miseris: tollas licet omne quod usquam est
Auri atque argenti, scutum gladiumque relinques
Et jacula et galeam; spoliatis arma supersunt.
Juv. VIII, 121 sqq.

σὲ δὲ τούτῳ λόγῳ
χρησμὸς ὤρθωσεν μελίσσας Δελφίδος αὐτομάτῳ κελάδῳ
(P. IV, 60).

Quinetiam apud omnes fere gentes antiquissimas arbor quaedam, ac praesertim quercus, pro sede fatidica delecta erat. Deboram autem nostram oracula, Jehovae nomine et divino quodam instinctu afflatuque, edere solitam esse, ex ipsa historia satis apparet. Nam Jehovae nomine Baraquo praecepit ut copias suas cogeret (c. IV, 6): et quum iis, qui ad Jehovae auxilium non venissent, diras imprecatur, verbis utitur legati Jehovae (v. 23), מַלְאַךְ יְהוָה, i. e. ipsius Jehovae, qui nonnisi per מַלְאָכִים cum hominibus agebat. Talem feminam, cui tam praesens numen favebat, robustos Septentrionalium animos excitare ac regere potuisse, vel per se satis patet. Neque alia exempla desunt. Nonne enim G. Cornelius Tacitus memoriae prodidit veteres Germanos putare solitos esse inesse feminis sanctum aliquid et providum, nec aut consilia earum aspernari aut responsa negligere? »Vidimus«, inquit (Germ. VIII), »sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed et olim Alauriniam et complures alias venerati sunt, non adulatione aut tanquam facerent deas.«

III. Carmen hoc vetustissimum, quo Deborae ac Baraqui triumphus laudibus effertur, plane ejusdem generis est atque hymnus ille, quem Moses et Israelitae, comitante feminarum choro, canebant postquam Aegyptii Sinus Arabici undis obruti periissent (Exod. XV). Hoc vero longius est, artificio poetico excultius, eleganti repetitione, dramatica vi, variis imaginum coloribus, et vivida quadam prosopopoeia magis abundans; ut facile ibi agnoscas principis poetae vel poetriae manum. Sed tamen in genere idem est utrumque carmen. Nempe duo omnino genera erant lyricorum inter Hebraeos poematum. Unum, quod Psalmos et vaticinationes prophetarum continet, relligiosos omnium

hominum sensus ita exprimit, ut nihil divino cultui accomodatius vel inventum sit vel possit inveniri. Alterum praecipua Israelitarum facinora commemorat, atque eam ob rem historiam potius quam res divinas sapit. Verum enim vero, ea erat veterum Hebraeorum relligio, ut post devictos hostes, post recuperatam libertatem, nihil antiquius haberent, quam ut Jehovae laudes decantarent. Quid quaeris? veris Israelitis Deus erat in omnibus et ante omnia: et humillima divini Nominis adoratio vel jactabundas ovantium acclamationes temperabat: quod in hoc Cantico praecipue animadvertimus. Nam tametsi nullum est epinicium quo victorum exultatio liberius exprimitur, tamen nihilominus, ab initio usque ad exitum, Jehovae nomen praedicatur, ut qui populum suum in libertatem vindicavisset, atque id debili duarum mulierum instrumento. Quod clarius apparebit si carmen ipsum in membra sua discerpimus. Etenim Deborae hoc Canticum in decem strophas sive partitiones divisum est. In prima, res ipsa aperitur, et peregrini reges ad audiendum vocantur. In secunda, potestas Jehovae, Israelitarum Dei, nobili fervore describitur. Tertia pars obiter percurrit miseram Judaeorum conditionem ante ortam Deboram. Quarta omnes ad gratulationem et ad Dei laudes propter liberationem invitat. In quinta stropha recensentur tribules qui operam victoriae navabant; in sexta culpantur ii qui parum prompti ad proelium veniebant. Septima pars proelium depingit. Octava exsecratur eos peregrinorum, qui fugientes inimicos trucidare omiserant; quod contra, in nona laudatur Cheberi uxor, quae utili magis quam honesto artificio ducem Canaanitarum oppresserat. Denique, decima pars vanas quae mulieres hostium lactabant spes, amara irrisione cavillatur. Has strophas inter Baraquum ac Deboram ita distribui, ut ille quidem Deboram ad cantandum excitet, et tristiore culpandi et exsecrandi officio in strophis 6 et 8 fungatur, et ad finem cantici declaret quomodo Jehova cultores suos protegat, hostes

autem pessumdet. Cetera Deborae assigno, quae, ut opinor, hanc oden composuit.

Etsi credibile est hanc cantilenam postea saepius in tantae rei memoriam recitatam fuisse, satis luculenter apparet ex ipso contextu eam principio a Debora idcirco conscriptam esse, ut eo die caneretur, quo victor Baraqui exercitus, una cum illis Israelitarum copiis quae serius accesserant, solemni pompa deductus est, et quo captivos ac reliquam praedam milites inter se sociosque partiebantur. Ante oculos quasi praesentem ponere licet longum illum triumphantium comitatum. Mulieres ex urbibus Israeliticis canentes et saltantes victorum relliquiis obviam veniunt, cum tympanis et triangulis alternatim canentes. In primo agmine procedunt principes, inter quos Baraquus, comitante nobilissima illa Lapidothi uxore. Ibi Ephraim, prophetissae tribus; ibi Benjamin, parvulus ille, dominans inter fratres suos; ibi Manassaei et Issacharitae; ibi Zebulonis principes, qui vitam ad mortem usque vili aestimaverant; ibi fortissimi Naphthalitarum qui cum Baraquo ex agris montanis descenderant. Sequuntur longo ordine captivi captivaeque; ferreis Sisrae curribus vehuntur purpureae vestes, mulierum Sidoniarum opera, loricae auro intertextae, gladii ensesque, Damasceno ferro acuti. Undique acclamationes, undique laudes Jehovae!

Sed jam tandem ad singulorum interpretationem descendendum est.

v. 1. In ipso Cantici initio quaeritur quid sibi velit illud:

בִּפְרֹעַ פְּרָעוֹת בְּיִשְׂרָאֵל

Equidem nullus sum dubius quin vel vera sit vel vero proxima antiqua illa Theodotionis versio: *ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγοὺς ἐν Ἰσραήλ.* Quod evincit etiam lineolae sequentis appositio:

בְּהִתְנַדֵּב עָם בָּרְכוּ יְהֹוָה

Exigit enim proba antithesis ut cum populo duces etiam in scenam inducantur. Praesertim quum eadem appositio paullo infra

(v. 9) recurrat, ubi nemo dubitare potest de significatione participii חֹקֵק, quod valet »judicans« i. e. *princeps*. Sententia igitur haec est:

»Quod judices judicabant in Israel,
Quod populus voluntariam militiam professus est,
Laudate Jehovam.«

Nemo autem adhuc vidit, quomodo haec sententia cum significatione radicis פָּרַע, quadrare possit. Ut mihi quidem videtur, primaria hujus vocis significatio est: »liberare a malo«, i. e. ἀπὸ τοῦ רָע. Verbum igitur vult vel »*remittere poenam*« ut in Ezekiele XXIV, 14: לֹא אֶפְרַע: vel »*concedere peccatorum impunitatem*« et »*dare licentiam*«, unde פָּרוּעַ »effrenus«. Hinc variae translationes, in sensum laxandi, solvendi, nudandi, et quae sunt similia. Jam vero judex, qui dirimit litem, imponit mulctam, quam quum reus exsolverit, ab aliis poenis illico liber est. Inde Graeci satisfactionem pro culpa *δίκην* appellabant, i. e. »rem ejusdem pretii«. Et Romani eum qui debitam satisfactionem argenti pondere aestimabat *ponti-ficem* appellabant; qui autem corpus puniebat *carni-ficem*. פְּרָעוֹת igitur vel Graecorum *δικασπόλους* vel Romanorum *pontifices* in memoriam revocat; i. e. vel Hebraeorum שֹׁפְטִים, vel Carthaginiensium *Sufetes*, quae nomina ad eandem judicandi notionem referuntur.

vv. 4, 5. Quod plerique omnes recentiorum arbitrantur interpretum versibus quarto et quinto describi adventum Jehovae auxilium contra Sisram ferentis, eam opinionem falsam esse, inter alia arguit locus iste parallelus Psalmi LXVIII, 8, 9. Unde colligas, in utroque loco magnifice depingi sublimem illam in deserto Theophaniam, quam hic ad laudes Jehovae in genere augendas poetria citaverit. In uno Kennicotti codice (136) clausulam: גַּם-עָבִים נָטְפוּ מָיִם, »etiam nubes destillarunt aquas«, omissam esse invenimus. Et quum haec verba loco Psalmi parallelo desint, vix possumus non addubitare, an in textum irrepserint

e margine, ubi aliquis, qui sublimiorem locutionem, quae praecedit, illustrare voluit, interpretationem suam adscripserat. Cuinam quovis tempore mirum videatur si »nubes aquam destillant?« Num aliunde, quam a nubibus, pluvias exspectabimus? Obiter moneo lexicographorum gratia, radicem monosyllabam verbi נָטַף esse טַף [1]), quae eadem est atque nostra »dew«, Teutonica, *thau*.

In ultima versus quinti clausula phrasis זֶה סִינַי, quae et in Psalmi loco parallelo occurrit, haud exiguam difficultatem parit. Quum enim mons Sinai longe remotus esset a monte Tabore, poetria vix dicere potuisset »hic Sinai«, quasi digito indicans absentem illam Theophaniae sedem. Praeterea haec locutio quae in Psalmo suum locum obtinet, in nostro carmine numeros migrat. Quare assentior Gumpachio (p. 55) molestam locutionem inter iterata verba מפני יהוה insertam extrudenti.

v. 6. In versu sexto Debora infelicem Israelitarum conditionem antequam ipsa surrexisset, vivis coloribus in memoriam revocat. Vixisse quidem illo tempore virum fortissimum qualis esset *Shamgar,* sed suos a servitio non potuisse liberare. De Shamgaris facinore satis constat ex tertio Judicum capite. Quis autem fuerit *Jahel* ille, qui in Masorethico textu nominatur, nemini compertum est. Uxorem *Cheberi* hoc loco significari parum probabile est. Vigebat enim *Jahela,* Sisrae interfectrix, spirante adhuc et canente Debora. Et quum *Jahelae* istius gloriam; aeque ac suam, in hoc Cantico poetria nostra laudibus extollat, qui fieri potest, ut tantopere distinguat inter suam victoriam et *Jahelae* ejusdem impotentiam? Praeterea nomen יָעֵל, i. e. *rupicapra* vel *ibex,* mulieri magis quam viro convenit; et quod ad Kinnaeam illam attinet, cujus nomen populi

---

[1]) Mihi jampridem persuasum est litteram ט, de quo tantopere rixantur Grammatici, mediam esse potius quam tenuem, ita ut Sanscriticam, *dha*, quam proxime exprimat (vide Maskil le-Sopher, p. 7. New Cratylus, § 100. et de Graeca *ϑ*, Gr. Gr. Art. 18 f).

sui mores optime repraesentat, (in rupibus enim nidum ponebant Kinnaei, Num. XXIV, 21), facile suspiceris, quum Cheberus tentoria posuisset in vicinia Qedashae ubi habitabat Baraquus (Jud. IV, 11), eum simulasse amicitiam cum Chatzoreis, revera autem Baraquum sibi foedere et societate adjunxisse. Ita suam sibi sedem in carmine obtinet illa, ubi nomine mariti sui designata inter ceteros Deborae auxiliatores inducitur. At si alius quis fuisset eodem nomine cognitus proculdubio is, sicut Shamgar, *πατρόθεν* appellatus fuisset. Sana est critices lex: »facilior interpretatio praeferatur, sed difficilior lectio.« Quid autem oscitanti scribae facilius quam ut similes litterarum ductus in Jahelis nomen transmutaret, praesertim si vox quaedam vel locutio paullo inusitatior hic obviam fuerit? Quum repetitio vocabuli בִּימֵי aperte doceat non diversam sed eandem aetatem Debora anteriorem significari, quum autem verbum חָדְלוּ postea bis iteratum in initio lineolae stare oporteat, atque ita longior hic rhythmus desideretur, non dubitavi scribere:

בִּימֵי שַׁמְגַּר וָמָעְלָה

cf. 1 Sam. XXX, 25: מֵהַיּוֹם הַהוּא וָמָעְלָה. Nam omissa, ut fit, repetitione nominis proprii, concursio litterarum בימייעלה explicat quomodo et י obtrudi et מ extrudi posset. Operae pretium erit, verba ipsa, quibus subditorum miseria enunciatur, paullo attentius examinare. Fortis erat — quis negat? — Shamgar ille; sed non ea erat istius virtus, quae devictos Israelitas in libertatem vindicaret. Moesti ac solliciti per devios et contortos tramites pergebant, si qui in tanto hostium metu fores exire ausi sunt. Eundem rerum statum apud veteres Graecos breviter, ut solet, depinxit Thucydides (I, 2): *τῆς ἐμπορίας,* ait, *οὐκ οὔσης οὐδ᾽ ἐπιμίγνυντες ἀδεῶς ἀλλήλοις οὔτε κατὰ γῆν οὔτε διὰ θαλάσσης,* et quae sequuntur. Propius ad nostrum locum Pindarus, qui de quattuor pueris quos prostravisset Aristomenes ita loquitur: *κατὰ λαύρας,* inquit, *ἐχθρῶν*

ἀπάοϱοι πτώσσοντι συμφοϱᾷ δεδαιγμένοι (P. VIII, 90). Libenter et saepe fecerunt Hebraei scriptores, ut de liberatione a metu et periculo loquentes translationibus a viis publicis et amplis spatiis uterentur. Ita Davides in Psalmo XXXI, 9: »statuisti in loco spatioso pedes meos«. Et quum Isaacus libertatem putei fodiendi jam tandem obtinuisset sine rixa et contentione, nomen ei רְחֹבוֹת imposuit, i. e. *latas vias:* dicebat enim: »amplum nobis locum Jehova concessit« (Gen. XXVI, 22). Quod ad Israelitas attinet, non jam post partam Deborae victoriam in montium cavernis latitabant, sed in vicos suos per vias publicas descendebant (v. 10, 11). Quod erat apertum recuperatae libertatis et commercii testimonium. Sed ad propiorem hujus rei contemplationem proximum nos comma adducet.

v. 7. De verbo פְּרָזוֹן trinae sunt interpretum sententiae. Prima sequitur LXX. et Vulgatum, a quibus haec vox per *δυνατοί, fortes,* exprimitur; altera versione Chaldaea nititur, quae verba פרזים et פרזות, synonyma, ut videtur, hujus פְּרָזוֹן, per *pagos* explicat; tertia, Syrum Arabemque interpretem secuta, nostrum vocabulum per *solitudinem* vel *planitiem* transfert. Quum hoc idem פְּרָזוֹן in versu etiam undecimo occurrat, vix fieri potest, ut aliam hic prae se ferat significationem. Quaenam igitur interpretatio in utrumque versum optime quadrabit? Imprimis, ad verbum חָדְלוּ, a priori versu repetitum, animadvertere oportebit. Quis crediderit poetriam in tali iteratione eodem verbo diverso sensu usam fuisse? Quum igitur חָדְלוּ אֳרָחוֹת valeat »derelictae« vel »desertae erant viae«, necesse est ut per חָדְלוּ פְרָזוֹן simile quid significare voluerit Debôra. Equidem nullus sum dubius quin פְּרָזוֹן quasi nomen proprium esset, quae designaret illam regionem ubi septentrionales *Perizitae,* in apertos pagos, i. e. פְּרָזוֹת, distributi, sylvestres campos habitabant. Nomen autem collectivum cum verbo plurali construi posse notissimum est. Ita in versu undecimo

יָרְדוּ עַם יְהוָֹה. Bene igitur codex Alexandrinus haec verba reddidit per *ἐξέλειπεν Φράζων*, i. e. »derelicta est regio pagana«, nam in montes sese receperunt pagani qui olim aperta rura incoluerant (cf. 1 Sam XIII, 6). Inde, ut suspicor, collectae sunt fortissimae illae lignatorum legiones quae, de Tabore descendentes, in Sisrae exercitum tam validum ac prosperum impetum fecerunt. Quid igitur aptius quam ut illorum virtutes in versu undecimo extollerentur? Sed de hac re suo loco. Ne quis contra genuinam hujus Cantici antiquitatem objiciat nobis עַד שַׁקַּמְתִּי pro עַד אֲשֶׁר קַמְתִּי positum praestabit, opinor legere הַשְׁכַּמְתִּי hic et in versiculo sequenti. Neque enim עַד efflagitat appositionem relativi, neque valeret ista appositio per se verbo praefixa, initio clausulae posterioris. Radices קוּם et שָׁכַם fere synonymas esse docet e. g. Psalm. CXXVII, 2: מַשְׁכִּימֵי קוּם.

v. 8. Verborum יִבְחַר אֱלֹהִים חֲדָשִׁים duplex interpretatio in commentariis circumfertur. Nam dum nonnulli adjectivum חֲדָשִׁים neutraliter accipiunt, hac significatione: »Deus sibi elegit nova«, scil. novas res, plerique illud adjectivum nomini אֱלֹהִים pro epitheto apponunt, hanc clausulam ita reddentes: »Elegit« scil. populus Israel »deos novos.« Illa interpretatio praecipue innititur loco Jeremiae XXXI, 22: בָּרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר, »creavit Jehova novi quid in terris, femina tuetur virum.« Provocant etiam hujus interpretationis adstipulatores ad summam Cantici nostri perorationem, nempe ad liberationem Israelitarum per duas mulieres patratam, quae pro nova atque inaudita re habenda esset. Praeterea, si אֱלֹהִים accusativus est, desiderant nominativum verbi יִבְחַר. Prioris opinionis defensio fere haec est: neque enim audiendus est Keminkius (p. 47), qui pro חֲדָשִׁים, id quod eodem pertinere arbitratur, הַנָּשִׁים, i. e. »mulieres«, legendum censet. Ad alteram interpretationem sustinendam locum allegant Deuter. XXXII, 17:

יִזְבְּחוּ לַשֵּׁדִים לֹא אֱלֹהַּ
אֱלֹהִים לֹא יְדָעוּם
חֲדָשִׁים מִקָּרֹב בָּאוּ
לֹא שְׂעָרוּם אֲבֹתֵיכֶם

Qui quidem versus non modo confirmat, verum etiam explicat, phrasin illam אֱלֹהִים חֲדָשִׁים. Nec satis cogitaverunt ii, qui in priorem sententiam pedibus eunt, quantopere hic sensus cum totius Cantici intentione congruat. Nam falsorum deorum cultum praecipue in causa fuisse, cur Jehova Israelitas suos Jabino opprimendos traderet, vel ex quarti capituli initio satis liquet. Et in toto Judicum libro calamitas bellica idololatriam premit comes (II, 11, 18; III, 7, 8, 12; VI, 1, 2; X, 6; XIII, 1). Alioqui particula אָז, in proxima clausula, justa explanatione careret. Nam haec particula, quae pronomini זֶה affinis est, valet »tunc«, »postea«, et »*idcirco*«, quia effectus causa posterior est. Ita igitur vates nostra vult dicere; »simulatque Israelitae novos deos elegerant« (i. e. in idololatriam lapsi erant), »tunc, אָז, illico, bellum erat ante portas«, i. e. in urbes suas coacti erant, ibique expugnati« (vide interpretes ad Jes. XXVIII, 6); »quo facto, omni armatura nudati sunt.« At si quis subjectum verbi יִבְחַר aegre hic desiderari putabit, in promptu est remedium. Quid enim facilius quam reponere nomen יִשְׂרָאֵל post istud verbum? Nam litterarum ductus ad unguem repraesentat hoc verbum cum prima sequentis vocabuli syllaba conjunctum: sic

ישראל
יבחראל

Neque enim magnopere differunt שׂ et ב cum ח conjuncta. Et, ut mihi quidem videtur, concinnior fiet ipse versiculi numerus si ita illato nomine יִשְׂרָאֵל producitur. Obiter moneo quadraginta illa hominum millia hic, ut saepe alibi, numerum quemlibet magnum designare.

vv. 9—11. In tribus, qui sequuntur, versibus, junctam

habemus et cohaerentem sibi pericopen, quam dividere nolo. Quoniam neque hujus libri neque officii mei est enumerare, quot horum verborum interpretationes adhuc excogitatae sint, »quae non possint non falsae esse omnes, nisi forte una earum vera reperiatur« [1]), satius habebo meam rationem, quae a priorum omnium sententiis toto coelo discrepat, seorsim et quam potero luculentissime exponere [2]).

Ac primum, moneo bonos illos punctatores, quum sub nomine יְהוָה (v. 9), atque iterum sub verbo שִׂיחוּ (v. 10), accentum *silluk* posuerint, perniciosa utrobique intercapedine constructionem abrupisse. Quod contra, luce clarius est tam sensum quam numerum absolutum esse verbis quae hanc pericopen inchoant:

לִבִּי לְחוֹקְקֵי יִשְׂרָאֵל
הַמִּתְנַדְּבִים בָּעָם

Nam phrasis לִבִּי לְ־ idem valet ac לִבִּי אֶת־ (Jud. XVI, 15) et significat »vere diligo«, »summopere faveo.« Deinde exhortatio illa: בָּרְכוּ יְהוָה, ad sequentia pertinet, eodem modo, quo in Psalmis CIII et CXXXV. Similiter שִׂיחוּ ad undecimum comma transferendum est; ita ut lineolarum ordo hoc modo decurrat:

בָּרְכוּ יְהוָה רֹכְבֵי אֲתֹנוֹת צְחֹרוֹת
יֹשְׁבֵי עַל־מִדִּין וְהֹלְכֵי עַל־דֶּרֶךְ
שִׂיחוּ מִקּוֹל מְחַצְצִים בֵּין מַשְׁאַבִּים

Nam prophetissae sententia est haec: »Summopere faveo ducibus Israelitarum, atque iis e populo qui voluntariam militiam professi sunt« (ante הַמִּתְנַדְּבִים supplenda est praepositio לְ). »Vos autem laudate Jehovam, vos qui lautis divitiis fruimini,

[1]) Hermann, Opuscula, Vol. V, p. 129.

[2]) Nuperrimus interpres Johannes de Gumpach legendum putat מְקוֹם propter sequens שָׁם; allegat etiam Chaldaeum et vulgatum qui vocem מקול non agnoscant, sed notionem loci sufficiant.

qui in judicio sedetis, qui liberum jam tandem inter vos exercetis commercium, meditaminor, propter jubilationes lignatorum inter fluminum alluvies.« In ultimis verbis rite interpretandis totius rei cardo vertitur. Vix enim dici potest quantopere viri doctissimi in hoc loco dissideant. Quae illi hallucinati sunt, ea per me licet oblivioso mersa silentio jaceant. Sed quid est illud: מִקּוֹל מְחַצְצִים בֵּין מַשְׁאַבִּים? Radix paragogica חָצַץ praeterea nonnisi bis occurrit: et utrobique cum quadam divisionis et partitionis significatione conjuncta est (Prov. XXX, 27; Job. XXI, 21). Sed crebrius invenitur cognata radix sub forma חָצַב vel חָצָה cum »caedendi« significatione. Ita participium חֹצֵב denotat vel *lapicidam* (2 Reg. XII, 13) vel *lignatorem* (Jes. X, 15) vel utrumque (1 Reg. V, 29). Ita, pro solito גַּרְזֶן, »ascia«, recentiores dicebant חֲצִיצָה. Ut supra vidimus, *Charosheth* oppidum designat, ubi Sisra fabricationem lignorum administrabat. Eodem modo explicandum est *Chatzatzon-Tamar,* nomen oppidi in deserto tribus Judae siti, et postea עֵין־גֶּדִי dicti. Nomen enim *Chatzatzon-Tamar,* i. e. *Amputatio Palmae,* spectat ad palmarum, quae Engaddae abundabant, excisionem. Quapropter non video quid impediat quominus interpretemur מְחַצְצִים eodem modo ac כֹּרְתֵי הָעֵצִים, qui *lignicidae* sunt (2 Paralip. II, 9). Vocabulum מַשְׁאַבִּים duntaxat hoc loco occurrit. Sed saepius reperitur radix שָׁאַב vi nativa *effundendi aquam,* et ejusdem stirpis שָׁאַף, quae significationem cognatam *inhiandi* prae se fert. Tam a praepositione בֵּין, quae praecedit, quam ex adverbio pronominali שָׁם, quod sequitur, satis constat *locum* quendam significari, ubi congregati essent illi lignatores: et pluralis numerus indicat plures fuisse מַשְׁאַבִּים, inter quos clamor iste auditus est. Equidem haud dispicio, quidnam aliud significari queat quam *aquae undique effusae,* vel, quod eodem redit, *late patens fluminum exundatio.* Verum enim vero, si ad vicesimum et sequentem versum animadvertitis, vix credo dubitabitis quin

in pugna illa, quae inter Baraquum et Sisram commissa est, densissimi imbres resolutis nubibus caderent, unde Quisho ille riparum suarum marginem desereret, et in apertos campos profusus esset. Quod igitur Pharaoni in mari Erythraeo accidit, idem fere Sisrae curribus impedimento fuisse putandum est. Aquis enim incurrentibus nonnisi admodum difficulter pedem poterant promovere. Josephus in *Archaeologia* sua alias enarrat causas, quapropter victoria Baraqui facilius conciliata sit. Ita enim describit pugnam. »Magna«, inquit, »tempestas ingruit, cum largo imbre et grandine. Ventusque in adversos Canaanitarum vultus pluviam egit, quae oculis eorum caliginem objiceret, ita ut jacula et fundae illis nulli essent usui. Gravis etiam armaturae milites, prae torpore, gladiis uti non poterant. Israelitas vero tempestas, ut quae terga eorum diverberaret, et minus offendebat, et inde majores animos sumebant, cogitantes Deum sibi in auxilium venisse; adeo ut, in medios hostes irruentes, ingentem eorum stragem ederent.« Et Josephus quidem ita [v. 5, § 4[1])]. Sed e carmine ipso facile colligatis subitaneam fluviorum alluviem hostium copias devolvisse. Proelium enim commissum est »in *Tahanacho* super aquas Megiddonis«, i. e. inter duo brachia Quishonis fluvii. Nam Quisho ille in radicibus montis Taboris ortum habet, deinde vero complura in se brachia colligens, uno alveo ad Septentriones versus defertur, et mari se Mediterraneo immiscet.[2]) Quum igitur Baraquus in

---

[1]) *προσμιγέντων αὐτῶν χείμων ἐπιγίνεται μέγας καὶ ὕδωρ πολὺ καὶ χάλαζα. τόν τε ὑετὸν κατὰ πρόσωπον ἤλαυνε τῶν Χαναναίων ἄνεμος, ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν ἐπισκοτῶν, ὡς τὰς τοξείας ἀχρήσιους αὐτοῖς εἶναι καὶ τὰς σφενδόνας. οἵ τε ὁπλῖται διὰ τὸ κρύος χρῆσθαι τοῖς ξίφεσιν οὐκ εἶχον. τοὺς δ' Ἰσραηλίτας ἧττόν τε ἔβλαπτε κατόπιν γινόμενος ὁ χείμων, καὶ πρὸς τὴν ἔννοιαν τῆς βοηθείας τοῦ Θεοῦ θάρσος ἐλάμβανον· ὥστε εἰς μέσους ὠσάμενοι τοὺς πολεμίους, πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν.*

[2]) Ut Brocardus ait: »Quisho colligit plures aquas, quia a monte Ephraim et a locis Samariae propinquioribus atque a toto campo Esdrelon

Tabore monte castra sua posuisset, inde crescentem aquarum alluviem quam facillime potuit despicere, et cum copiis descendens illico hostes ad incitas redegit. Stellae enim, i. e. tempestas, pro eo pugnabant, ita ut quasi Hyadum auspiciis triumpharet. Itaque, quum Debora suos cives admonere vellet, ut pro tali victoria Deo gratias agerent, quidnam melius faceret, quam ut eos ad meditationem exhortaretur »propter laetum lignatorum clamorem inter effusas Quishonis aquas«? Neque illud omittendum est quod viatores Palaestinam Septentrionalem peragrantes de Quishonis inundationibus tradiderunt. Bene enim ad rem nostram monent »hunc torrentem, per se parvum, imbrium copiosa effusione subinde ita intumescere, ut campos inundet rapidisque fluctibus quaecunque sibi objecta auferat.«[1]) Quod autem in versu unetvicesimo Quisho ille נַחַל־קְדוּמִים vocatur, in primis observandum est perperam fecisse LXX qui *χειμάῤῥους ἀρχαίων* in versione posuerint, ac si legeretur נַחַל קֶדֶם. Ita in Deuteronomio (XXXIII, 15): הַרְרֵי־קֶדֶם sunt *montes antiqui, aeterni.* Si per linguae indolem liceret talem huic loco interpretationem injungere, contextus ipse a tam frigida explicatione refugeret. Quum pluralis iste קְדוּמִים *τῶν ἅπαξ λεγομένων* numero adscribendus sit, interpretatio quaerenda est, quae et cum contextu optime congruat, et accommodata sit ad notas radicis קדם significationes. Jam vero ista radix significat *anteire, praeire,* vel loco vel tempore. Deinde usurpatur vi obviam veniendi, de eo qui aut auxiliaturus est aut hostiliter adorturus. Id quod praecipue valet in formis causalibus *Pihel* et *Hiphil.* Ita ut jure dubites utrum קָדִים, »Eurus«, ab eo derivarit suum nomen quod in Asia Occidentali maribusque vicinis ventorum longe vehementissimus est ille Euroclydon, an quod epitheton

---

confluunt plurimae aquae, et recipiuntur in hunc unum torrentem.« (Apud Winer. s. v.)

[1]) Shaw, apud Hollmann. p. 45.

קָדִים per se quemvis grassantem impetum designat. Equidem ad priorem sententiam sum pronior, etsi scio nomen קָדִים, de quavis venti violentia praedicari posse, sive is ventus ab Oriente sive aliunde descendat. Exempli gratia, in quarto decimo capitulo Exodi (v. 21) legimus Jehovam per totam noctem Erythraeum mare repressisse בְּרוּחַ קָדִים, ubi, ut supra vidimus, ventus Orientalis intelligi non potest, quippe qui aquas in littus impulisset, minime vero ab eo depulisset. Ad pluralem קְדוּמִים de vento praedicatum quod attinet, comparare possumus Jes. XXV, 4: רוּחַ עָרִיצִים, *flatus violentorum*. Et si pluralis appositio קְדוּמִים a cujusdam venti impetu ad quamlibet ventorum violentiam exprimendam transferri potuit, quid impedit quominus ad effusas torrentis undas describendas adhibeatur? Ergo, sive repones קְדָמִים a singulari קָדִים, seu in קְדוּמִים acquieveris, sententia poetriae eodem redibit: nempe depinget fluvii erumpentis violentiam: quum

... torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive quae zephyro victa repente fluit,
Per sata, perque vias fertur, nec, ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas.

Neque negligendum est, quod Josephus de vento in adversos Cananitarum vultus pluviam agente in loco supra citato tradidit. Ita Quisho vel »torrens adversorum ventorum,“ vel »torrens hostiliter antevertentium« (vide Ps. XVIII, 19) appellabitur, et, quomodocunque nuncupatus, ferreos Sisrae currus ita retardavit, ut dux ipse vehiculo descendere et pedibus fugere coactus sit. Eandem *hostilis injuriae* cum *prohibitione* conjunctae significationem in Graeco *βλάπτω* contineri, alibi demonstravi (New Cratylus § 454). Sed, ut redeam ad versum undecimum, ita pergit Debora: »quum victoria inter inundationes parta esset, ibi laudabant, (שָׁם יְתַנּוּ, tempore continuo) »vindicationes Jehovae, vindicationes pagorum ejus in Israel; postea descendit« (אָז יָרְדוּ,

tempore primario de absoluta actione) »ad portas suas populus Jehovae.« Nomen plurale, צִדְקוֹת, quod quasi forense vocabulum est, usurpatur hic de justo belli exitu. Judex erat Jehovah, qui litem inter suum populum et Canaanitas dirimeret; illos in libertatem vindicaret, hos extremis poenis affligeret, — scilicet, Baraquo tanquam captivos traderet. Simili affectu Davides apud *Samuelem,* libro I, cap. XXV. v. 39: »Gratias ago,« inquit, »Jehovae qui causam meam egit, et opprobrium a Nabale mihi illatum vindicavit, eique malum quod meruerat rependit.« Perperam igitur Ewaldus [1]) pro שְׁבִי צַדִּיק in *Jesaiae* cap. XLIX. v. 24, reponendum censet שְׁבִי עָרִיץ ex versu sequenti. Quod quaerunt Lexicographi quaenam sit vera radicis צָדַק etymologia, supra monui (p. 21) hoc verbum ejusdem prosapiae esse atque Indo-Germanicum illud *sad* vel *sed.* Cum affixa ק, significationem habet firmiter et quasi radicitus insistendi, quo sensu opponitur verbis רַע et רָשַׁע, quae incertum potius errorem indicant. Cum affixa ה, צָדָה valet »*insidiari,*« ubi paulo mutatam habetis ejusdem sensus explicationem.

v. 13. Post poeticam acclamationem in commate duodecimo, narratio sic procedit in versu sequente:

אָז יָרַד שָׂרִיד לְאַדִּירִים
עַם יְהוָה יָרַד לִי בַּגִּבּוֹרִים

ubi bis repono יָרַד, pro יְרַד, et accentum *athnach,* sub עַם positum, ad לְאַדִּירִים transfero. Ex his verbis videas licet Baraqui victoriam non sine eximia suorum jactura partam esse, nam שָׂרִיד denotat superstites populi vel, ut hic, procerum post cladem acceptam. Errant igitur qui hanc clausulam ad futurum tempus referunt. Repetitio particulae אָז satis demonstrat poetriam hoc loco cecinisse de proximo victoriae suae eventu. Inter Quishonis inundationes sibi invicem acclamabant lignatores illi,

[1]) Die Propheten des alten Bundes, Vol. II. p. 446.

qui Sisram devicerant. Ibi laudabant vindicationes Jehovae; deinde populus ad urbes suas reversus est; deinde cum Debora et relliquiis heroum populus Jehovae descendit.

vv. 14 — 18. His versibus recensentur tribus Israelitarum, tum eae quae alacriter pugnabant, tum eae quae pugnae abstinebant. Quum idem verbum יָרַד eandem temporis particulam אָז in tota hac descriptione habeamus, constat *descensum* istum non ad pugnam Tahanachi respicere, quae v. 15 innuitur, et in mentione Zebulonitarum Naphthalitarumque demum aperte commemoratur (v. 18 — 22), sed ad reditum post victoriam, quum dispersi septentrionalis Palaestinae incolae iterum publicas vias et desertos antea pagos frequentabant. Incipit poetria a tribu sua; nam habitabat in montibus Ephraimiticis (Jud. IV, 5), Amaleq autem pars erat horum montium (Jud. XXII, 15), quippe ubi Amalequitae nonnulli consederant (Jud. III, 12). Reliquae tribus quae commemorantur, scilicet Benjaminitae, Machiritae (i. e. Manassaei), Zebulonitae, et Issacharitae, omnes cis Jordanum continuas sedes obtinebant; Machiritas enim intelligo eos Manassaeos qui inter Megiddonem, Carmelum, et mare habitabant. De nomine סֹפֵר v. 14 vide 2 Reg. XXV, 19. 2 Paralip. XXVI, 11. In v. 15 assentior Dathio legenti שָׂרֵי non obstante בְּ in regimine; ita Ps. LXXXIV, 7: עֹבְרֵי בְּעֵמֶק, *transeuntes in valle.* Ridiculus est Johannes de Gumpach, qui pro וּמִזְּבוּלֻן in v. 14 legendum censet וּמִשִּׁמְעוֹן. Si enim Simeonitae tunc temporis inter tribus numerabantur, at ii in meridionali Judaicae tribus parte habitabant, nec recenseri poterant hic, ubi Judaei ipsi non nominantur. Quum autem nulla tribus bis inducatur, Naphthalitae autem, Baraqui ipsius contribules, suam celebrationis partem hic ut in versu 18. postulent, cum Studero pro וישׂשכר legendum videtur ונפתלי, unde omnia congrua atque convenientia efficies. Vocem פְּלַגּוֹת *rivos* significare, qui in terra Rubenitarum abundabant, docet Job. XX, 17. De vocabulo מִשְׁפְּתַיִם

vide supra ad Gen. XLIX, 14. Textum v. 16 solita inscitia corrupit Gumpachius, legens גָּד וּלְאֹם »Gad et populus« pro גְּדֹלִים.

vv. 19—22. Pugnae ipsius descriptionem jam antea percurri. Quinam fuerint isti *reges* sive *reguli* docet *Josuae liber* c. XI. Ad *pugnantes stellas* quod attinet, meminerit lector stellas ex Israelitarum sententia conficere micantem exercitum Jehovae צְבָאוֹת, unde fulgura et cetera divinae irae signa provenirent; cf. Luc. IX, 54. Matth. XXVI, 53. Haud absimile illud est, quod de heroe suo praedicat Claudianus (de tert. cons. Honorii Paneg. vv. 96 sqq.):

> O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
> Aeolus armatas hiemes, cui militat aether,
> Et conjurati veniunt ad classica venti!

Affixum vocabuli אַבִּירָיו refero ad hostes Canaanaeos, collectivo עָז significatos, qui equos suos ad praecipitem fugam, haud aliter atque Argivus ille Thebanorum hostis quem Sophocles (Antig. 108) inducit, ut quem surgens Aurora excitasset *φυγάδα πρόδρομον ὀξυτέρῳ κινήσασα χαλινῷ.*

v. 23. In textu nostro legimus: אוֹרוּ מֵרוֹז ... כִּי לֹא־בָאוּ לְעֶזְרַת יְהוָֹה בַּגִּבּוֹרִים. Urbs illa *Meroz* ubi sita sit, nemini adhuc innotuit. Sententia autem horum verborum nihil planius esse potest. Fuerunt quidam homines, qui, quum profugos hostes, per suos agros passim palantes, facillime opprimere possent, non eo erant erga Israelitas studio, ut Canaanitarum cladem augere vellent, sed potius per fines suos liberum devictis transitum praeberent. Longe aliter Jahela, qui ducem ipsum vel contra hospitii jus peremit. Itaque haec solemni prece et bonis ominibus cumulata est: illi vero diris devoventur, Jehovae ipsius nomine. Ita enim explicandam esse locutionem מַלְאַךְ יְהוָֹה cuivis facile probabitur. Verissime olim Herderus: »Omne symbolum,« inquit, »sive res visibilis, sub qua Deus invisibilis ap-

paret, vocatur מַלְאַךְ יְהוָה, nuncius sive legatus Jehovae [1]).« Homines eos quos ita exsecratur Vates, Canaanitas fuisse, non Hebraeos, ipse loci hujus parallelismus ostendit. Praeterea, Israelitarum merita et peccata jam antea enumerantur. Hic agitur de mixtis Galilaeae incolis, quorum per agros transire debebat victus Sisrae exercitus. Jam vero, quum pugna commissa esset in Tahanacho, ad aquas Megiddonis, fugati autem hostes Chatzorem versus, i. e. in septentrionalem regionem, discurrerent (— mira est enim Hendoris mentio in Psalmo LXXXIII. v. 10), devota illa ultioni urbs inter *Tahanachum* et *Chatzorem* sita fuerit necesse est. Si autem ad *Josuae* librum, cap. XII. v. 19 respicitis, reges debellatos hoc ordine recensitos invenietis: »Rex Madonis, rex Chatzoris, rex Shimronis-Meronis, rex Akshaphi, rex Tahanachi, rex Megiddonis.« Atque iterum in c. XI. v. 1, rex Chatzoris convenit reges Madonis, Shimronis, et Akshaphi. Fuit igitur urbs quaedam, Shimron-Meron, in ipsa pugnae vicinia: eamque inter possessiones Zebulonitarum fuisse cognovimus e *Josuae* capitulo undevicesimo v. 15, ubi inter Nahalal et Jidala enumeratur. Quum igitur in nomine מְראוֹן non agnoscat Qeri litteram א, et fere nihil intersit inter ז et ן finalem, equidem non dubitarem pro מֵרוֹז in nostro loco rescribere מְרוֹן, et has imprecationes ad urbem *Shimron-Meron*, in finibus Zebulonitarum, transferre [2]). In quo si verum vidi, liberius irriseris egregium illum interpretem, qui imprecationis effectum in eo se repperisse putavit, quod nemini adhuc Geographorum innotuisset urbs devota *Meroz!*

---

[1]) Geist. der Hebr. Poesie, II. p. 46. Non male igitur Gumpachius hunc versum ita reddit: »Verfluchet Meroz, sprach Jehova's Donnerstimme,« quam versionem confirmat Genes. XXII, 11—13. collato Joann. XII, 29. Ps. XVIII, 14.

[2]) Hanc conjecturam obiter, et dubitanter ille quidem, occupaverat Ewald, Geschichte des Volkes Israel, Vol. II. p. 381.

vv. 24—27. Non omnes satis intellexerunt, quomodo Jahela facinus suum patraverit. Ut mihi videtur, postquam profugo duci dedisset lac camelinum, quod vim inebriandi habet, sumpto obdormientis capite in gremium suum, dextram ad malleum, sinistram ad clavum ejus generis quo tentoria figebantur, extendit perfida mulier, atque ita, Macbethae instar, fidentem hospitem exitio dedit. Hoc illud est, quod poetria significat Sisram inter Jahelae pedes (בֵּין רַגְלֶיהָ) cecidisse.

vv. 28—30. Ultima Cantici strophe matrem Sisrae cum matronis suis colloquentem inducit. Per fenestrae cancellos in viam Charoshethae publicam prospiciens frustra triumphantem filii sui reditum animo praecipit, et dum de cunctatione curruum ferreorum, qui antea tam saepe spoliis onusti reversi erant, cum suis mulieribus conqueritur, vanam sibi victoriae imaginem effingit. Etsi tale poetriae artificium per se quivis facile intelligat, equidem deperditae historiae fragmentum in hoc exitu Carminis mihi deprehendisse videor. Nempe, quum victores Israelitae in Charoshetham irruperunt, ibi omnia in triumphum apparata invenerunt, et, qua erant immani crudelitate, matres uxoresque hostium ex fenestris, unde, sicut Isabela illa in urbe Jesreelae, in vicos despectabant (2 Reg. IX, 30 sqq.), vestibus illis acu pictis, quas olim pro praedae parte acceperant, exutas ac nudatas praecipitaverunt. Quod versum tricesimum accuratius inspicientibus haud scio an probare queam. In hoc commate verborum ordinem conturbatam esse jam ante viderunt alii, inter quos complures [1]) in hunc modum versiculos digesserunt:

הֲלֹא יִמְצְאוּ יְחַלְּקוּ שָׁלָל
רַחַם רַחֲמָתַיִם לְרֹאשׁ גֶּבֶר שָׁלָל
צְבַע צְבָעִים לְסִיסְרָה שָׁלָל
רִקְמָה רִקְמָתַיִם לְצַוְּארֵי שָׁלָל

[1]) Meursingius, Wijers, Keminkius, alii.

Quae conjectura »eo se commendat, quod sic singula membra eodem vocabulo finiantur, atque dualis singulari in tertio et quarto membro apponatur, ut in secundo factum est. Praeterea, ea ratione tollitur difficultas, quae a nemine recte explicata videtur, voces primum צבעים רקמה, deinde vero צבע רקמתים juxta se esse positas [1].« Sed tametsi hanc rationem veram esse arbitror, nemo tamen, ut mihi videtur, plenam dedit hujus commatis interpretationem. Omnes enim [2] ita exponunt versiculum secundum: »puellam, immo duas puellas unicuique viro.« Equidem non nego fieri posse ut phrasis illa רֹאשׁ גֶּבֶר tali significatione usurpetur. Nam גֻּלְגֹּלֶת, »cranium,« ad singulos designandos adhibetur, et non adeo diversum est illud in libro primo Paralipomenon XII, 23, ubi numerus militum armatorum designatur. Sed si quando רֹאשׁ in numero singulari vocabulo cuivis apponitur, quod classem, familiam, vel ordinem hominum denotat, intelligimus eum, qui ordinis illius principatum obtinet. Ita רֹאשׁ אָבוֹת est caput sive princeps familiae; כֹּהֵן הָרֹאשׁ vel simpliciter הָרֹאשׁ est summus sacerdos: et saepius invenimus similem locutionem in militiae ducibus describendis, qui רָאשֵׁי הַגִּבֹּרִים appellantur. Itaque, in hoc loco, nulla interpretatio vocum רֹאשׁ גֶּבֶר linguae ipsius legibus accommodatior

---

[1]) Kemink, p. 80.

[2]) Praeter Kennicottum, qui plane mirabilem hujus clausulae interpretationem excogitavit (Remarks on Select Passages of the Old Testament, Oxf. 1787): »embroidery, double embroidery, for the captain's head!« Ut videtur, pro רַחַם anticipat רִקְמָה, ex versiculo ultimo: ita enim loquitur: »There being no authority for rendering the words *a damsel* or *two damsels,* and the words in Hebrew being very much like two other words in this same verse, which make excellent sense here, it seems highly probable that they were originally the same.« Si nostrum *woman,* quod ab antiquo *wifman* nolo derivatum, ab utero vel »womb« originem duxit, nihil aliud est haec nominis רַחַם synecdoche: et profecto longe decentior est haec feminae designatio, quam ut cum vulgari נְקֵבָה compararetur; vide supra p. 53.

erit, quam si hanc designationem de summo ac principe eorum praedicari autumamus, quos Jeremia vocat (XLI, 16) גְּבָרִים אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה. Sed et ipse contextus simile quid efflagitat. Habemus enim hic amplissimae dignitatis mulierem de reditu summi ducis ejusdemque filii sui hariolantem. Quid tandem tali personae accommodatius quam ut de imperatoris spoliis et de sua praedae participatione loqueretur? Nam sic ait:

»Nonne inveniunt, dividunt praedam?
Una puella, immo duae puellae sunt fortissimo duci praeda!
Vestis tincta, immo duae vestes tinctae sunt Sisrae praeda!
Vestis acu picta, immo duae vestes acu pictae sunt meo collo praeda!«

Imprimis moneo, incredibile esse duas captivas singulis militibus unquam obtigisse. Illud aptius esset *γέρας*, si quis inter bellatores sese dignissimum praestiterat, cui *ἀριστεῖα* deferrentur, Profecto ne ducum quidem ipsorum unusquisque pro sua portione duas Briseidas postulare potuit. Naaman ipse, exercitus Syri dux, vir magnae auctoritatis apud dominum suum, unam dumtaxat captivam Israeliticam habebat (2 Reg. c. V.). Pro eximio sane praemio aestimandum erat, si cui duae puellae obtigerant. Et plane apparet duales illas voces in hoc commate ad amplificandam sententiam usurpatas esse. Atque haud scio an optime illustretur haec exaggeratio, narratiuncula quadam quam in recentiori Germanorum historia inveni, quam miror neminem tot Teutonum, qui hunc versum explanare conati sunt, in memoriam revocasse. Post proelium Ampfingense A. D. MCCCXXII. quo Ludovicus, Boiorum dux, Fridericum Austriacum debellavit, victor exercitus nihil per pagos quaerens pro cibo invenire poterat praeter gallinarum ova. Jam vero Schweppermannus, praefectus militum, qui pugnam administraverat, omnium consensu sese fortissimum praebuerat. Quum igitur Ludovicus Imperator rescivisset nihil sese nisi ova pro commeatu habiturum, ita, barbaro quodam numero usus, alimentorum distributionem ordinavit:

»Jedem Mann ein Ey,
Dem frommen Schweppermann zwei.«

i. e. »Date in singulos milites singula ova; duo autem fortissimo nostro Schweppermanno.« Quae verba Schweppermanni sepulcro insculpta ad hoc diei leguntur.[1]) Et eandem praedae auctionem hoc loco innui credibile est. Quo posito, novam his versiculis lucem conciliamus. Duas, inquit, illi qui *ἀριστεῖα* meruerit, nominatim Sisrae meo, puellas concedet exercitus. Sed apportabit praeterea duas vestes pro se ipso et duas pro matre sua! Etsi plures criticorum jam antea reposuerunt לְצַוָּארִי »meo collo«, pro statu plurali constructo לְצַוְּארֵי, ut vulgo legitur, nemini tamen adhuc suboluit, quantopere haec emendatio propterea se commendet, quod duo vestium genera commemorentur. Nam צֶבַע est »vestis murice colorata«, quali libenter amictus esset rex vel imperator. Sed רִקְמָה est »vestis acu variegata«, quales arte adornabant et ipsae gerebant feminae. Idem vocabulum eodem sensu ex Arabica lingua mutuo sumpserunt Itali Hispanique hodierni, apud quos *ricamare* est *ποικίλλειν*. Sidonias mulieres in his vestibus adornandis operam suam ponere solitas esse vel ex Homero discimus (Il. VI, 289):

*αὐτὴ δ' ἐς θάλαμον κατεβήσατο κηώεντα,
ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι, παμποίκιλα Fέργα γυναικῶν
Σιδονίων, τὰς αὐτὸς Ἀλέξανδρος θεοειδὴς
ἤγαγε Σιδονίηθεν.*

---

[1]) Sepulcro Schweppermanni in monasterio Castellensi, hi versus incisi sunt:

»Hie leit begraben Herr Seyfried Schweppermann,
Alles Thuns und Wandels lobesann,
Ein Ritter keck und fest,
Der bei Gammelsdorf und Ampfingen
Im Streite *that das Besst.*
Er ist nun todt
Dem Gott genad.
*Jedem Mann ein Ey
Dem frommen Schweppermann zwei.*«

Ubi etiam apparet cui usui destinati essent tales πέπλοι, nempe mulieribus et deabus, non item hominibus. Et quum Charoshetha non ita longe abesset ab urbe Sidone, facile crediderim victores Israelitas multas ibi acu pictas vestes invenisse, quas inter suas feminas Baraquus aliique ductores partiebantur. Auctor Psalmi LXVIII, qui plures nostri Carminis locos imitatione expressit, optimum hic commentarium subministrat. Ita enim vel de hac vel de alia nescio qua Israelitarum victoria loquitur (vv. 12—14):

»Reges cum exercitibus suis fugiunt, fugiunt!
Et matronae domisedae praedam partiuntur!
Etiamsi domesticis antea ministeriis sordidatae erant,
Hodie deargentatae sunt et deauratae, sicut columbarum pennae.
Quum regum ibi copias dissipasset Omnipotens,
Canduit unaquaeque mulier ceu nix in Tsalmonis vertice.«

Unde videmus, quam prolixa spe veteres illi Israelitae futurum victoriae proventum contemplari solerent. Quod autem Psaltes ille praedae partitionem quasi historice describit, Debora vero irritas hostium opiniones irridet, similem habemus inversionem in nostro Carmine v. 19: »Venerunt reges et pugnarunt, sed ne frustulum quidem argenti lucrati sunt«, pro quo Psalmi auctor absque omni negatione devictos hostes argenti frusta pro tributo submisse praestantes inducit (v. 31).

PARS SEPTIMA.

Varia Carmina de proborum imperio et felicitate regnantibus Davide et Solomone.

CANTICUM PRIMUM.

Davides giganteo triumpho clarus.

1 Sam. II, 1-10. [1] Exsultat animus meus per Jehovam;
Elatum est meum cornu per Jehovam;
Apertum est meum os adversus hostes meos;
Nam gaudeo de salute tua.
[2] Non est alius aeque sanctus ac Jehova, nam ne alius quidem est praeter te.
Non est usquam rupes sicut Deus noster.
[3] Nolite imaginari superbas illas loquelas,
Abstinete a dictis istis ferocibus.
Nam Deus est omniscius,
Ab eo ponderantur hominum facta.
[4] Fortissimi sagittarii dejiciuntur,
Et debiles se robore cingunt.
[5] Saturi ob victum operam suam elocant,
Et famelici feriantur in perpetuum.
Sterilis parit septies,
Et quae foecunda fuit effoeta fit.

1 Sam, II. [6] Jehova interficit et vitam servat;
Ad inferos dejicit et reducit.
[7] Jehova depauperat et ditat;
Humiliat, idemque exaltat.
[8] E pulvere humilem excitat;
A fimeto erigit egenum,
Ut eum inter principes sedere faciat
Et in thronum dignitatis collocet.
Nam Jehovae sunt terrae fundamenta,
Quibus orbem superimposuit.
[9] Pii cultoris gressus tuetur,
Improbi autem in tenebris silebunt;
Neque enim ullus vir robore suo praevalet.
[10] Qui cum Jehova altercantur, fracti erunt,
In eos e coelo detonat Jehova.
Ad extremos orbis fines judicabit,
Ut potentiam suo regi impertiat,
Et cornu uncti sui extollat.

CANTICUM SECUNDUM.

Davides Saulum, Jonathanem, et Abnerum, viros sibi affines, sed per vitam infensos, mortuos lamentatur et concelebrat.

---

2 Sam, I, 19-27. [19] O decus Israelis in montibus tuis confossum!
Quomodo ceciderunt heroes!
[20] Nolite haec Gathae gaudio annunciare,
Nolite haec plateis Ascalonis laete edicere,
Ne filiae Philistaeorum laetentur,
Ne filiae praeputiatorum exsultent.

2 Sam. I. [21] O montes Gilboae! ne in vos ros aut pluvia descendat;
Estote campi montesque mortis!
Nam ibi abjectus est clypeus heroum,
Clypeus Sauli, oleo non unctus!
[22] A sanguine occisorum, ab adipe fortium arcus Jonathanis non avertebatur,
Gladius Sauli non redibat sine praeda.
[23] Saulus et Jonathan, dilecti illi et amabiles in vita, ne in morte quidem sunt dirempti.
Aquilis erant velociores, fortiores leonibus.
[24] O virgines Israelis! deflete Saulum,
Qui vobis coccineae vestis delicias imponebat,
Qui aureum ornatum vestris addebat vestimentis.
[25] Quomodo ceciderunt heroes in medio proelio!
Quomodo Jonathan in montibus tuis confossus est!
[26] Vehemens me dolor subit propter te, mi frater Jonathan.
Te in primis dilexi!
Amor tuus mihi suavior fuit amore feminarum.
[27] Quomodo ceciderunt heroes,
Atque arma bellica irrita jacent!

EPIMETRUM DE ABNERO.

1 Sam. III, 33, 34. [33] Ergo Abnerum stulti instar mori oportuit?
[34] Manus tuae non vinctae erant, nec pedes tui catenis impediti.
Cecidisti ut qui hominum nequam fraude cadunt.

CANTICUM TERTIUM.

Davides, rex factus et Philistaeorum victor, summas Jehovae gratias venerabundus agit.

Ps. XVIII.
2 Sam. XXII.

Strophe 1.

[2] Te diligo, Jehova, meum robur!
[3] Jehova, mea rupes, arx mea, et liberator,
Deus meus, petra mea, in quam confugio,
Clypeus meus, cornu salutis meae, locus editus,
Meum refugium, ab injuria me defendens.
[4] Laudans invoco Jehovam,
Et ab hostibus liberatus sum. —

Strophe 2.

[5] Jam circumdederant me fluctus mortis,
Flumina Belialis me jam obruerant.
[6] Inferni vinculis jam eram vinctus,
Occupaverant me laquei mortis.
[7] His in angustiis meis Jehovam invocavi,
Ad Deum meum vociferatus sum.
Ille vero e palatio suo vocem meam exaudivit,
Et clamor meus usque ad aures ejus penetravit. —

Strophe 3.

[8] Ibi tum concussa est et contremuit tellus,
Et fundamenta montium commovebantur.
Vehementer conquassabantur, quia ira ejus exaestuabat.
[9] Nares ejus fumabant, os ejus ignem edacem exhalabat;
Exibant ab eo ardentes prunae;
[10] Inclinabat coelum, et descendebat.
Caligo erat sub pedibus ejus.
[11] Inequitabat Cherubo, et volabat,
Nempe, super alis venti ferebatur.

[12] Fecit tenebras penetrale suum undique;
Tugurium, quo erat cinctus;
Nempe aquas nigras et condensatas nubes.
[13] Prae splendore, qui circum ipsum erat, nubes discutiuntur,
Et prunae ignitae exardent.
[14] Tum intonuit e coelo Jehova, et supremus vocem suam edidit,
[15] Tum projecit sagittas suas, easque dissipavit,
Fulgura jaculatus est, eaque diffudit.
[16] Tum scaturigines aquarum apertae sunt;
Retecta sunt terrarum orbis fundamenta;
Ob increpationem tuam, o Jehova,
Ob anhelitum venti narium tuarum. —

Strophe 4.

[17] Ex alto manum mihi porrexit,
Meque prehensum traxit ex aquis multis.
[18] Liberavit me ab hoste meo valido,
Atque ab osoribus meis, quoniam me potentiores erant.
[19] Illi quidem tempore calamitoso mihi obviam irruerunt,
Sed Deus me sustentavit.
[20] Eduxit me in locum spatiosum,
Liberavit me, ut quem amaret.
[21] Rependit mihi Jehova secundum justitiam meam,
Secundum puritatem manuum mearum retribuit mihi.
[22] Nam servavi vias Jehovae,
Neque impie defeci a Deo meo.
[23] Quin ejus praecepta mihi ob oculos versantur,
Et statuta ejus non repudiavi;
[24] Sed erga eum integer eram; cavebam mihi a peccatis.
[25] Quocirca Deus meam justitiam remuneratur,
Quum innocentiam meam probe perspexerit.

[26] Tu te benignis benignum, integris integrum,
[27] Sanctis sanctum, et perversis intractabilem praebes.
[28] Homines miseros defendis, et oculos fastuosos deprimis.
[29] Itaque tu mihi lucem accendis;
Jehova Deus meus tenebras meas illuminat.
[30] Te enim duce turmas hostiles adortus sum,
Deo adjuvante muros hostium transilui. —

Strophe 5.

[31] Ad Deum quod attinet, via ejus nihil habet fallaciarum,
Et sermo Jehovae, velut ignis, exploratissimae est veritatis.
Clypeus est omnibus, qui ad eum confugiunt;
[32] Nam quis est Deus praeter Jehovam?
Quaenam petra est, praeter Deum nostrum?
[33] Deus est, qui me accingit robore,
Qui expeditam reddit viam meam;
[34] Qui pedes meos similes facit pedibus cervorum,
Et in celsas arces me perducit;
[35] Qui manus meas bellica vi informat,
Ut brachio meo possim aeneum arcum tendere.
[36] Praebes mihi defensionis tuae clypeum,
Dextra tua me suffulsit, et gratia tua me amplificavit.
[37] Latos reddidisti gressus meos,
Ut tali mei non vacillent. —

Strophe 6.

[38] Persequar meos hostes atque assequar,
Nec nisi confectis illis revertar.
[39] Ita eos percutiam, ut surgere nequeant,
Succumbent pedibus meis.
[40] Nam tu me robore ad bella gerenda cinxisti,
Meosque sub pedibus meis adversarios prostravisti.

Ps. XVIII.
2 Sam. XXII.

[41] Hostium mihi tradidisti cervices.
Inimicos meos penitus exscindam.
[42] Clamabunt, sed non est qui eos servet,
Ad Jehovam clamabunt, sed non respondebit Ille.
[43] Dissipabo eos, ut ventus pulverem,
Quasi lutum platearum eos conculcabo.
[44] Tu me a litibus populi mei liberasti,
Constituisti me principem nationum,
Populus ignotus mihi servit,
[45] Ad auditum auris mihi obediunt.
Peregrinae gentes mihi blandiuntur,
[46] Peregrinae gentes vigorem suum exuunt,
Et pavidae egrediuntur e claustris suis. —

Strophe 7.

[47] Jehova vivit! et laudetur petra mea!
Extollatur Deus, salutis meae auctor.
[48] Hic est ille Deus, qui mihi ultionis jus concedit,
Gentesque mihi subigit,
[49] Qui me hostibus meis eripit,
Ab adversariis vindicat,
Ab homine crudeli liberat.
[50] Propterea celebrabo te inter gentes, Jehova!
Tibi carmina canam,
[51] Qui auges felicitatem regis tui,
Qui benignitate foves unctum tuum,
Davidem et posteros ejus in aeternum.

CANTICUM QUARTUM.

Davides suam de Syriis, Joabi Abishaeique de Edomitis, victoriam commemorat.

Strophe 1.

Psalm. LX. [3] Deus, nobis succensueras, vehementer nos concusseras,
Irascebaris; jam autem ad nos redis.
[4] Terram contremere feceras et dehiscere;
Sana fracturas ejus, nam vacillat.
[5] Ostenderas populo tuo dura mala,
Propinaveras nobis vinum temulentiae.
[6] Dedisti autem vexillum, quod cultores tui propter veritatem erigant.
[cf. Ps. CVIII, 7-14.] [7] Ut eripiantur dilecti tui,
Serva dextera tua et exaudi nos.

Strophe 2.

[8] Profecto Deus locutus est in sacrario suo;
Equidem exsulto; Sichemam divisi,
Et metitus sum vallem Succothanam.
[9] Mihi paret Gileaditis, mihi parent Manassaei,
Ephraim est principatus mei robur,
Et Judaea mihi sceptrum tradit.
[10] Moabitis utor tanquam pedum lavacro;
In Edomitas calceum meum projicio;
Super Philistaeis triumphum celebravi.

Strophe 3.

[11] Quis me in urbem munitam deduxit?
Quis me usque ad Idumaeam comitatus est?
[12] Nonne tu, Deus, qui olim nobis succensueras,
Et qui non antea exibas cum exercitu nostro?

Strophe 4.

Psalm. LX, [13] Praesta nobis auxilium contra hostes,
Hominum enim auxilium parum prodest.
[14] Deo adjuvante fortiter rem gerimus;
Ille enim hostes nostros subigit.

CANTICUM QUINTUM.

Davides moribundus venturi Messiae regnum praedicit.

2 Sam. XXIII, 1-7. [1] Dicit Davides filius Isaei,
Dicit vir in loco sublimi constitutus,
Unctus a Deo Jacobitarum,
Suavis Israelitarum cantator.
[2] Spiritus Jehovae loquitur per me,
Ejus verbum est super lingua mea.
[3] Promisit mihi Deus Israelitarum,
Israelitarum rupes mihi effata est.
»Dominator erit inter homines justus,
Dominator erit cultum Dei promovens,
[4] Isque sicut lux erit matutino tempore, quum sol oritur,
Matutino tempore, quum nullae nubes officiunt,
Quum e splendore post pluviam herba e terra pullulat.«
[5] Nonne ita futura est domus mea, juvante Deo?
Nam sempiternum mecum foedus conciliavit,
Instructum undique et confirmatum;
Omnem enim salutem meam et omne desiderium, nonne is producet?
[6] Belial autem amovendus est, catervatim sicut spinae;
Nam nemo eas manu prehendit;

2 Sam. XXIII, [7] Qui voluerit tangere eas, instruit se ligno ferrato,
Atque illico igne comburuntur.

CANTICUM SEXTUM.

Solomonis Epithalamium.

PROOEMIUM.

Psalm. XLV, [2] Fervet cor meum; bona verba dico;
Carmina mea ad regem pertinent;
Lingua mea est sicut stylus scribae experti. —

PRAEFECTUS CHORI AD REGEM.

Stropho 1.

[3] Pulcherrimus tu es inter homines.
Summa gratia in labiis tuis diffusa est.
Quocirca Deus tibi in perpetuum benedixit.
[4] Accinge gladium femori tuo, o heros!
Scilicet, decus tuum ac majestatem.
[5] In hac tua majestate prospere curru vehitor,
Ut veritatem, clementiam, justitiam defendas,
Et dextra tibi edet terribilia.
[6] Acutae sunt sagittae tuae;
Populi tibi succumbent,
Quot ex animo regis sunt inimici.

CHORUS AD DEUM.

[7] Thronus tuus, o Deus, aeternus est,
Sceptrum probitatis est sceptrum regni tui!

PRAEFECTUS CHORI AD REGEM.

Psalm. XLV, [8] Amas justitiam, et nequitiam odisti;
Quocirca auxit te Deus, Deus tuus,
Oleo laetitiae prae ceteris regibus.
[9] Myrrham, aloen, casiam exhalant vestimenta tua.
E palatiis eburneis te fidicines exhilarant.
[10] Filiae regum sunt inter pellices tuas.
Regina consors dextrae tuae adstat auro Ophiritico operta.

PRAEFECTA CHORI MULIEBRIS AD REGINAM.

Strophe 2.

[11] Audi, filia, vide et ausculta,
Obliviscere patriae paternaeque domus.
[12] Tunc appetet rex pulchritudinem tuam;
Nam ille dominus tuus est; illum igitur venerare.
[13] Et Tyrus cum oblationibus stat coram te,
Ditissimus quisque nationis tibi adulabitur.

EADEM AD REGEM.

[14] Summopere magnifica sedet regis filia in interiore conclavi.
Vestem habet illa auro intertextam.
[15] In palla acu variegata ad regem adducitur:
Post eam ad te ducuntur virgines quae eam comitantur;
[16] Adducuntur cum gaudio et exsultatione;
Palatium regis introeunt.
[17] Loco parentum filii tibi erunt,
Et constitues eos in omni terra principes.

CHORUS MULIEBRIS AD DEUM.

[18] Commemorabo nomen tuum in omnes generationes;
Propterea laudabunt te gentes in sempiterna saecula.

CANTICUM SEPTIMUM.

Solomonei templi introitus ac dedicatio.

PROOEMIUM.

CHORUS.

Ps. LXVIII, (2) Surgit Deus, sparguntur hostes,
Osoresque ejus eo conspecto diffugiunt.
(3) Ut fumus dissipatur, ita eos dissipas,
Ut cera liquescit igne, sic improbi ad Dei conspectum pereunt.
(4) Probi autem gaudent, exsultantque coram Deo,
Et summo gaudio laetantur.

PRAEFECTUS CHORI.

Strophe 1.

(5) Canite Deo, fidibus cantate nomen ejus,
Viam ei parate, qui in deserto vehitur;
Jah est nomen ejus. Exsultate coram eo.
(6) Pater orphanorum et viduarum vindex
Deus est, in sanctuario suo habitans.
(7) Deus est, qui caelibes familia circumdat,
Qui servos omnigena prosperitate cumulat,
At contumaces in arido deserto relinquuntur.

HEMICHORIUM VIRORUM.

Strophe 2.

(8) Deus! quum exires coram populo tuo,
Quum incederes per desertum,
(9) Terra contremuit, quinetiam caelum stillavit
Coram Deo qui ad Sinaim apparebat,

Coram Deo, qui Deus est Israelitarum.

Ps. LXVIII, [10] Largum imbrem fundebas, Deus,
Et hereditatem tuam, quoniam fessa erat, sustentabas.
[11] Ibi coetus tuus consedit.
Pro bonitate tua, Deus, prospexisti afflictis.

HEMICHORIUM FEMINARUM.

Strophe 3.

[12] Dominus mandat hymnum;
Mulieres laeta annunciantes magna caterva adsunt.
[13] Reges cum exercitibus fugiunt, fugiunt!
Et matrona domiseda partitur praedam.
[14] Etiamsi in culinis antea versabamini,
Hodie deargentatae estis et deauratae sicut columbae pennae.
[15] Quum regum ibi copias dissipasset Omnipotens,
Canduit unaquaeque mulier ceu nix in Tsalmonis vertice.
[16] Est quidem mons eximius mons Basan,
Mons praealtus est mons Basan.
[17] Quare invidiose observatis, vos montes altissimi,
Montem, quem Deus sedem suam esse vult?
Attamen Jehova eum in aeternum habitabit.
[18] Currus Dei constat duabus myriadibus, millibus clamorum circumstrepentium;
Dominus est inter ea, sicut super Sinai in sanctuario suo.
[19] Conscendisti in arcem, captivos tecum ducens,
Acceptisque dono hominibus, etiam contumacibus,
Ut habites hic, Jah, Deus!

HEMICHORIUM VIRORUM.

Strophe 4.

Ps. LXVIII, [20] Laudetur Deus quotidie!
Si quis nobis onus injungit, Deus est salus nostra,
[21] Deus est nobis Deus auxilii;
Jehova Dominus nos morte liberat.
[22] Profecto Deus confringet caput hostium suorum,
Verticem crinitum ejus, qui perseverat in delictis suis.
[23] Dixit Dominus: »ex Basanitide reducam eos,
Reducam eos ex profundo maris,
[24] Ut pedem tuum in sanguine contorqueas,
Ut canes tui ex hostibus habeant quod lambant.«

HEMICHORIUM FEMINARUM.

Strophe 5.

[25] Vident incessus tuos, o Deus,
Incessus Dei mei, Regis mei, in sanctuario.
[26] Praecedunt cantores, subsequuntur fidicines,
Inter virgines tympana pulsantes.
[27] In choris laudate Deum Dominum, omnes stirpis Israeliticae.
[28] Ibi Benjamin, minimus natu, sed dominans inter fratres suos;
Principes Judae cum multitudine eorum;
Principes Zebulonis, principes Naphthalis.

PRAEFECTUS CHORI.

Strophe 6.

[29] Decrevit Deus tuus robur tuum;
Robora, o Deus, id quod nostra causa patrasti.
[30] Propter templum tuum apud Hierosolymam

Offerent tibi reges munera.

Ps. LXVIII, (31) Compesce feram arundinis,
Taurorum turbam cum populorum vitulis,
Ut sese cum frustulis argenti supplices prosternant.
Disperge populos, qui bello delectantur.
(32) Magnates venient ex Aegypto,
Properabit Aethiopia palmis supinis adorare Deum.
(33) O regna terrae, canite Deo, fidibus cantate Dominum,
(34) Qui vehitur supremo aeternoque caelo.
En! edit voce sua vocem ingentem.
(35) Tribuite robur Deo,
Cujus super Israelem magnificentia est,
Et robur ejus in nubibus.
(36) Terribilis es tu, o Deus, e sanctuariis tuis.
Deus Israelis dat robur et vires populo suo.

CHORUS.

Laudetur Deus!

COMMENTARIUS.

In fragmentis septimae partis dignoscendis ratione perquam simplici usus sum. Certum est elegiam qua Davides Saulum Jonathanemque, illum inimicum, hunc amicissimum, lamentabatur, ex libro Jasharano desumptam esse. Et si vocabulum קָשֶׁת rite sum interpretatus (v. supra p. 246), edixit Davides rex ut Israelitae *catervatim* in congregationibus suis illam naeniam decantarent. Num putas fieri posse, ut elegiam istam solummodo tali frequentia iteratam voluerit? Nonne potius victorias suas et felicitatem laetis civium choris demandaret? Quum igitur constet auctorem

librorum Samuelicorum, sive is Nathan fuerit, sive alius quis Solomoni aequalis, unam saltim elegiam ex anthologia Jasharana mutuatum esse, concludat quivis sanioris critices peritior, non modo alteram illam de Abnero elegiam, cujus nonnisi frustulum superest (2 Sam. III, 33, 34), ex eodem syntagmate desumptam esse, verum etiam, ac multo etiam magis, alia carmina, a Davide scripta atque ad Davidem ipsum pertinentia, quae historicus noster verbatim excerpsit, Jasharanum originem prae se ferre. Ita habebimus, praeter istas elegias, quibus homines sibi affines eosdemque plus magis infensos honoravit, Hannae quod vocatur canticum (1 Sam. II, 1 — 10), quod mihi, ut ante Thenio, Davidis in Goliatham triumphum celebrare videtur, Psalmum decimum octavum (2 Sam. XXII), et ultima Davidis verba (2 Sam. XXIII, 1—7). Si, ut aliqua his accessio fiat, longam illam Psalmorum collectionem perscrutamur, nihil, opinor, inveniemus, quod certissime huc referri possit, praeter epinicium illud, quo Davides victorias suas ab Edomitis, Moabitis, et Philistaeis partas (Psalm. LX) relligiosa ovatione concelebrat. Multos praeterea Psalmos a Davide ipso conscriptos esse, partim laeti, partim tristioris argumenti, minime negaverim. Sed credere oportet talem regem, etsi suas cogitationes de quavis re litteris consignaverit, non tamen idcirco jussurum fuisse, ut libro illi insererentur quem coetibus Israelitarum decantandum mandaverit. Quum multi essent, qui Sauli, Jonathanis, Abneri memoriam colerent, prudentis erat viri et regis ostendere quanti bellicosos illos homines ipse aestimaret. Sed de suis ante regnum partum errationibus et miseriis, de peccatis postea admissis, nemo Davide vivente et regnante quidquam edere ausus esset. Ne carmen quidem istud (Psalm. II), quo inchoatam victoriae spem significat rex ille et vates, Jasharano libro insertum putaverim. Scripserit illud et conservarit. Sed in libro coetibus destinato non speratam sed partam victoriam celebrare debebat, id quod

fecit Psalmo sexagesimo. Maestiores illas cantilenas in scholis prophetarum conservatas esse, et memoriae traditas, easdemque plurimam piis hominibus in exsilio et afflictione versantibus, iis praesertim qui Babylone degentes Psalmos Tsionis recordabantur (Psalm. CXXXVII, 1, 5), consolationem praebuisse, nemo est quin pro se ipse animadvertat. Unum tamen proferam exemplum, ut videas, quam alte Davidis verba in exsulum mentibus insiderent, et quanam ratione narrationes fictas de suis ipsorum rebus ex poeticis regii vatis locutionibus aliquando illi comminiscerentur. Psalmus LVII, qui, si titulo credas, commemorat Davidis maestitiam quum in spelunca, Sauli vitandi causa, latitaret, miseram futuri regis conditionem oratione audacter figurata sic exprimit (v. 5):

Versatur inter *leones* vita mea, inter *ignes flammantes* ego cubo,
Inter homines, quorum dentes spicula sunt et sagittae, quorum lingua gladius est acutus.

Hunc Psalmum facile credas exsules illos Babylone commorantes inter cantus Tsionis iterasse, ut suas ipsius miserias relligiosa spe consolarentur. At serioris aevi scriba, quum de principum Judaeorum sub Nebucadnezare et Dario periculis et liberationibus historiam qualemcunque excogitandam putavit, illas Davidis metaphoras, quae universi exsules tanquam sibi proprias vindicabant, in portentosas narrationes explicuit, et quum calumnias Babyloniorum commemoraret, Danielem quidem in leonum foveam dimittendum (Dan. VI, 17), Shadrachum autem et Meshacum et Abednegonem in fornacem ardentem abjiciendos (Dan. III, 21) curavit. Ex natura rei accidit, ut scriptiones primo privatis usibus destinatae paullatim in vulgus prodeant, donec per ora virorum volitent; quod equidem canticis illis Davidis poenitentiam et abjectum animum declarantibus usu venisse arbitror. Sed minime concludas inde tales Psalmos principio in Jasharanam syllogen relatas esse, ut quae publicae recitationi accommoda-

rentur. Sane concedo multa esse inter Psalmos carmina, quae choris aptissima sint, sed nullum habeo argumentum, quare ea vel Jasharano libro annumeranda vel abjudicanda censeam. Itaque rem in medio reliqui. Ad Solomonis aetatem quod pertinet, nonnisi duo carmina excerpsi, quae Jasharanam indolem prae se ferunt, Psalmum XLV, quem, ut opinor, Nathan propheta, tanquam laureatus aulae vates, epithalamii instar composuit; et Psalmum LXVIII, quem idem, crebrae Deborei cantici imitationi indulgens, ad templi consecrationem tanquam generale gentis Jasharanae epinicium litteris mandavit. Ita, si elegias in unum poema associas, septem habebis septimae partis cantilenas.

IN CANTICUM PRIMUM.

Nemo, qui legere et intelligere possit, hanc cantilenam Hannae, Samuelis matri, addixerit. Nam quum nihil ibi sit quod tali personae conveniat, si excipias illam septies parientis mentionem (v. 5), quae sententiae augendae causa introducitur nec quadrat in Hannam quae sex natos habuit (1 Sam. II, 21); multa insunt, quae ab Hanna dicta esse non poterant, praesertim quum nullus esset tunc temporis inter Israelitas rex, qui tamen in ultimo commate tanquam a Jehova unctus diserte commemoratur. Atque Ewaldus quidem arbitratur (die poetischen Bücher des A. B. I, p. 111) hoc canticum fuisse epinicium antiquioris cujusdam Israelitarum regis; Bertholdtius (Einl. III, 915) Davidem tanquam auctorem ejus profert; et Otto Thenius (die Bücher Samuels p. 8) non modo Davidem hanc oden scripsisse autumat, sed eo consilio scripsisse ut Goliathae devictionem celebraret. Equidem ad eandem sententiam concesseram, antequam Thenii Commentarium inspexissem. Argumenta, quae me moverunt, fere eadem sunt atque ea quae Thenius adduxit. In primis enim habemus

stylum plane Davidicum (cf. v. 1 cum Psalm. XVIII, 1; v. 2 cum Ps. XVIII, 32, II, 7, 22; v. 4 אזרו חיל cum Ps. XVIII, 33, 40, nec ista locutio usquam alibi occurrit; v. 8 כי ... תבל cum Ps. XXIV, 1, 2; v. 10 בשמים ... ארץ cum Ps. VII, 8, 9; XI, 6; XVIII, 14; et ויתן עז cum Ps. XXIX, 10; quinetiam vocabulum illud כבוד, quod Davides praecipue affectat, invenitur v. 8). Deinde mirum foret si princeps haec Davidis victoria sua commemoratione careret. Quantopere vel imperiti lectores talem tantae rei commemorationem exspectent docet Psalterium saeculi post Christum decimi quarti quod mihi dum haec scribo praesto adest. Nam ibi Psalmus LII, qui, titulo si credis, ad Doegum delatorem spectat, splendida illuminatione auro et coloribus distincta exornatur, quae Davidem repraesentat Goliathum funda aggredientem. Sed nec ille Psalmus nec ullus alius in collectione nostra tam prope accedit ad rei ipsius significationem quam hoc canticum. Nam versus 2 illam Jehovicolae professionem (1 Sam. XVII, 45) resonat; v. 3 haud obscure innuit impias Goliathae jactationes (1 Sam. XVII, 33, 34); vv. 7—9 significant Dei ope vel minimas vires amplissimae potentiae pares esse (1 Sam. XVII, 45 sqq.); v. 10 ad hostium exitium spectat, quod Jehovae debetur (1 Sam. XVII, 46); v. 8 seriorem Davidis exaltationem quasi vaticinatur; et ultimus versiculus fidelem regii armigeri animum declarat, nisi forte Davidem putas subindicasse se quoque a Samuele Jehovae jussu unctum fuisse (1 Sam. XVI, 12, 13). Denique, moneo verisimile esse Samuelis libros, ut principio editi sunt, ad Davidem dumtaxat respexisse. Et quum cetera, quae continet iste liber carmina, a Davide scripta sint et ad Davidis historiam pertineant, hoc, quod primum exscribitur, ad primarium herois facinus proculdubio spectare oportebat.

Davidem in ipso flore juventutis Goliathum, procerae staturae virum et eximium Philistaeorum propugnatorem, aperto Marte interfecisse certissimum est. Utrum ea, quae epica illa

narratione (1 Sam. XVII) vividis coloribus depinguntur, ad litteram accipienda sint, nescio. Quae de statura Philistaei traduntur, ea non per se incredibilia sunt; nam major humani corporis amplitudo ipsis relliquiis aliquando comprobata est (vide Herod. I, 68; Plin. H. N. VII, 16; Asiat. Journ. Nov. 1838). Nec propugnator regius procerissimae staturae sine exemplo est; nam si accipimus palmariam illam C. O. Muelleri emendationem, Antimenidas, Alcaei poetae frater, Babyloniis opitulans, regium propugnatorem interfecit, cujus statura paene quinque cubitorum erat; Alcaeum enim sic scripsisse apparet (apud Strab. XIII, p. 617 C; Müller, Rhein. Mus. I, p. 290):

κτέννας ἄνδρα μαχατὰν βασιλήϊον
παλαιστὰν ἀπολείποντα μόνον μίαν
πάχεων ἀπὸ πέμπων.

Nec historicae Goliathanae caedis veritati officit, quod multa fabulosa in alias ejusmodi narrationes irrepserint, ut in confusa illa pugnarum prope Gobam descriptione, ubi vir immanis staturae inducitur senos in manibus et pedibus digitos habens (2 Sam. XXI, 20). Ut supra significavi, Israelitae, quum, ut ceteri Arabum nomadum populi, haud ita procera statura essent, grandiores corpore Canaanitas ita suspiciebant, ut omnia in portenta augerent. Ita mercatores, qui primi Patagoniam invisebant, nuntium de incolarum statura reportabant, quem serior atque accuratior observatio falsum fuisse demonstravit. Quantum Israelitae eximio corporis habitui tribuerent, discamus licet ex ea acclamatione qua Saulum alloquebantur, quum stans in media concione omnes humeris supereminebat (1 Sam. X, 23, 24). Et quandoquidem Goliathus post mortem obtruncatus in conspectu omnium jacebat, fieri vix potest, ut mensura illa, quae exacto numero traditur, ex vaga amplificatione profluxerit, nisi forte septuagintaviralem versionem sequi mavis, quae pro שֵׁשׁ legit *τεσσάρων*, confusis scilicet litteris ו et ר (1 Sam. XVII, 4).

Pugnam autem imparem fuisse, non modo propter staturam, sed, quod plus valebat, propter armaturam pugnantium, aperte declarat narratio epica, confirmat vero nexus sententiarum in cantico nostro. Davides enim, sicut plerique Israelitae, ψιλὸς erat; Goliathus autem ὁπλίτης, cujus armatura a Cretensibus et Caribus proculdubio derivata fusius in narratione illa describitur. Hinc illa divini auxilii significatio; »neque enim,« ut poeta noster profitetur, »ullus vir robore suo praevalet.«

De textu atque interpretatione hujus cantici haec sint dicta. Verba: קֶשֶׁת גִּבֹּרִים חַתִּים (v. 4) ope Jes. XXI, 17 reddenda sunt. Ibi enim propheta, qui alioqui frequens est in libro Jasharano imitando, scripsit קֶשֶׁת גִּבּוֹרִים ut significaret *fortissimos sagittarios*. In v. 5 עַד, cum Michaele aliisque, ad antecedentia rettuli: cf. Gen. XLIX, 26. Ad v. 6. Thenius comparat Psalm. XXX, 3, 4, et citat Artemidorum: *τὸν παρὰ προσδοκίαν σωθέντα φάμεν ἐξ Ἅιδου ἀναβεβηκέναι.* Cum sequentibus versiculis nemo non contulerit beatae Mariae cantilenam apud Lucam Evangelistam (I, 46 sqq.). Unde illa cantilena derivata sit, nescio. Sed profecto, quicunque eam scripserit, is Masorethicum textum secutus est, et nostrum hymnum Hannae assignavit. Quod si quis inde Masorethico textui, vel, si mavis, versioni septuagintavirali ratam auctoritatem conciliandam censet, nae iste, si quis alius, in circulo, quod aiunt, ratiocinatur.

IN CANTICUM SECUNDUM.

Hanc naeniam pulcherrimam esse atque ad intimos animi sensus commovendos aptissimam, omnes fatentur. Sed non omnes primo obtutu intelligunt, quare Davides talem threnum publicae recitationi commendaret. Nam Saulus quidem per multos annos regium nostrum vatem infenso odio, modo dolis, modo aperto

Marte, prosecutus est. At vero Davides Sauli filiam Michalem matrimonio duxerat, Jonathanum filium Sauli vere dilexit, Abnero belli societate, et fortasse aliis officiis (1. Sam. XVII, 57), commendatus erat. Itaque haud absimile est hominem, qui tam blandae erat atque indulgentis naturae, ut vel impium et rebellem filium verissimo animi affectu et summo dolore contristatus lugeret (2 Sam. XVIII, 33), inimicos, quos aliquando amaverat, mortuos tamen sine fuco ac fallaciis lamentaretur. At enimvero, si nullus ibi fuisset nisi simulatus maeror, prudentissimus rex, qui non sine adversae factionis repugnantia in soceri thronum conscenderat, tali threnodia in viros fortissimos, quorum duo mortem pro aris et focis oppetierant, multam apud Israelitas gratiam erat initurus.

Miror quod aliquot doctissimi interpretes, inter quos Dathius, Gesenius, et Maurerus, vocem צְבִי v. 19 de *gazella* accipiunt quia solent poetae orientales virum propter pulcritudinem suam corporisque agilitatem cum caprea illa comparare. Hic autem de duobus viris sermo est, et illa agilitatis significatio infra invenitur, ubi Saulus et Jonathan aquilis assimilantur (v. 23). Praestat igitur illud *decus* et *gloriam* intelligere, quae de terra quavis praedicari potest (Jes. XIII, 19. Jer. III, 19), et quam cum militari laude praecipue conjunctam esse arbitramur.

In v. 21, ut difficilem ellipsin et dubiam etymologiam vitemus, Thenii conjecturam, Graeca versione *ὄρη θανάτου* innixam, amplector; nempe: שְׂדֵי וְהָרֵי מָוֶת pro וּשְׂדֵי תְרוּמוֹת. Haec vocis מָוֶת additamentum, definitionis ergo, ad stylum Davidicum unice referendum est; cf. Psalm. XVIII, 6. 2 Sam. XII, 5. Psalm. XXIII, 4. De verbis: מָגֵן שָׁאוּל בְּלִי מָשִׁיחַ בַּשָּׁמֶן varie disputant. Nam quum alii vocem מָשִׁיחַ de Saulo, ut rege, intelligant, ut sit »Sauli oleo non uncti;« i. e. »frustra oleo uncti,« alii clypeum ita designatum putant, quoniam clypeos, vel obducta clypeis coria, ungere solebant, ne siccitate fatiscerent, ictuque

gladii dissilirent (cf. Jes. XXI, 5); itaque Sauli clypeus quum abjectus esset, non, ut ante, solita unctione curabatur. Hanc sententiam veriorem judico, nam simili affectu Homerus de Achillis galea a Patrocli capite dejecta loquitur (Il. XVI, 794 sqq.):

ἡ δὲ κυλινδομένη καναχὴν ἔχε ποσσὶν ὑφ' ἵππων
αὐλῶπις τρυφάλεια· μιάνθησαν δὲ ἔθειραι
αἵματι καὶ κονίῃσι· πάρος γε μὲν οὐ θέμις ἦεν
ἱππόκομον πήληκα μιαίνεσθαι κονίῃσιν.

Ceterum observabis Saulum hic tanquam gravis armaturae militem induci cum clypeo et gladio, Jonathanum autem tanquam sagittarium; id quod alibi constat (cf. 1 Sam. XVII, 38. XXXI, 4. XX, 20). Similiter apud Homerum invenies consociatos bellatores hunc arcu, illum gladio instructum. Tales erant Ajax cum Teucro, Hector cum Paride comparatus, atque ita utrumque par nobile fratrum in tympano Aeginetico pugnantes inducuntur. Et C. O. Muellerus optime monuit (ad Pind. Isthm. V, 33, a Dissenio laudatus) Herculem *ψιλοῦ* partes egisse, Telamonem vero, perpetuum ejus comitem, *ὁπλίτου*. A crebro belli et pacis cum Philistaeis commercio iste apud Hebraeos proceres gravis armaturae usus Davidis temporibus, ut supra demonstravi, paullatim frequentatus est. De mulieribus victoriae spoliis ornatis (v. 24) vide quae adnotavi ad Deborae canticum v. 30. Digna est quae citetur elegantissima Lowthii paraphrasis versiculi 26 (de sacra poesi Hebraeorum p. 233):

Tu mihi tu aeterno flendus, Jonathane, dolore
Occidis, heu, misero frater adempte mihi.
Heu pietas, heu rara fides, et dulcia fesso
Alloquia, heu sanctae foedus amicitiae.
Quae mihi in adversis tulerat nova gaudia rebus,
Gaudia foemineus quae dare nescit amor.

In apophthegmatico epimetro Davides de Abnero indignabundus praedicat illum, non sua ipsius stultitia, sed quum ma-

nibus propulsare vel saltim pedibus effugere injuriam potuisset, fraude malorum occubuisse.

IN CANTICUM TERTIUM.

De hoc carmine, Davidis pietate, indole, ubertate refertissimo, cujus duo exstant exemplaria, unum in collectione Psalmorum (XVIII), alterum in secundo Samuelis libro (c. XXII), duplex oritur quaestio: quonam id tempore conscriptum sit? utrum exemplar ad autographum propius accedat?

Qui libros Samuelis, quales nunc habemus, edidit, is, quum hoc carmen sub finem Davidicae historiae inseruerit, existimavit proculdubio hanc divinae benevolentiae commemorationem non potuisse non a Davide sene conscribi, quum fere omnia vitae pericula Jehovae auxilio effugerat. Rem autem aliter se habere non uno argumento ostendam. Primum enim utriusque exemplaris titulus significat Davidem hoc carmen cecinisse, quum eum Jehova tam a ceteris ejus hostibus, quam in primis a Saulo liberasset. Mors igitur Sauli, et civilis dissensio, quae inde orta est, non tam longo ante tempore praeterlapsa erat, quum haec cantilena litteris mandaretur. Deinde vero, Davides non ausus esset profiteri (vv. 21—25) se Dei tutelam propter vitae innocentiam meritum esse, si jam antea Uriam Chittaeum dolo malo interficiendum curasset, dumtaxat quia rex ipse cum Bathsheba uxore ejus adulterium commisisset. Denique, verba, quibus praesens Dei auxilium commemoratur, vv. 7—16, ad amussim conveniunt cum pugna illa qua prope Baalprazim Philistaeos fugaverat, quam, ut supra vidimus, Jesaias ita cum Josuae victoria comparat, ut utrobique hostes grandine et fulminibus prostratos fuisse credendum sit. Quae quum ita sint, equidem non dubito hoc carmen ad id tempus referre, quod secundo Samuelis libro,

capite sexto, commemoratur, quum Davides formidolosos istos Philistaeos plus vice simplici dejecerat, quum arcam foederis Tsionem transferens Jehovam Cherubis insidentem invocavit (2 Sam. VI, 2. cf. Ps. XVIII, 11), quum tamen satis recens erat Sauli et seditionis istius memoria. Ad idem cum Philistaeis bellum, quod capite quinto describitur, refero pugnas illas cum eodem hoste, quae capite unetvicesimo narrantur, et crediderim compilatorem nostrum totam illam pericopen a c. XXI, 15 ad finem c. XXII alieno loco inseruisse, propterea quod ultimum illud Davidis canticum (c. XXIII) eodem fere loco tessellatum invenit. Ergo, ut Psalmus LX. ad Moabitarum, Idumaeorum, aliarumque gentium debellationem spectat (2 Sam. VIII), ita hic Psalmus ad periculosius illud cum Philistaeis certamen (c. V) proxime respicit.

Varietates, quae inter utrumque hujus cantici exemplar deprehenduntur, summa diligentia exhibuit Rosenmuellerus. Quae quum vel in vocibus aequipollentibus vel in litteris figura similibus inter se permutatis vel in earundem vocum formis dumtaxat diversis vel denique in uno alterove vocabulo aut versiculo sive addito sive omisso, sint positae, haud facile erit inde opinionem firmam de apographorum origine constituere. Id unum observatione dignum est, quod Psalmus XVIII, plerumque pleniorem, est ubi redundantem (vv. 13, 14) textum exhibet. Et quum iterata cujuspiam scriptionis repetitio ad praecidendam potius quam ad amplificandam orationem conducat, concludas pleniorem illam versionem, quae inter Psalmos invenitur, non toties transcriptam fuisse ut scribae fastidium atque impatientiam laboris pareret. Jam vero, ex rei ipsius natura liquet libros Samuelis non pervenisse ad nos quales principio confecti erant, sed scribam Masorethicum saepius iteratam editionem novis fortasse subsidiis auctam incude refingendam sumpsisse. Si igitur editio princeps istius libri Psalmum nostrum

narrationi insertum continebat, id quod verisimile est, fieri potest, ut ista varietas lectionis, dum liber Samuelicus in exemplaria plurima exscribebatur, sensim in textum irrepserit; Psalmorum autem editorem, qui suum exemplar aliunde derivabat, non fuisse ejusmodi decurtationibus obnoxium. Ut mihi quidem videtur, auctor vel editor libri Samuelici fuit ille Nathan, qui, ut verisimile est, librum Jasharanum compilavit. Is utique ex sua anthologia in historiam transcripsit quot sibi visum esset cantilenas. Idem, ut verisimile est, primam Psalmorum Davidicorum collectionem publici juris fecit. Et quum non omnia Jasharani libri carmina, quae ad Davidis tempora pertinerent, in Davidica historia inseruisset, quae ibi omisisset huc transtulit, quae autem ibi exscripsisset, hic omittenda putavit. De collectione et partitione Psalmorum multa sunt, quae in disceptationem vocari possint. Totius rei expediendae ratio simplicissima haec est. Quum ad finem Psalmi LXXII addatur haec significatio: כָּלּוּ תְּפִלּוֹת דָּוִד בֶּן-יִשָׁי, »explicit Psalterium Davidis filii Isaei,« rationi consentaneum est credere antiquissimam horum canticorum syllogen non amplius processisse. Deinde, quum nota distinctionis reperiatur post Psalmum XLI, quum primus ille Psalmorum liber duo contineat carmina, decimum quartum et quadragesimum, quae vel in toto vel partim in secundo libro repetuntur — scilicet Psalmis LIII et LXX, — certum est volumen carminum septuaginta duorum ex duabus et diversis collectionibus fuisse compactum. Jam vero altera voluminis pars eos complectitur Psalmos qui ad Davidis historiam quam proxime spectant — scilicet a Psalmo LI ad Psalmum LXXII. Prima facie igitur concludo, hos Psalmos ab eo collectos fuisse, qui primo librum Jasharanum, deinde historiam Davidicam edidit. Continet enim eos Psalmos, quos libro Jasharano referendos censeo, quos autem liber Samuelicus non agnoscit. His praefixit auctor ille decem Psalmos ad Solomonis tempora pertinentes, quos vel ipse vel alii, coaevi

homines, conscripserant. Alius scriba, aliquamdiu postea, quadraginta Psalmos, inter quos est Psalmus XVIII, variis fontibus derivatos, in unum corpus coacervavit, quibus, praefationis loco, Psalmum primum praefixit, quo significaret quantum intersit inter pium Dei cultorem, qui his Psalmis usurus esset, et homines fide vera destitutos. Et quum utraque Psalmorum collectio summa auctoritate vigeret, pii cujusdam regis, — Josaphati, Hiskiae, vel Josiae, — sacerdotes et prophetae nihil antiquius habebant, quam ut ambas anthologias in unum volumen conciliarent. Hinc profluxit primum Psalmorum syntagma, Davidis nomine insignitum. Cui postea tres aliae collectiones, in Psalmos LXXXIX, CVI, CL finientes, variis post exsilium temporibus adjectae sunt, donec illud hymnorum corpus conflatum esset, quo pii omnes etiam post Christi adventum uterentur.

Ut videas quemadmodum haec conjectura, scilicet eundem prophetam, Nathanem dico, qui Jasharanum librum consuit, edidisse etiam Davidicam historiam, et vetustissimam Psalmorum collectionem, in tertio autem opusculo adhibuisse ea Jasharani libri carmina ad suum tempus spectantia, quae in secundo omisisset, ut videas, inquam, quemadmodum haec conjectura omnia explicet, quae aliter inexplicabilia essent, trium librorum brevem conspectum subjiciam:

(a) *Liber Jasharanus.*

(I) 1 Sam. II, 1—10. (II) 2 Sam. I, 19—27; III, 33, 34. (III) 2 Sam. XXII. (IV) Ps. LX. (V) 2 Sam. XXIII. (VI) Ps. XLV. (VII) Ps. LXVIII.

(b) *Historia Davidica.*

(I) (II) (III) (V)

(c) *Vetustissima Psalmorum Collectio.*

(IV) (VI) (VII)

Neque aliter intelligere possumus quamobrem Canticum illud, ut vocatur, Hannae, et carmen, quod ultima Davidis verba

continet, quorum utrumque Davidis stylum atque indolem quam maxime spirat, a Psalmis illis, qui Davidis nomine circumferuntur, ab initio exsularent. Quod ad novissima Davidis verba attinet, observandum est, pristinam illam Psalmorum collectionem in Psalmum LXXII desinere, qui quum ejusdem fere argumenti sit, facilius poterat iste editor breviore cantilena carere. Atque ita omnia se invicem confirmant, et simplicissima hac ratione tum pristinam Jasharani libri formam, ad septimam partem quod attinet, tum compositionem Psalmorum sua luce illustrare possumus.

In hoc carmine septem sunt partitiones, vel strophae. In prima (vv. 2 — 4) Jehovam opitulatorem celebrat Davides. In secunda (vv. 5 — 7) describit, quantis in angustiis Deum invocaverit. In tertia (vv. 8—16) sublimi oratione depingit quanta elementorum rabie Jehova Philistaeos apud Baalprazim dissipasset. In quarta (vv. 17 — 30) liberationem illam pietati suae attribuit. In quinta (vv. 31 — 37) ad Dei laudes et robur sibi concessum redit. In sexta (vv. 38—46) miseram hostium suorum sortem proclamat. In septima (vv. 47 — 51) Jehovam tanquam suarum rerum columen magnifica praedicatione extollit.

Non opus est, ut tua tempora longa singulorum verborum interpretatione morer. Qui tales disceptationes desideret, is Rosenmüllerum vel Maurerum adeat. Versio Latina ostendet, quos interpretes secutus sim, et quem sensum cuique loco tribuam. Sed locutio illa singularis (v. 5) נַחֲלֵי בְלִיַּעַל aliquam illustrationem etiamdum efflagitat, praesertim quum verba ultima Davidis similem difficultatem pariant (2 Sam. XXIII, 6). Quidquid de vocabulo בְּלִיַּעַל statueris, quum id summa cum vi a Davide adhibeatur, certum est eandem esse vocis ejusdem utrobique significationem, ut falsus sit Gesenius, qui hic *perniciem*, sed in Job. XXXIV, 18. Nah. II, 1. et loco Samuelis *hominem exitium parantem*, intelligat. Interpretes et lexicographi omnes

docent vocem בְּלִיַּעַל compositam esse ex בְּלִי *non, sine,* et יַעַל *commodum,* et nuperrimus Nahumi interpres, Otto Strauss, confidenter affirmat (p. 36): »בְּלִיַּעַל, cujus varias notationes congessit Dan. Henrici (Nahumus Pacificus ad h. l.) plane nostrum est *Nichtsnutzigkeit,* cf. Deut. XIII, 14; XV, 19, unius ingenii specie comprehensa 2 Sam. XXIII, 6. Job. XXIV, 18.« Sed Jasharani nostri loci aperte declarant hanc vocem non *negativam,* sed *positivam, activam,* et *absolutam* nequitiam significare. Hic enim Davides *Belialem* cum *morte* comparat; nam loquitur de fluctibus quibusdam qui ipsum obruissent; similiter Aeschylus (Pers. 425): *κακῶν δὴ πέλαγος ἔρρωγεν μέγα,* et (Prom. 1017): *οἷός σε χειμὼν καὶ κακῶν τρικυμία ἔπεισ' ἄφυκτος.* Et in novissimis Davidis verbis *Belial* collective describitur, ut quod ex multis partibus constans uno tamen nisu in flammas sit conjiciendum spinarum instar, quas nemo voluerit separatim ex strue evellere, sed potius furca aliqua vel praeacuta sude comminus aggrediens ad unam omnes in ignem detrudet. Praeterea si illos locos inspicies, in quibus praefixam vocem בֶּן־, דָּבָר, אִישׁ, vel simile quid definit hoc vocabulum, ubique invenies non negativae vel passivae nequitiae notionem, sed consummatae vitiositatis et turpitudinis significationem. Quae quum ita sint, equidem propensior sum ad illam interpretationem quem in commentario ad primam partem (p. 47) proposui, nempe, בְּלִיַּעַל esse vocem peregrinae originis, quae typo quodam et prosopopoeia describit mundanam, praesertim idololatrarum, nequitiam, atque ita omnia in se continet, quae mundum paganum a Christianismo, quae ethnicas nationes a populo Jasharano, quae obscoenam Baal-Peoris relligionem a vero Jehovae cultu, quae denique impios hostes, qui adversus Jehovam et unctum suum conspirant (Ps. II, 2), a Davide et filio illo Davidis, Jesu Christo, distinguunt ac discernunt. Ergo *Bel-ial* est *Bel* (בֵּל) vel *dominus qui supra regnat* (הַ־עַל), *ὁ κοσμοκράτωρ τοῦ*

σκότους τούτου, *τὸ πνευματικὸν τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις* (Eph. VI, 12), et quum is nullam habeat, ut scholastici aiunt, *concretam substantiam* et *exsistentiam*, sed vivat et vigeat potentialiter in hominibus nequam, flagitiosis et scelestis, locutio illa per se collectiva est, et vel sine praefixo בְּנֵי pro nomine numeri haberi potest, ut docet appositio vocis כֻּלָּהֶם pro כֻּלָּם in altero loco (2 Sam. XXIII, 6).

Notabis versum 30 scriptori Gen. XLIX, vv. 6, 19 duplicem imitandi materiem praebuisse. Idem versus, ut et versus 38, ad Davidis historiam spectare potest; cf. 1 Sam. XXX, 8: »Davides interrogavit Jehovam num si *turmam* illam (הַגְּדוּד) *persequeretur*, id sit *assecuturus?* et responsum tulit: si hostes persequeretur, non solum eos assecuturum esse, sed etiam omnia recuperaturum.« Alia Jasharanae imitationis vestigia supra deprehendimus in cantico Mosis, quod vv. 31, 34, 45 presse sequitur (Deut. XXXIII, 29). Quinetiam spiritum ipsum libri Jasharani in eo agnoseas licet, quod Davides Jehovae tutelam et faustitatem suam inde derivatam probitati et relligioni, quam servasset, unice tribuendam censet (vv. 20 sqq.).

IN CANTICUM QUARTUM.

Titulus hujus cantici in antiquissima collectione (Ps. LX) [1]) prae se fert id esse carmen didacticum a Davide scriptum postquam pugnasset cum Mesopotamiis et Syris Sobaeis, Joabus vero reversus in valle salis duodecim millia Edomitarum occidisset. Vera esse quae in isto titulo traduntur, vix operae pretium fuisset ostendere, nisi tot interpretes in alia omnia abiis-

[1]) Partim iteratur hoc carmen in ultima collectione (Psalm. CVIII), ubi »Psalmus Davidis« appellatur.

sent. Nam Dathius ad tempora persecutionum Saulicarum Psalmum spectare censet. Maurerus eum in exsilio vel statim ante exsilium scriptum arbitratur. Et nobis auctor est C. L. W. Grimm, nuperrimus libri Maccabaici editor (kurzgef. exeget. Handb. z. d. Apocryph. III. Lief. 1853. p. XXVII), Hitzigium in commentario suo ad Psalmos illam opinionem recoxisse, quae hunc Psalmum ad Seleucidarum aetatem reducit. Falsos esse istos, verissimam autem esse tituli nostri traditionem, haud difficile erit demonstrare. In primis autem quaerendum est, quaenam sit ea historia quae in titulo significatur. Liquet igitur res gestas eas esse, quae in 2 Sam. VIII, 1 Paralip. XVIII, commemorantur. Scilicet, ut Michaelis ait, sic res gesta erat: quo tempore in Arabia, et ad Euphratem cum Damascenis et Nesibenis Davides pugnabat, ipsam a tergo Judaeam invaserunt Idumaei, Hierosolymae imminentes, quam magno metu adflarunt. Ingens tumultus ortus est ex hac inimicorum conjuratione, quam Davides Ps. II. aperte describit. Hinc sollicitum et tremebundum Psalmi nostri prooemium. Sed dum Davides hostes sibi ipsi oppositos ingenti clade profligabat, pars exercitus, Joabo duce secundum hunc Psalmi titulum, sed, si Paralipomenis (1, XVIII, 12) fidem facis, Abisaeo fratre ejus imperante, in Palaestinam reverti jussa, Idumaeos, quum vix unius diei vel bidui itinere Hierosolyma abessent, tanta clade affecit, ut totius gentis servitus consequeretur. Vides igitur hanc historiam optime quadrare in apertas hujus Psalmi declarationes. Significat enim Davides (v. 10) se Philistaeos jam antea devicisse, quod ad 2 Sam. c. V pertinere jam antea vidimus; se autem Moabitas et Idumaeos pro servis habere posse. At in libro historico (vv. 12, 13) Moabitae, Philistaei, Idumaei una enumerantur. Et v. 11 haud obscure innuit montanam Idumaeae regionem castellis munitam et tributis obnoxiam (2 Sam. VIII, 14). Atque haec omnia post summam anxietatem et imminens periculum conti-

gisse, non nisi Jehova adjuvante, profitetur relligiosus Psalmi nostri scriptor. Quid quaeris? haec sunt, si quae sunt, coaevae commentationis indicia. Vetustissimum autem hoc carmen esse eo comprobatur, quod in secunda, hoc est, antiquissima Psalmorum Davidicorum sectione, cum iis hymnis qui ad Davidis historiam proxime spectant, pristinam sedem retinet. Huc accedat crebra illa hujus scriptionis in Jasharanis cantilenis imitatio. Nam postquam Davides significasset, se regem factum esse Sichemae, Gileaditidis, Manassaeitidis, scilicet earum cis et trans Jordanum regionum, ubi Abnerus Ishboshethum constituere voluisset (2 Sam. II, 8, 9), addit Ephraimum esse robur capitis sui, Judaeam autem *sceptrum* (מְחֹקֵק) sibi tradidisse (vv. 8, 9). Ubi quis non animadvertit auctorem benedictionis Jacobeae (Gen. XLIX, 10, 26) fere ad verba ipsa nostrum carmen secutum esse? Deinde ipsa locutio docet, auctorem vaticinationis Bileami, quum de hac ipsa Idumaeorum, Moabitarum, aliorumque hostium tumultuosorum debellatione mentionem faceret, hunc ipsum Psalmum (vv. 11, 14) ante oculos habuisse (vide Num. XXIV, 17, 18). Ita omni ex parte apparere debet hunc Psalmum Davidis esse, et ad eam Davidis victoriam spectare quae in titulo significatur. Jasharana ejus indoles ubicunque conspicua est, et si Davides auctor erat, Davidem hanc scriptionem a populo suo decantatam voluisse per se satis liquet.

In verbis hujus cantici non multa sunt, quae interpretem desiderent, philologo saltim, qualem te fingo, lector. *Sichem* (v. 8) erat urbs in montana Ephraimitidis regione, *Succoth* autem oppidum Gaditarum trans Jordanum in Gileaditide situm. Quod ait rex se devictis Moabitis tanquam *labro eluacro* vel *pelluvio* usurum profitetur, interpretes obliti sunt in rei illustrationem afferre locum Herodoti (II, 172), ubi vilis talis vasculi usus significatur: Amasis enim ut Aegyptios ludibrio haberet statuam Dei faciendam curavit *ἐκ ποδανιπτῆρος χρυσέου, ἐς*

τὸν πρότερον τοὺς Αἰγυπτίους ἐνεμεῖν τε καὶ ἐνουρέειν καὶ πόδας ἐναπονίζεσθαι. Davides igitur significat Moabitas sibi pro vilissimis mancipiis servire. Eodem modo declarat se pedem suum cervicibus Idumaeorum imposuisse, scilicet quemadmodum Darius in monumento illo apud Bagistanen victos reges conculcans inducitur (cf. Jos. X, 24). Quod de Philistaeis significatur, id optime illustrat locus Psalmi CVIII, 10, ab hoc Psalmo imitatione expressus: עֲלֵי פְלֶשֶׁת אֶתְרוֹעָע, »super Philistaeis triumphum cano.« Et quum iste Psalmus ex duobus hymnis LVII et LX compositus sit, quorum prior si quis alius vere est Davidicus, illud quoque argumento esse oportet, Psalmum sexagesimum ad Davidis tempora pertinere.

IN CANTICUM QUINTUM.

Qui nuperrime in brevem hanc cantilenam commentationes ediderunt, J. G. Vaihinger (Theolog. Studien u. Kritiken 1843 pp. 983 sqq.) et Otto Thenius (kurzgef. Handbuch 1842), ii non multum contulerunt ad amovendam vv. 3, 4 difficultatem. Quum enim ille divinam promissionem versu tertio absolutam esse censeat, hic post Clericum aliosque participium מוֹשֵׁל in protasi, versum quartum autem in apodosi positum intelligat, equidem nullus dubito quin particula וְ in versus quarti initio copulativa sit, et promissionem divinam usque ad finem versus quarti decurrere putaverim. Id quod in versione exhibui. Maurerus, qui hanc sententiam amplecti videtur, bene observat וְ indicare *et quidem;* particulam autem comparandi כְּ repetendam esse, ut ante יִזְרַח et בֹּקֶר לֹא עָבוֹת, ita etiam ante מִנֹּגַהּ. Hanc promissionem autem ad venturum Messiam spectare non est quod dubitemus. Monet enim Dathius Solomonem non potuisse מוֹשֵׁל בָּאָדָם dici, quoniam אָדָם absolute positum totum genus humanum notet, non

populum aliquem in specie; qui tamen h. l. esset intelligendus, si ad Solomonem, regem Israelitarum, auctor spectasset. Ergo Davidem de Messia sibi promisso, quamcunque de eo cognitionem habuerit, non de suo ipsius filio et herede locutum esse. Facile est intellectu regem senio confectum, quum mortem sibi appropinquare videret, et ad vitae suae decursum respiceret, multa recordaturum, quae minus bene, immo flagitiose fecisset. Quum igitur esset homo summa pietate, indole vere Jasharana et, ad relligionem quod attinet, divino spiritu afflatus, non potuit non perspicere illam faustitatem, quam antea (in Psalmo XVIII) tanquam cum sua probitate conjunctam praedicasset, quam autem Deus Jasharano populo promisisset, aut uni aut nemini deberi; ei scilicet quem Deus peccati immunitate donaret. Praevidit igitur venturum aliquando verum Melchitzedequum vel *Justitiae Regem,* qui velut sol recreans oriturus esset, qui intaminata luce fulgeret dispellens nubila pravitatis, cujus radii sanitatem hominibus afferrent (Mal. III, 20), cujus auspiciis homo iterum יָשָׁר fieret, qui carnalem humanae naturae nequitiam quasi igne aurifabri combureret, quasi sapone fullonum elueret et eliquaret (Mal. III, 3. Jes. I, 25, 28, 31), qui quum justos ac pios homines ad immortalem vitam conduceret, impios autem et carnales tanquam scabellum pedum suorum conculcaret (Ps. CX, 1. Mal. III, 21), qui quum far utile in horreum congregaret, paleas, zizanias, et spinas igni inextinguibili combureret (Matth. III, 12).

IN CANTICUM SEXTUM.

Veram fuisse Rudingeri, Grotii, aliorumque sententiam, quam Michaelis, Dathius, Rosenmuellerus repudiant, esse hoc carmen nuptiale sive epithalamium, quod Solomonis cum regis Aegypti filia, uxore ejus praecipua, nuptias canat (1 Reg. III, 1), argu-

mentis, quae aliam qualemcunque hypothesin evertant, demonstrare conabor. In primis igitur certissimum videtur hunc Psalmum destinatum esse ad cujusdam regis nuptias celebrandas. Ipse titulus declarat hoc esse *canticum amorum* (שִׁיר יְדִידֹת); et quum vates regiam sponsam hortetur (v. 11), ut populi patriaeque domus obliviscatur, vix illud alio tempore fecisset quam quum jam recens in peregrinum palatium ingressa esset, scilicet quum solemni pompa duceretur in regiam mariti. Ut Maurerus ait: »infirmissima sunt argumenta, quibus nonnulli impugnare student sententiam eorum, qui pro epithalamio hoc carmen habent. Reginam nonnisi obiter et tanquam per degressionem a proposito commemorari dicunt. Quasi vero quae in duodeviginti versuum carmine per septem integros versus laudatur sponsa, non sit satis laudata! Quod paullo pluribus verbis commoratur vates in laudando rege, causa est quod primas partes agit rex.« Et ad vocem שֵׁגָל idem bene monet: »quasi vero quae uxor destinata est« — et jam nupta — »non possit dici uxor!« Sed dixerit fortasse quispiam, esto, ut regis nuptiae hic sint celebratae; at non sequitur Solomonem fuisse istum regem. Tu vero considera, num alius fuerit Israelitarum rex, praeter Solomonem, cui omnia in hoc cantico dicta ex amussim conveniant. Quum enim regis filia hic tanquam nova nupta inducatur (v. 14), aliae autem regum filiae inter regis pellices numerentur (v. 10), quaerendus est aliquis Israelitarum rex, in quem haec quadrent, scilicet, qui regis filiam praecipuae uxoris loco haberet, alias quoque regiae stirpis concubinas teneret. Jam vero Solomonem non nisi unam reginam habuisse, eamque Pharaonis filiam, cui peculiarem aedem exstruxit (1 Reg. VII, 8. IX, 24); habuisse autem septingentas mulieres *principes* et trecentas pellices (1 Reg. XI, 3), id in libris historicis diserte traditur. Neque alius est Israelitarum rex, de quo eadem haec praedicari possent. Nam, ut Rosenmuellerus ait, Davides praeter

Michalem, Sauli, et Maacham, Gesuritarum regis filiam (2 Sam. III, 3), nullas habuit conjuges regio satas sanguine, nullamque inter has, quae tanto prae ceteris splendore eminuisset quantum de una illa, eaque insigniter distincta regina Psaltes praedicat. Multa prohibent ne quis idcirco de Achabo cogitet, quia Isabelam Ethbaalis regis Sidoniorum filiam uxorem duxerit (1 Reg. XVI, 31) et domum sibi eburneam aedificaverit (1 Reg. XXII, 39). Neque enim alias habuit regiae stirpis conjuges, neque ea erat regni Israelitici a Judaeis separati conditio, ut speraret filios habere, quos regionibus tanquam principes praeficeret (v. 17). Et quis sanus putaverit, Psalmum in honorem regis, qui omnes antecessores suos impietate in Jehovam superavit (1 Reg. XVI, 30), et reginae, quae Jehovae prophetas voluit excindere (1 Reg. XVIII, 4), in eam anthologiam relatum fuisse, quo pii Jehovicolae uterentur? Ad domum eburneam quod attinet, ne quis obliviscatur Solomonem fecisse solium eburneum magnum, quod auro optimo obduxit (1 Reg. X, 18), et mirum fore, ni aliqua in palatio suo conclavia opere chryselephantino elaborata haberet, quae descriptioni nostrae (v. 9) occasionem darent. Quod hic de Sabaeis odoribus et de auro Ophiritico significatur (vv. 9, 10), nulli regi melius convenit quam Solomoni, qui magnam talium rerum copiam (1 Reg. X, 11, 22) navibus Hirami importavit. Solomonem quoque sperare potuisse, se filios suos provinciis praefecturum (v. 17), patet ex illa principum sive satraparum enumeratione (1 Reg. IV). Nec valet illud quod objiciunt, Solomonem pacificum fuisse, et nulla gessisse bella; non mereri igitur bellicam laudem, quae hic novae nuptae marito tribuitur. Neque enim melius vates ullum regem laudavisset quam praedicando, ut hic fecit, fortitudinem cum pulchritudine, eloquentia, et justitia conjunctam. Nulla bella gessit Solomo dumtaxat propterea quod recumbens esset leo, quem nemo lacessere auderet (Gen. XLIX, 9). At socer ipsius, Pharao, Geseram bello ceperat et combusserat,

occisis ejus incolis Canaanitis, idque filiae suae, Solomonis uxori, dotis loco dederat (1 Reg. IX, 16), et Solomo ipse relliquias paganorum durissimo servitio sollicitos habebat (ibid. v. 21). Praeterea quum minime dubitaret inimicos suos morte multare (1 Reg. II, 25, 34, 46), et satellites haberet, qui jussa ejus quovis pretio exsequerentur, ut Benaiam illum, qui Joabum vel in sacrario occidit, non video cur quis versus 5, 6 non optime cum Solomonis regno congruere arbitraretur. In ceteris autem en tibi effigiem ad Solomonis exemplum vividis coloribus expressam. »Pulcherrimus hominum« est noster rex v. 3; et quis negat venusti Davidis et pulchrae Bathshebae filium ipsum quoque formosum fuisse? »Summa gratia et oris suavitate« praeditus est sponsus cantici nostri; et quis sapientia et eloquentia superabat Solomonem, qui tria millia sententiarum, carminum quinque millia composuit, ad quem audiendum missi sunt exterorum regum legati? (1 Reg. XIV, 29 sqq.). »Amat justitiam« is, qui hic celebratur; et quis nescit Solomonem sapientia plane divina in jure dicendo eminuisse? (1 Reg. III, 28). Quod significat vates noster »*Tyrum* (ita enim locutionem בַּת צֹר, »filiam Tyri,« intelligo; cf. 2 Reg. XIX, 21) cum donis venturam,« id in tempora Solomonis optime quadrare agnoscent omnes, qui sciunt quanta commercii societas tunc intercederet inter Solomonem et Hiramum, et eodem refero רְקָמוֹת illas sive *vestes phrygionicas* (v. 15), quas mulieres Tyriae acu pingere solebant (vide supra ad canticum Deborae v. 30). Quibus omnibus argumentis si adjeceris, id quod supra demonstravi, hoc carmen in secunda parte, i. e. in vetustissima collectione, Psalmorum, locum obtinere, concedes, opinor, nos ante oculos habere epithalamium illud, quo Nathanus, vel alius quis vates aulicus, regis jussu, nuptias Solomonis et filiae Pharaonis, nuptias unde tantum bonae frugi sibi pollicitus est Israelitarum rex, tanquam partem eximiam Jasharanae faustitatis relligioso cantu concelebrare aggrediebatur.

Jasharana hujus carminis indoles in versibus 7, 8 praecipue eminet; ubi quum Chorus Deo acclamasset:

Thronus tuus, o Deus, aeternus est,
Sceptrum *probitatis* (מִישֹׁר) est sceptrum regni tui.

Praefectus illico succinit, ad regem conversus,

Amas justitiam, et nequitiam odisti;
Quocirca unxit te Deus, Deus tuus,
Oleo laetitiae prae sociis tuis.

Veram loci interpretationem eam esse, quam dedi, ostendunt aliae ejusdem rei significationes — nempe, Deum *probos* homines tutela sua fovere, propterea quod ipse *probitatis* (יָשָׁר) sceptrum gerat. Ita in Mosis cantico jam supra legimus (Deut. XXXII, 4):

Deus fidelis est et sine iniquitate
Justus et *probus* est Ille.

Et in Psalm. XCII, 16:

Ostendere Jehovam esse *probum*.

Similiter Jesaias (XXVI, 7):

Via *justo* est *rectissima*
(ad litt. *rectitudines* vel *probitates*, מֵישָׁרִים).
Tu, o *probe* (יָשָׁר), orbitam justi dirigis.

Ut bene monent Dathius, et post eum Gesenius ad locum Jesaiae, Propheta non loquitur de viis ipsius justi, i. e. de vita ejus et morum probitate, sed de felicitate viri probi et justi, de eo quod Deus probus pro piis ac justis efficiat, de summa Dei probitate in omnibus quae piis eveniant. Scilicet, ut supra saepius significavi, ipsa libri Jasharani ratio ex eo emanavit, quod voces אָשַׁר et יָשָׁר in unam notionem confluunt. Ambae voces *ad regionem viarum* spectare possunt, ut bene innuerit Gesenius (Jes. p. 794): »dieses Bild ist selbst in die Sprache übergegangen; denn אִשֵּׁר ist *geradernachen* und *beglücken,* und יָשַׁר, *gerade seyn,* entspricht dem arab. يسر *glücklich seyn,* vergl. auch

דֶּרֶךְ יְשָׁרָה, *eine glückliche Reise,* Esra VIII, 21.« Alibi ostendi (Varronianus, edit. altera, p. 76) ipsam vocem דֶּרֶךְ ad hanc notionem quam proxime accedere. Nam, ut in Sclavonico *doroga,* radix est *rek* vel *reg,* quae item in verbis *τ-ρέχ-ω, ἔ-ρχ-ομαι, ὀ-ρέγ-ω, por-rig-o, per-go* eandem vim exercet. Quantopere eadem translatio in radicis יָשַׁר usu valeat, satis liquet ex his locis; Proverb. III, 6:

> Eum (Jehovam) in omnibus tuis actionibus agnosce,
> Et is tua *diriget* (יְיַשֵּׁר) itinera.

Prov. XI, 5:

> Justitia integri viam ejus *planam reddit* (תְּיַשֵּׁר).

Psalm. XXV, 8:

> Bonus et *probus* (יָשָׁר) est Jehova;
> Quapropter monstrat peccatoribus *viam* suam[1]).

Ex intima societate, quam pii Israelitae intercedere arbitrabantur inter probitatem Dei et mundanam hominum proborum felicitatem, quam quidem societatem mirus ille *Jobi* liber vindicare conatur, Solomonis aequales non dubitabant derivare summam regis sui prosperitatem, et fortasse rebantur auream illam aetatem reducem esse, et homines iterum fieri, quod initio facti essent, et *probi,* et *felices.* Haec est loci, de quo agimus, significatio. Et si nulla alia causa esset, quare hoc epithalamium Jasharano libro inclusum vellem, non possem praeterire tam apertam cogitationis primariae significationem, quam in isto libro regnare autumo. Vatem autem hoc loco regem potuisse *Deum* אֱלֹהִים appellare, quae est Rosenmülleri opinio, equidem non credo; nec Gesenio assentior qui ad Jes. IX, 5, 6 hunc locum sic interpretatur: »solium tuum Dei sive divinum«, i. e. in quo te Deus constituit, »perpetuum erit« *(dein Gottesthron steht immer und ewig)*, comparans Levit. XXVI, 42. Omnis

---

[1]) Hac significatione opponuntur מִישׁוֹר et עָקֹב (Jes. XL, 4).

enim difficultas ultro elabitur, si versum septimum Choro assignas, et sententia, ut vides, prodit simplicissima.

Jam vero occupavi fere omnia quae de interpretatione hujus cantici dicenda erant; nec quidquam restat, nisi ut moneam vocem פְּנִימָה v. 14 intelligendam esse de interiore palatii conclavi, quod mulierum usui destinatum erat (cf. 1 Reg. VI, 18. 2 Reg. VII, 11). Eodem modo Graeca regina, quum in conclavi suo Deos veneratur, illud in *μυχῷ* patrare dicitur (Aeschyl. Agam. 96: *πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ*); et regis filia summae esse contumeliae ducit, quod *μυχοῦ ἄφερκτος* esset *πολυσίνου κυνὸς δίκην* (Id. Choeph. 440). Cf. etiam Hesiod. Op. et D. 519 sqq. ubi de delicata opulentae mulieris filiola sermo est.

In ultimo versu ut in septimo non regem sed Jehovam praedicari docet ipse contextus.

IN CANTICUM SEPTIMUM.

Demonstraturus sublime hoc carmen ideo conscriptum et cantatum esse, ut Solomonei templi consecrationem, Jasharanae felicitatis culmen et fastigium, comitaretur, ab ipso cantici initio primum argumentum deducam. Omnes enim observarunt exordium carminis iis ipsis verbis constare, quibus Moses uti consueverat, quoties Arca foederis ex uno loco in alium transferenda esset (Num. X, 35). Unde concludas necesse est canticum nostrum ad aliquam sacrae illius cistae translationem spectare, nec primo obtutu rejicere posses complurium interpretum conjecturam, hoc carmen esse a Davide compositum ex occasione illius solemnitatis, qua arca foederis ex aedibus Obededomi in arcem Tsioniticam ad locum ei paratum transferretur (2 Sam. VI, 12 sqq. 1 Chron. XV), praesertim quum cantici titulus Davidem tanquam scriptorem alleget. Sed ne dicam illam Davidici

nominis adscriptionem non nimis urgendam esse, quandoquidem multa sint carmina ejus nomine insignita quae tamen non ante exsilium scribi possent, deest hic Davidici styli character, et multa, ut videbimus, insunt Solomoneae aetatis indicia. Praeterea, ut antea significavi, patet ex 2 Sam. VI, 2, cum Psalmo XVIII, 11 comparato, tertium hujus Partis canticum ad illud tempus pertinere.

Secundum argumentum ex eo deduco, quod hoc canticum veteris epinicii vestigiis insistat atque inhaereat. Nam, ut antea innui, plures hujus cantilenae loci ex Deborae ovatione desumpti sunt (cf. vv. 8 sqq. cum Jud. V, 4 sqq.; vv. 13 sq. cum Jud. V, 19; v. 19 cum Jud. V, 12; v. 28 cum Jud. V, 14; v. 33 cum Jud. V, 3). Jam vero satis patet Psalmum CXXXVI, qui in fundatione secundi templi decantabatur, similiter esse ex antiquioribus epiniciis compositum. Unde contendo, similem materiam in primi templi consecrationem fuisse conquisitam. Nam homines sua natura ad antiquas vias imitandi studio recurrunt. Et quod in secundo templo dedicando factum est, argumento esse debet, simile quid de primi templi consecratione traditum esse.

Tertium argumentum, idque validissimum, ex versu 30 derivo: »propter templum tuum super Hierosolymam offerent tibi reges munera.« Nam ubi notamus עַל dici non בְּ, quia templum in loco edito, scil. monte Moria exstructum erat, ut taceam nullum fuisse apud Hierosolymam הֵיכָל sive *templum*, ante hanc a Solomone exstructam aedem, nonne hic locus aperte spectat ad illam Hirami regis munificentiam, quum Solomoni, illud templum aedificaturo, materiam dedit cedrinam et abietinam, quantum volebat? (1 Reg. V, 10) et praeterea centum et viginti auri talenta donavit? (1 Reg. IX, 14).

Quartum mihi argumentum praebet versus 32: »venient magnates ex Aegypto; properabit Aethiopia palmis supinis ado-

rare Deum.« Nam quo tandem tempore illam cum Aegyptiis et Aethiopibus societatem invocare potuit rex Israeliticus, nisi sub initium regni Solomonei, quum Pharaonis filia tanta cum pompa, tanta cum spe, in palatium Hierosolymitanum nova nupta ingressa esset? Re bene perspecta, quivis agnoscet Aegyptios, tam ante quam post primos Solomonis annos, minime in eo fuisse ut in participationem Judaicae relligionis invitarentur. Antea enim Israelitis perpetuo ob oculos versabatur servitutis Pharaonicae memoria; et postea, dum Solomo in senectute sua a Jehovae cultu desciscebat, Shishakus, rex Aegypti, implacabiles regni Israelitici hostes, Hadadum, Edomitam, et Jerobeamum, Nebati filium, hospitio sustentabat (1 Reg. XI, 18, 40); et tantum abfuit ut Aegyptii ad Jehovae cultum propius accederent, ut contra Jerobeamus ille aureum tauri *Mneuis* simulacrum Bethele et Dane positum Israelitarum venerationi commendaret (1 Reg. XII, 28, 30, 32, 2 Reg. X, 29; cf. Lepsius, Chronologie der Aegypter, p. 326). Sed inter infensam Aegyptiacae servitutis memoriam et venientem Bethelicae idololatriae abominationem, scilicet dum Solomonis potestas intaminata luce fulgebat, dum Pharaonis filia summo splendore Hierosolymis degebat, dum socer genero devictas Canaanitarum urbes dono dabat, aliique reges ex partibus infidelium amicum erga populum Jasharanum animi affectum ostentabant, non absurdi erat ingenii sperare »magnates ex Aegypto venturos,« qui supplices ad Jehovam palmas tenderent.

Quintum argumentum, quod, ut mihi quidem videtur, indubiam temporis notam ministrat, latet in versu 28. Ibi enim poeta noster ita Deborae canticum imitatur, ut tamen tribuum nomina suo proposito convenientia eligat. Jam vero fieri non potest ut septentrionales tribus Zebulonem et Naphthalin in solemni aedis sacrae dedicatione tanquam praesentes repraesentaverit, nisi eo tempore quo scripsit tota Israelitarum gens unius

regis imperio subdita erat. Et quid est, cur parvulam Benjaminitarum tribum, tanquam dominantem inter fratres suos, primam induxerit; deinde vero numerosam Judae sobolem? Nonne cuivis apparere debet, illud propterea accidisse, quia nullus fuisset Israelitarum rex, nisi ex his duabus tribubus, eo tempore, quo Solomo templum suum dedicabat? Atque ita quoque explanatum habes ordinem, quo regiae tribus nominantur. Nam Saulus fuit Benjaminita, Davides vero, cujus filius Solomo tunc regnabat, inter Judaeos censebatur. Sed posteaquam Jerobeamus Ephraimita seditiosam decem tribuum disjunctionem patrasset, nemo tribus Israeliticas hoc ordine posuisset. Quum ex libro 1 Paralip. XV, 3 constet omnes Israelitas Hierosolymam convocatos esse ad transferendam Jehovae arcam in templum Tsioniticum, quaeret fortasse aliquis quare vates noster nonnisi quattuor tribus commemoret, quae laetitiae illi publicae interessent. Ut Schnurrèrus bene monet, historici fuisset, non poetae, omnes tribus longo ordine recensere. Idem autem rem acu non tetigit, quum *Benjamin* et *Judam* ideo selectas fuisse putat, quia in proximo habitarent, *Zebulonem* autem et *Naphthalin,* quia longissime abessent a loco solemnitatis. *Asher* enim paullo longius abest quam *Naphthali* et *Zebulon;* et si propinquitas spectabatur, *Juda* debebat primam sedem obtinere. Causa selectionis, ni fallor, in eo quaerenda est, quod in Deborae ovatione, quam aperte imitatur poeta noster, Zebulon et Naphthali longiorem illum tribuum ordinem claudunt (vv. 15, 18). Has igitur, omissis ceteris, regiis tribubus subjecit.

Hac argumentatione mihi quidem probatur canticum nostrum nullo alio tempore conscribi potuisse quam sub initium regni Solomonei, nullam aliam ob causam, quam ut dedicationi sacrae aedis serviret. Quae si ita se habent, et si de ratione libri Jasharani vere disserui, certum est hunc Psalmum ab ista collectione non exsulasse. Nam si gens Jasharana tum demum ad

absolutam et consummatam tranquillitatem sibi videbatur pervenisse, quum arca foederis, incertis fluctibus antea jactata, in rupe Tsionitica conquievit, Jasharanus ille editor opus suum non potuit ad umbilicum adducere, nisi corona hac monumento suo imposita. Verum enim vero me demonstrare posse arbitror canticum nostrum non modo Jasharani corporis membrum fuisse, sed, id quod prima facie exspectes, ultimum istius anthologiae poema. Nam, ut antea significavi, Psalmorum volumen in quinque partes sive libros distributum est, ita ut primus liber carmine XLI., secundus LXXII., tertius LXXXIX., quartus CVI., quintus CL. finiatur. Haec partitio, quam Hieronymus non ignorabat (Epist. CXXXIV *ad Sophronium;* CXXXIX. *ad Cyprianum*), in textu Masorethico doxologia quadam in unaquaque divisione notatur. Ita, in fine Psalmi XLI., legimus: »*Laudetur Jehova,* Deus Israelis, ab aeternitate in aeternitatem. Amen, Amen.« Et similis doxologia additur in fine sequentium librorum, nempe Psalm. LXXII, LXXXIX, CVI. Quum autem hi libri per se ipsos singulas collectiones conficerent, credendum est hanc formulam inde derivatam esse, quod prima relligiosorum carminum collectio consimili locutione desineret. Jam vero, ut supra ostendi, liber Jasharanus antecessit vel antiquissimae Psalmorum Davidicorum collectioni. Unde intelligitur Jasharanam illam anthologiam in hanc benedictionis formulam exiisse. At Psalmus hic noster, quem alias ob causas in fine Jasharani libri ponendum duco, his ipsis verbis בָּרוּךְ אֱלֹהִים, *laudetur Jehova,* quasi legitimo termino, explicit, neque id, ut in Psalmorum collectionibus, extra ordinem adjicitur, sed est quasi necessarium Chori ephymnium, quod disertam Praefecti laudationem concentu quodam complet et producit. Quae quum ita sint, vel ex illa imitationis lege, quam humana natura quasi sibi impressam tenet, vincimus hoc canticum in fine Jasharani libri pristinam sedem obtinuisse, unde quum in antiquissimum Psalmorum

fasciculum cooptatum esset, doxologia plenior colophonis instar mutuo sumpta repetebatur.

Canticum ipsum, ut vides, in prooemium et sex strophas distribui, easque ex sententiarum nexu inter praefectum chori, chorum universum, et hemichoria virorum feminarumque, ita dispertivi, ut didactica praefecto, acriora et vehementiora viris, hilariora feminis assignarem; nam eandem legem in Deborae cantico distribuendo observavi.

Jam vero dispositionem partium, sententiarum nexum, universum carminis sensum, rationem artemque poetae contemplemur, ut videamus quantopere haec omnia cum Solomoneae aedis dedicatione conveniant. Exordii instar (vv. 2—4), ut antea significavi, praemittuntur ea ipsa verba, quae Moses pronunciari jussit, quoties arca ex uno loco in alium mutata statione transferenda esset; hic autem summa vi subjicit poeta, Deum, qui hostes suos comminuit, probos tamen Israelitas magnis beneficiis cumulare. Ex natura rei vincimus hoc prooemium ab universo choro decantatum esse; est enim quasi paean quis, quo Israelitae praesens Dei auxilium in proelio committendo praedicabant. Quid quod Oliverius Cromwell eodem hoc exordio in pugna Dunbariensi tanquam barritu quodam utebatur? Neque tamen illud minus accommodatum est ad spiritalem summi Numinis adventum significandum. Nam quoties intaminatum divinae illuminationis jubar cordi regenerato illuxerit, illico diffugiunt tenebrarum potestates; *τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ, ἢ τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος;* (2 Cor. VI, 14). Quem absentem putant calumniantur impii; sed simulac divinae potentiae signa agnoverint, subito timore trepidant et humiliter demisseque sentiunt. Ut de Ajacis hostibus loquitur poeta tragicus:

ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ᾽ ἀπέδραν
παταγοῦσιν ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι·

μέγαν αἰγύπιον δ' ὑποδείσαντες
σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι.

Similiter Psaltes Israelitas a Deo desciscentes describit (Ps. LXXVII, 34):

> Si nonnullos ex eis interficiebat Jehova, quaerebant eum,
> Et poenitentes studiose eum colebant.

In prima strophe (vv. 5—7) Praefectum sive choragum non aliter de paterno Jehovae in suos animo concionantem habemus, quam quum Moses in X Deuteronomii capitulo (v. 18) declarat: »Deum agere causam pupilli et viduae, amare peregrinum, et prospicere iis de victu et amictu.«

Secundam stropham (vv. 8—11), quae magnifice describit quantum se Jehova Israelitis in deserto monstraverit, hemichorio virorum assigno, ut quae masculum prae se ferat ingenium, et intentiorem efflagitet concentum, atque harmoniam. Hic enim si usquam *ἐπικωμίαν ἀνδρῶν κλυτὰν ὄπα* agnoscas licet.

Suadet ipse contextus stropham tertiam (vv. 12—19) a muliebri hemichorio decantatam esse. Quantae autem in omni Israelitarum ovatione fuerint feminarum partes supra vidimus.

Martialis et quodammodo ferocior quartae strophae (vv. 20—24) spiritus virile hemichorium ad partes revocat. Nam minitabundi simul ac jubilantes Jehovam laudibus et veneratione prosequuntur choreutae.

Mitior divinae poeseos aura hemichorium feminarum in quinta stropha (vv. 25—28) prodit, ubi pompa solemnis quasi ob oculos praesens depingitur.

In sexta stropha (vv. 29—36) Praefectus chori iterum, tanquam concionator aliquis, suggestum conscendit, atque omnes Jehovicolas ad tantam hujus Dei majestatem agnoscendam et reverenter celebrandam excitat. Vaticinatur iste simul et precatur. Dei auxilium et implorat et promittit. Praesentem templi Hierosolymitani gloriam, venturam verae relligionis propagationem declarat; et paene auguratur futurum ut regna hujus mundi fiant regna Jehovae et Christi ejus (Apoc. XI, 15).

Denique universus Chorus plena voce succinit: *Laudetur Deus!* et assiduo cantu resonat.

Ex hac enarratione videbis, opinor, nihil hic justo ac legitimo poemati omni ex parte absoluto deesse, omnia autem ad templi dedicationem apta esse. Nequeo igitur assentiri Maurero non modo quum hanc cantilenam post reparatum a defunctis exsilio templum decantatam esse judicat, verum etiam quum eam »artificiosius quam elegantius carmen« contumeliose appellat.

Expositis his omnibus nihil jam superesse hoc loco mihi video, quam ut versus quosdam impeditiores philologico examini subjiciam.

In v. 4 habes Jasharanam hujus carminis indolem. Probos et justos Jehova sua tutela fovet. Hinc summa illa Solomonei regni felicitas, quae, arca in templum translata, ad fastigium diu speratum evecta est. Ut antea notavi, ultimum hoc Jasharanae collectionis poema frequens est in citandis aliis ejusdem anthologiae cantilenis. Etiam antiquior illa forma יָהּ vv. 5, 19 ad Exod. XV, 2 spectat, quem locum Jesaias quoque imitatione expressit (XII, 2). Recte monet Maurerus בְּיָהּ שְׁמוֹ relative capienda esse. Versus 6 ad Jasharanum Fragmentum Deut. X, 18 aperte respicit. Ex v. 7 Hannae, quod vocatur, canticum (1 Sam. II, 5) interpretationem accipit, et vides illam locutionem non de quapiam femina, quae antea sterilis fuisset, sed de potentia Dei in genere intelligendam esse.

v. 8. Descriptio majestatis et potentiae, qua Jehova se Israelitis per desertum iter facientibus ostentaverit, manifesto desumpta est ex Deborae cantico (vv. 4, 5); et argumento est ambas scriptiones in eadem collectione locum habuisse, quod phrasis זֶה סִינַי ibi in alienum locum ex versu 9 irrepserit. De ista locutione verum vidit interpres Graecus, qui verba nostra sic reddidit: *ἀπὸ προσώπου τοῦ θεοῦ τοῦ Σιναί*. Ita ut זֶה pronomen ad Deum referatur, et, quod saepe fit apud Graecos, fortioris articuli partes sustineat. Similiter in Psalmo XXIV, vv. 8, 10 legimus: מִי־זֶה (הוּא זֶה) מֶלֶךְ הַכָּבוֹד (vel, ubi fortius pronomen הוּא illud זֶה ad articuli officium remittit: nam Graeci *τίς ὁ βασιλεύς;* et *τίς οὗτος ὁ βασιλεύς;* fere eodem sensu efferunt. Atque haec ratio simplicior est, quam ut, cum Schultensio aliisque, ad Arabicum ذُو, *Dominus,* decurramus. Obiter moneo Psalmum XXIV proculdubio pertinuisse ad eandem hanc templi Solomonici dedicationem; cf. vv. 7, 9 cum 1 Reg. VIII, 13, 27. 2 Paral. VI, 2, 18; sed non patet breviorem illam cantilenam in libro Jasharano inclusam fuisse; immo, quum in secundo hoc Psalmorum libro non inveniatur, putaverim primi libri compilatorem eam aliunde deprompsisse

vv. 12—15. Locutio יִתֶּן אֹמֶר illustratur loco Jasharano Gen. XLIX, 21: »Naphthali est cerva emissa הַנֹּתֵן אִמְרֵי שָׁפֶר *mandans effata pulcherrima,*« ubi, ut supra vidimus, Deborae canticum triumphale significatur; nec dubium esse potest, quin hic quoque sermo sit de mulierum choris a quibus victoriae celebrabantur (Exod. XV, 20. Jud. XI, 34. 1 Sam. XVIII, 6). Quum igitur Naphthalitae propter sua sub Baraquo facinora effata pulcherrima mandasse dicantur, ita hic quoque Jehova, qui victorias concessisset, earum celebrationem mulierum catervis mandasse fertur. Qualis spes praedae mulieres Israeliticas agitaret videmus ex hoc loco, vidimus supra in Deborae cantico (Jud. V, 30) et in Davidis naenia (2 Sam. I, 24), ubi aurum vestibus

illitum, quale hic innuitur (v. 14), diserte commemoratur. Et observabis dictionem נְוַת בַּיִת i. e. *οἰκουρός, domi habitans,* cum vi quadam adhibitam esse. *Foris* pugnabant viri, *domi* sedebant mulieres; unde illa Xerxis apud Aeschylum ludificatio:

λέγουσι δ᾽ ὥς σὺ μὲν μέγαν τέκνοις
πλοῦτον ἐκτήσω ξὺν αἰχμῇ, τὸν δ᾽ ἀνανδρίας ὕπο
ἔνδον αἰχμάζειν, πατρῷον δ᾽ ὄλβον οὐδὲν αὐξάνειν.
(Pers. 754).

Hujus loci, qui plerosque interpretes sollicitos habuit, eum esse sensum, quem supra ad Deborae canticum (p. 289) et hic (p. 302) declaravi, ostendit ipse verborum contextus. Nam hic opponuntur mulieres Israeliticae, quales erant ante partam victoriam, iisdem, quales erant post praedae partitionem. Et si hoc tempore deauratae erant et candidae sicut vertex ille Tsalmoneus, qui nive tectus albedinem suam quaquaversus diffundebat, intelligitur eas antea valde diverso corporis et vestium habitu fuisse. Jam vero nomen duale שְׁפַתַּיִם a verbo שָׁפַת formatur, quod, ut jampridem monuit Jacobus Robertson (Clavis Pentateuchi, p. 268), et nuper confirmavit Samuel Lee, refertur ad illum Arabum et Hebraeorum morem, quo ollam in foco disponebant, adhibito ferreo vel lapideo sustentaculo, quod alii *chytropodem* alii *tripodem* vocant. Ita Elias dicit puero suo (2 Reg. IV, 38): שְׁפֹת הַסִּיר »*ollam magnam tripodi impone,* et coque pultem pro filiis prophetarum.« Similiter Ezek. XXIV, 3: שְׁפֹת הַסִּיר שְׁפֹת »*tripodi impone ollam,*« ubi adhibetur de ahenis super grandi igne collocandis, quod sine ope talis sustentaculi fieri nequeat. Quum igitur mulieres illae orientales in domesticis ministeriis versarentur, praesertim in re culinaria, inter fuliginosas istas ollas et chytropodes non minimas sordes erant excepturae. Et notissima illa *Cinderellae* (*la Cenerentola*) fabula docet nullam *μεταμόρφωσιν* magis esse conspicuam, quam si qua mulier a sordidatis culinae vestibus in splendidum regii atrii

habitum transmutaretur. Declarat igitur poeta noster mulieres Israeliticas, etiam eas quae rei culinariae operam darent, spoliis hostium indutas auro et candore evasisse nitentes instar argenteae et aureae columbae, vel perpetuae nivis, qua Tsalmon staret candidus. Quod si quis hanc vocis שְׁפַתַּיִם interpretationem ad *δὶς λεγόμενον* illud מִשְׁפְּתַיִם accommodandam censet, vel *repagulorum in stabulis* significationem, quam longiori formae tribui (Gen. XLIX, 14. Jud. V, 16), hic quoque adhibere vult, priori rationi repugnat contextus, Gen. XLIX, 14; neque enim asinus inter chytropodes recumbit; alteri autem objiciendum est, quod hic de domisedis matronis (נְוַת בַּיִת v. 14) sermo est, non de iis, quae in re rustica studium atque operam collocabant.

In v. 18 difficultatem parit vox *ἅπαξ λεγομένη* שִׁנְאָן, quam recentiores critici, Aben-Esram secuti, ad radicem שָׁנָה, *iteravit*, referentes, locutionem אַלְפֵי שִׁנְאָן reddunt *millia iterationis*, i. e. millia multoties iterata. Alii nomen deducunt a שָׁנַן, *acuit*, exponuntque (quod vix credideris!) de curribus falcatis! Alii accipiunt vocem pro שַׁאֲנַן a שָׁאַן, *tranquillus fuit*, intelliguntque Angelos, quasi si *tranquilli* sunt et *beati*. Hinc versio septuagintaviralis habet *χιλιάδες εὐθηνούντων*, et vulgatus interpres »millia laetantium«. Sed, ut mihi quidem videtur, veram lectionem ante oculos habuit Symmachus, qui quum *χιλιάδες ἠχούντων* prodat, in textu invenit שָׁאוֹן, *strepitus*, quod reponendum censeo. Ac miror equidem simplicissimam hanc loci medelam nemini se interpretum commendasse. Nam quum Jehova hic inducatur qualis in Sina se manifestabat, scilicet nubibus vectus et terribiles edens fulminis sui strepitus (vide Deut. XXXIII, 2, Ps. XVIII, 11—14), quid aptius dici poterat quam *τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ μυριοπλάσιον, χιλιάδες ἠχούντων* (ad lit. *ἠχοῦς*)· *κύριος ἐν αὐτοῖς ἐστίν, οἷός ποτε ἐν Σινᾷ ἐν τῷ ἁγίῳ ἐφάνη?* (cf. Deut. XXXIII, 2). Verbum *ἠχεῖν* ad tonitrua spectare posse, satis ostendit Euripidis locus (Hippol. 1201):

ἔνθεν τις ἠχὼ χθόνιος ὥς βροντῇ Διὸς
βαρὺν βρόμον μεθῆκε, φρικώδη κλύειν.

Atque hinc aliud argumentum habes unde perspicias *Cherubim* illos et *Saraphim* nihil aliud fuisse nisi nimbosos ventos et fulgura quibus Jehova tanquam ministris suis utebatur. Hic enim ut alibi Jehovae currum constituunt. Vocem שָׁאוֹן autem, quae de multarum aquarum strepitu usurpari potest (Ps. LXV, 8, Jes. XVII, 12, 13), optime quadrare in hunc summi numinis comitatum, discas ex Apocalypsi XIX, 6: *καὶ ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ καὶ φωνὴν ὑδάτων πολλῶν καὶ ὡς φωνὴν βροντῶν ἰσχυρῶν λεγόντων Ἀλληλούϊα ὅτι ἐβασίλευσεν κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ.* Nec oblivisci oportet sonitum buccinae (קוֹל הַשֹּׁפָר), qui Sinaiticam epiphaniam comitabatur (Exod. XX, 16, 19), et quem *σάλπιγγος αὐτῇ* comparat auctor Epist. ad Hebr. XII, 19, ad Symmachi *ἠχούντων* spectare posse. Particulam comparationis ante סִינַי omissam esse, vix opus est ut moneam; cf. Ps. CXXV, 2. Alii vertunt *Sinai est in Sanctuario*, q. d. *Sinai in Tsionem transiit*, quod mihi quidem haud ita arridet.

v. 19. Hunc versum, quem ex Deborae cantico imitatione expressum esse jam supra notavi, recte interpretatus est Maurerus, qui locutionem לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם sic intelligit: »*accipis dona quae ad homines pertinent,* proprie quod Germanice dicimus *an Menschen*, ut Gen. VII, 21 et alibi.« Et dictum putat de iis populis, qui ultro se divino imperio subjecturi erant, nempe, de proselytis. De Schnurreri interpretatione, quam Rosenmüllerus probat, nempe »accipis munera inter homines, rebelles etiam«, ut Jehovae munera ab infensis etiam hominibus oblata significentur, obsequii et observantiae causa, Maurerus ait: »aptum hoc quoque nisi quod ita בָּאָדָם est otiosius.« Hic locus theologicam auctoritatem non suam sibi conciliavit dumtaxat propterea quod auctor Epistolae ad Ephesios (IV, 8), ut

Calvinus loquitur, »nonnihil a genuino sensu hoc testimonium detorsit.« Nam quum versio septuagintaviralis habeat: *ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλωτεύσας αἰχμαλωσίαν, ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις,* Apostolus hanc citationem protulit: *ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις.* Quid volens ita fecerit, variae sunt opiniones. Verisimile est tunc temporis Judaeos traditam sibi hujus loci interpretationem accepisse, quam Petrus quoque secutus esse videtur in Actis Apostol. II, 33: *τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ θεοῦ ὑψωθεὶς τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐξέχεεν τοῦτο ὃ ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε.* Sed praestat concedere Apostolos, ut quos afflatus praesentioris Dei animaret, plus intellexisse quam nobis innotuit. Neque Ecclesia nostra, quum hunc Psalmum Pentecostali Liturgiae accommodaverit, existimanda est idcirco pronunciare ullam repugnantiam intercedere inter Christi ascensionem et divini Spiritus adventum, quandoquidem alteruter eventus alterutri quasi altera ex parte respondeat. Nam Filius ad Patrem *as*cendit eo consilio, ut *ἐάν τις ἁμάρτῃ παράκλητον ἔχωμεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον* (1 Joann. II, 1); et Spiritus ad Ecclesiam *de*scendit, quoniam Jesus ipse pollicitus est: *ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα* (Joann. XIV, 15). Ergo duo sunt *παράκλητοι* sive advocati et patroni Ecclesiae, unus qui causam nostram coram Patre agit, alter qui causam Patris agit in nostris ipsorum animis. Unde dedicatio illa aedis Solomoneae tam ad Christi ascensionem, quam ad Paracleti adventum quasi typo prospexerit necesse est. Illic enim Christus in coeleste et sempiternum templum ingressus est, ut recte ascensioni celebrandae Ecclesia Psalmum vigesimum quartum selegerit, quo exclamamus: »attollite, o portae, capita vestra et elevamini fores aeternae, et introibit Rex gloriosus.« Hic autem Spiritus Sanctus

in Ecclesiam visibilem, fidelium hominum coetum, tanquam postliminii jure revertitur, ut optime fecerit Ecclesia, quum nostram hanc cantilenam die Pentecostali recitatam vellet. Quid enim pronuntiavit prophetarum ille ultimus sive is vero nomine *Malachias,* sive, ut Talmudistae tradunt, is *Ezra* fuerit sub titulo מַלְאָכִי i. e. *angeli mei?* Ille enim »Ecce!« inquit (III, 1) »ego mitto angelum meum qui mihi viam praeparet. Et statim veniet *ad templum suum* Dominator quem quaeritis, et angelus testamenti, quem cupide desideratis. Ecce veniet, dicit Jehova Tsebaoth! Sed quis poterit adventum ejus sustinere, aut quis eo apparente consistet? Etenim similis erit igni aurifabri aut saponi fullonum: et sedebit sicuti conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et eliquabit eos quasi aurum et quasi argentum, ut Jehovae sacrificia in justitia offerant.« Atque ita ultima libri Jasharani cantilena, quum ad amissi Paradisi recuperationem tam aperte spectet, primo nostrae Anthologiae carmini mirum in modum succinit (vide supra p. 79).

v. 23. Rosenmüllerus et Maurerus, Geierum secuti, post אָשִׁיב subaudiendum putant אֹיְבִים; scilicet, Deum undecunque, a Basanitide, ad orientem sita, atque a mari occidentali, coacturum hostes Israelitarum, quos populo suo mactandos traderet. Sed mihi certissimum est veterem opinionem veriorem esse; nam v. 20 docet sermonem esse de liberatione Israelitarum ex maximis periculis, qualia olim erant in Basanitide propter Ogum, in mari rubro propter Pharaonem. Quis enim negabit illum versum respicere ad Exod. XV, 2? Quinetiam in secundi templi dedicatione, eandem habemus earundem liberationum mentionem (Ps. CXXXVI, 15, 20). Quod autem ad Jasharanam hujus carminis indolem maximi est momenti, habemus hic locum plane classicum, qui tertiam nostrae collectionis partem mirum in modum illustrat. Hic enim, ipso die quo Solomonea aedes dedicata est, quo post tot in deserto et in ipsa Palaestina tumul-

tuantium fluctuum jactationes, arca Dei demum in tranquillam permansuramque sedem, quasi in securo portu, egressum facere videbatur, hic, inquam, ubi Deus tanquam praesens Israelitarum servator laudibus extollitur, illa electi populi restitutio describitur, non modo respectu habito ad proximam Basanitidis regionem, ubi summis periculis conflictabant, unde etiam recentissimae Moabitarum conspirationes, proxime venturi Syriorum impetus minitabantur, sed etiam in genere tanquam si puppis paene naufraga diu quaesitum portum fortiter occuparet. Nam vox מְצוּלָה, ut et brevior forma צוּלָה, ferocientem maris gurgitem vel voraginem denotat, si ad Arabicum صَالَ, *saeviit,* confugis; sin ad radicem צָלַל, *tenebris obumbratus est,* spectas, intelliges *ἔρεβος ὕφαλον,* quod tanta vi describit Sophocles (Antig. 585): *ὁμοῖον ὥστε οἶδμα ὅταν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ, κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν θῖνα καὶ δυσάνεμον.* Sed quidquid statueris de vocis etymo, plane significatum habes summum maris naufragi periculum (cf. Psalm. CVII, vv. 23—32).

v. 24. vide ad Num. XXIV, 8. supra p. 217.

v. 27. vide ad Deut. XXXIII, 28. supra p. 231.

v. 31. De hoc versu, quem complures critici vexatissimum invenerunt, mihi quidem nulla est dubitatio. In primis enim *leones* et *boves Basanitici* vel *boves buffeli* ita inducuntur in carminibus Hebraicis, ut figura quadam describant inimicos quosvis potentes ac malignos, idque conjunctim. Exempli gratia in Psalmo XXII, quem Servator ipse adhibuit ad suas miserias exprimendas, bis occurrit haec translatio vv. 13, 14:

Circumdederunt me juvenci multi,
Feroces Basanis tauri me cinxerunt.
Aperuerunt contra me os suum,
Tanquam leo rapiens et rugiens.

Atque iterum v. 22:

Serva me a faucibus leonis,
A cornibus bovis buffeli me defende.

Jam vero optime monet Lowthius (de sacra poesi Hebraeorum p. 56): »חַיַּת קָנֶה, *fera arundinis,* est periphrasis *leonis,* eaque minime obscura si ejus rationem attendimus. Leones in arundinetis maxime lustra habere solent. Ammian. Marcellin. XVIII, 7: *inter arundineta Mesopotamiae fluminum et frutecta leones vagantur innumeri.* Id adeo familiare erat Arabibus, ut peculiare habeant vocabulum pro leonis lustro quum in arundineto cubat. Bochart. Hieroz. par. I, lib. III. c. 2. Erat autem Jordanes praecipue infestus leonibus, qui in densis riparum arundinibus latitabant. Joann. Phocas. Descr. Loc. Sanct. c. XXIII. Vide etiam Maundrell. Itin. Hieronymus itidem (ad Zech. XI, 3): *Jordani,* inquit, *fluvio, qui maximus in Judaea est, juxta quem morantur leones, fremitum junxit leonum, prcpter ardorem sitis, et ob deserti viciniam, et latitudinem vastae solitudinis et arundineta et carecta.* Hinc apud Jeremiam IV, 7 leo *exire* dicitur מִסֻּבְּכוֹ, ex *lustro suo perplexo;* et XLIX, 19, *ascendere* מִגְּאוֹן הַיַּרְדֵּן ex *inundante Jordane.*« Per *tauros* autem (אַבִּירִים), scilicet *feroces illos Basanitidis buffelos* (Psalm. XXII, 13), cum Rosenmüllero intelligo *duces,* per *vitulos populorum* (עֶגְלֵי עַמִּים) intelligo *milites peregrinarum nationum.* Et quum *leones* ad Syriam spectare videantur, *tauri* autem ad proximos transjordanicae regionis campos, puto poetam nostrum bellica pericula inde imminentia providisse. Nam quum Davides ultimo quod gerebat bello istas nationes devicisset, post Solomonem autem fere perpetua essent Israelitis cum Idumaeis, Syris, Moabitisque (cf. 1 Reg. XI, 14, 23, 2 Reg. I, III, VI) hostilia, nihil melius pro futura regni salute precari potuit vates, quam ut Deus *increparet* vel *compesceret* hos magnae potentiae et infensi animi populos, qui bella diligebant, ita ut supplices cum massulis argenti ad tributa pendenda venirent. Seriores prophetae, qui haec mala non ventura verebantur, sed praesentia lugebant, eadem imagine ad hostes depingendos utuntur. Sic

Jeremias IV, 7 de Syriis et Assyriis: »ascendit *leo* ex arundineto suo perdens gentes. Egreditur e loco suo ad terram tuam vastandam, ad urbes tuas ita destruendas, ut nemo eas inhabitet.« cf. II, 15: »*leones* rugientes terram ejus vastarunt.« Et contra Jesaias, quum Idumaeorum caedem vaticinatur (XXXIV, 7), mactatos inimicos sic inducit: »cogentur *boves buffeli, tauri* cum *juvencis,* tota terra eorum sanguine replebitur, et pulvis ex adipe eorum impinguebitur.«

Reliquos versus una atque altera observatione dimittam. Gesenius in Thesauro (p. 534) bene monuit nomen *ἅπαξ λεγόμενον* חַשְׁמַן (v. 32) significare *pingues,* inde *divites, magnates,* ex Arabico حَشِيم, aliudque vocabuli vestigium inesse in nomine proprio *Ἀσαμωναῖος,* quod gessit avus Mattathiae (Joseph. Arch. XII, 6 § 1) et postea universae Maccabaeorum familiae tributum est. Radix est חָשַׁם, adjecta terminatione ָן. Vocem Jehovae (v. 34) tonitru esse supra vidimus (ad Jud. V, 23). In hoc versu et sequentibus agnosces eundem stylum atque in carmine Jasharano Deut. XXXIII, 26, ubi etiam voces שָׁמַיִם et שְׁחָקִים tanquam synonymae apponuntur. Neminem latebit Jacobi, quum primus בֵּית־אֵל sive *Dei habitationem* conderet, exclamationem (Gen. XXVIII, 17): מַה־נּוֹרָא הַמָּקוֹם הַזֶּה, — »quam terribilis est hic locus!« — examussim congruere cum ultimo nostri cantici versu, ubi poeta, oculis ad templum, absolutum illud divinae habitationis exemplar, conversis, vociferatur: נוֹרָא אֱלֹהִים מִמִּקְדָּשֶׁיךָ, »terribilis es, o Deus, in sanctuariis tuis!«

Atque ita ad finem perduxi laborem mihi saltim neque injucundum neque infructuosum. Quid tu censeas, lector benevole nescio. Mihi autem dum haec scribo quasi pellicula quaedam ex oculis decidere videtur. Non ut antea per nebulam, sed coram in aprica luce res gestas, litteras, relligionem Israelitarum Solomoneorum discerno. Non ut antea vocem non explanabilem et

perturbatam et verborum inefficacem audio, sed ipsissima Nathanis, Solomonis, Davidis, quinetiam aliquoties sublimia Mosis effata, a divinis penetralibus recentia, mihi in aures veniunt. Neque haec vetustarum litterarum redintegratio aut vi aut clam aut precario ex canonicis libris detorquetur. Sponte se offerunt fere omnia istius rei testimonia. Constat enim fuisse librum qui הַיָּשָׁר inscribebatur. Constat vocabulum יָשָׁר Dei ipsius probitatem designare, eam hominis conditionem significare, qua primitus est creatus, atque eos mores, eam indolem describere, quae veros Israelitas (Joann. I, 47: cf. Rom. IX, 6) a reliquo mundo distinguebat. Constat hunc librum יָשָׁר tam epinicia vetusta, quam poemata ad Davidis historiam pertinentia complexum esse. Constat multa esse in textu Masorethico tessellata carmina, quae unamquamque vocis יָשָׁר vim atque significationem expleant. Verum enimvero quandoquidem tam in praemissis quam in universa conclusione rem non dubiam sed apertam atque manifestam habeam, enumeratio singulorum argumentorum non est necessaria. Dico ista carmina in unum corpus, suis membris exactum, ita demum redacta esse, ut omnia ibi congruentia agnoscas; et si quis mecum hac ratione contentus erit, nobis sane illam libri Jasharani diu defletam jacturam quadamtenus saltim resartam esse gaudentibus, exclamare licebit, populus quod clamitabat, Osiri invento: *εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν!* Quae redintegratio utrum omni ex parte rite sit effecta, criticorum erit, classica, ut vocatur, philologia imbutorum, atque universa grammatica probe eruditorum, quum unumquodque argumentum suo momento ponderaverint, ita demum discernere; et, quod jam antea (p. 35) significavi, non spero fore, ut omnibus omnia et singula persuasurus sim. Dico autem atque confirmo non aliam rationem in Sacris Libris tractandis adhibendam esse, quam qua profanorum scriptorum interpretatio tanta cepit incrementa. In hac materia jam per trecentos annos doctrinam suam, ingenium, acumen, subtilitatem, indu-

striam, fatigarunt homines omni laude cumulatissimi; hic regnant illi; hinc facem aliis ministrant, qui quoscunque scientiae campos collustrare cupiunt. Nam si philologia, ut Boeckhius autumat, nihil aliud est quam *cogniti cognitio,* una est ista scientia et ad materiam qualemcunque adhiberi potest. Hanc igitur rationem in scholis Hebraicis studiose amplectendam censeo. Quodsi philologo vel in sacro Textu examinando suum munus constabit, grammaticorum erit potius quam theologorum de hac tractatione judicium facere. Ad theologiam autem quod attinet, mihi quidem, qui Sacerdos sim et Doctor Anglicanus, satis esse debet, quod nulla in hoc libro vel opinio vel sententia ad Articulos nostros impugnandos quovis pacto conferat; quod legitimam interpretandi libertatem, ab Episcopo concessam, ab Academia confirmatam, nusquam migravi; quod salva hac argumentatione professionem meam in extenso iterare possum; immo etiam quod oppigneratum illud ordinis mei officium aliter praestare nequeo. At enimvero, quod multo majoris momenti est, quam canonica cujuspiam Ecclesiae constitutio, aut ecclesiastici cujuspiam hominis integritas, in hoc opusculo demonstrare conatus sum non modo Vetus Testamentum Novo contrarium non esse, verum etiam omnia in utroque libro uno concentu decurrere; Jasharanam pietatem tam in primis Pentateuchi capitulis quam in epistolis Paulinis praeceptam esse, ratam, exercitam; relligiosam antiquissimorum Israelitarum doctrinam eam esse quam ab ecclesia Christi edocemur, scilicet, naturae nostrae dichotomiam in eo unice versari, quod etsi homo *caro* sit et mortalis, *spiritu* tamen vivescat, et eo quidem divino nec morti obnoxio, quippe quia a Deo emanet, qui universae carni spiritum suum infuderit (Num. XVI, 22. cf. Jes. XXXI, 3) [1]) et spiritaliter fidos homines regenerare

---

[1]) וְסוּסֵיהֶם בָּשָׂר וְלֹא רוּחַ, i. e., ut Grotius monet, equi eorum non sunt substantiae immortalis (scilicet, spiritus a Deo emanantis), sed corruptibilis et dissolubilis (scilicet carnis, e pulvere concretae).

possit [1]); neque aliam esse sacramentalem illam, quam perhibemus, Sacrae Scripturae indolem [2]), nempe augustos illos libros, qui visibiles sunt et corporei, spiritu tamen invisibili animatos esse. Denique, quum ad Fidei Christianae patrocinium accedimus, advocationis nostrae interest, ut simulata illa suburbia et propugnacula, quae primo hostium impetu perrumpentur, sedulo omittentes vel potius ultro dejicientes, in arcem inexpugnabilem confugiamus, quae omnia ad necessitatem salutis pertinentia custodit, nec cupide tueamur eas hominum opiniones quae defendi nequeunt, sed illorum exemplo admoniti qui casam cito ruituram in fluxis ac diffluentibus arenis aedificantes pietatis naufragium patiuntur, solidam ecclesiae nostrae aedem sempiternis verae doctrinae fundamentis stabiliamus.

---

[1]) Joann. III, 5, 6: *ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος* (i. e. per baptismum fidelem) *καὶ πνεύματος* (i. e. per spiritalem sanctificationem) *οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστιν· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν.* Hanc regenerationem, quae a *carne* abhorret, a *mundo* etiam abhorrere, diserte docet Joannes 1 Ep. V, 18, 19: *οἴδαμεν ὅτι πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ, οὐχ ἁμαρτάνει· ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτὸν καὶ ὁ πονηρὸς οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ· οἴδαμεν ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐσμεν καὶ ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται.* Vide supra pp. 68, 69.

[2]) Hieronymus de Apocalypsi loquens, »quot verba« inquit »tot sacramenta.«

EXCURSUS I.

DE ELOHISTA TOTIUS PENTATEUCHI EDITORE.

(p. 37.)

Vetus est jam et confirmata doctissimorum hominum opinio Pentateuchum in duas potissimum portiones dividi posse, quas nomina Dei אֱלֹהִים et יְהוָה alternis posita ita distinguunt, ut diversam utrobique editoris diligentiam agnoscas. Non est hujus loci aut consilii mei aliorum sententias de Mosaicorum qui vocantur librorum compositione dijudicare; quum tamen in parte prima tam Elohisticam, quam Jehovisticam lapsi hominis historiam excerpserim, operae pretium erit, quam brevissime explicare quid de duplici ista Pentateuchi materia statuendum censeam.

Si distributionem operis inter Elohistam et Jehovistam in *Genesi, Exodo* et *Numeris* vel strictim inspiciemus, facile apparebit perpetuum narrationis filum Elohistae plerumque deberi, ita ut omnia, etiamsi Jehovistae verba abessent, sine ulla majoris momenti intercapedine continuo quasi tenore decurrerent. *Leviticus* autem, si trium capitulorum interpolationem exceperis (capp. XVIII—XX), quam aliam ob caussam (supra p. 173) ad *Deuteronomium* refero, totus est Elohisticus. Et *Deuteronomium* contra, paucis exemptis, a Jehovista totum profluxit.

Equidem a ceteris criticis, qui de hac re scribentes Elohistam Jehovista quem intelligunt antiquiorem crediderunt, prorsus dissentio. Nam facili opera me demonstraturum spero Elohistam

23

fuisse totius Pentateuchi editorem. Ac primum mihi argumentum est illud, quod supra ostendi (pp. 158 sqq.), *Deuteronomium*, quod Jehovisticum est, antiquius esse *Levitico*, qui Elohistam sibi auctorem profitetur. Ut omittam eas rationes, quas in textu supra allegavi, easque quas olim protulit Joannes S. Vater (*Commentar üb. d. Pent.* P. III, pp. 673—680), qui contendit »majorem Deuteronomii partem e Davidis et Solomonis aetate adfuisse, reliquas autem partes Pentateuchi postea paulatim scriptas esse totumque Pentateuchum circiter sub exsilii Babylonici tempus compositum et in vulgus editum«, ut istas aliasque rationes omittam, seriores historiographi praecepta Jehovae non Mosi, sed »prophetis Jehovae ministris« adscribunt (2 *Reg.* XVII, 10. *Esr.* IX, 11), et Talmudistae diserte affirmant (*Baba-Batra* fol. 14, 15) »Mosem scripsisse *librum suum* et portionem Bileam et Iobum« (משה כתב ספרו ופרשת בלעם ואיוב); unde consequimur ceteros Pentateuchi libros, qui hodie sub Mosis nomine circumferuntur, qui tamen »portionem Bileam« continent, antiquitus Mosi abjudicatos esse, et Deuteronomio recentiores esse habitos. Et Jesum ipsum, quum ad medullam legis Mosaicae descendere vellet, ad Deuteronomium dumtaxat provocasse ex parabola Lazarea apparet. Quum enim Abrahamus ibi Diviti pro fratribus suis deprecanti ingerit (*Luc.* XVI): »Habent Mosem et prophetas«, respicit ille procul dubio ad misericordiae legem, quam Deuteronomium praecipit, quam autem inter alios prophetas Hosea commendavit dicens »misericordiam volo et non sacrificium« (VI, 6; cf. *Matth.* IX, 13. XII, 7). Nam narratiuncula illa de Divite et Lazaro in misericordia injungenda tota versatur. Inducitur enim Dives poenis post mortem cruciatus dumtaxat propterea quod, quum Abrahami filius esset (vv. 24, 25), Lazarum, ad januam suam jacentem et necquidquam cupientem frustulis epularum sustineri, superbe neglexisset. Nec dubitaverit quisquam quin Jesus, quum diceret (*Joann.* V, 46) »Mosem

de se scripsisse« ad locum illum celeberrimum Deuteronomii (XVIII, 18 sqq.) spectaret (cf. *Joann.* I, 45. *Act. Apost.* III, 22). Quod si Moses, Jesu ipso teste, Deuteronomium illud Jehovisticum scripserit, eodem teste non potuit scribere discrepantem Decalogi formam, quae in Exodo consignatur; et si vera legis medulla in Deuteronomio quaerenda est, Mosaica auctoritas nulla est in Elohisticis Levitici ceremoniis, quas Dominus noster apertis verbis abrogavit. Quod igitur in Pentateucho per se Elohisticum est, idem est recentius eo, quod per se est Jehovisticum. Accedit, quod in tribus reliquis Pentateuchi partibus, id quod Elohisticum est perpetuo quasi tenore decurrit, Jehovisticae autem portiones, tanquam purpurei panni, contextum operis hic illic distinguunt. Denique quum Jehovisticus Deuteronomii liber ponatur ultimus, cosmologia Elohistica praefationis loco operi universo praefigitur. Haec omnia, ut mihi quidem videtur, satis argumentantur Pentateuchum ab Elohista quodam ex Jehovistica materia fuisse conflatum. Quonam is tempore editoris officium susceperit, si quaerimus, non desunt certae quaedam synchronismi notae. Atque Elohistam non antea manum suam Pentateucho admovisse, quam Judaei in Babylonia multos jam annos contrivissent, apparet ex illa rerum Babylonicarum cognitione quam Elohisticae Geneseos portiones prae se ferunt. Illud autem »partim singula vocabula ostendunt, quae non possunt nisi e lingua chaldaea rectius intelligi [1]), partim res et sententiae persuadent, quarum notitia apte nequit aliunde peti (v. c. II, 11–14. X, 1 sqq. XI, 1–9. 28. 31. XXXI, 47); Israelitas autem antea Babyloniam minus cognitam habuisse, eamque minime cavillatos esse, doceant 1 *Regg.* V, 10. *Iob.* I, 3. 2 *Regg.* XX, 14« [2]). Sunt etiam, ut alias demonstravi [3]), nonnulla tam in cosmologia Elohistica

1) Cf. Bohlen, *Genesis* I, p. 73 Vers. Angl.

2) Schumann, *Genesis* p. LXX.

3) *Christian Orthodoxy* p. 133.

(*Gen.* I, 2—4), quam in continuatione Jesaiae (XLV, 5 sqq.), quae ad Zoroastri dualismum haud obscure respiciunt. Deinde, quum liber Regum, qui ad annum A. C. 562 Judaeorum historiam deducit (2 *Regg.* XXV, 27), Deuteronomium dumtaxat, ut Mosaicae legis librum, laudaverit (2 *Regg.* XIV, 6. cf. *Deut.* XXIV, 16; 2 *Regg.* XXII, 13. cf. *Deut.* XXIX, 27), quinque illae quinquerniones postilla compactae sunt. Si igitur nomen Jehovae post annum A. C. 562, sed ante annum A. C. 446, quo Judaei ab exsilio redierunt, aliquantisper desuevit, tum demum Elohisticus prodire potuit librorum sacrorum Editor. At ultimi regum, *Jos-iah, Jeho-ahaz, Jeho-i-akim,* et *Zedek-iah,* ultimi quoque prophetarum ante exsilium, *Jesa-iah, Jerem-iah, Mica-iah,* et *Hosea* vel *Jeho-sheah,* nomine Jehovae insigniti erant (*Jes.* XLIV, 5). Postea autem, ut Herveius nobis auctor est (*Genealogies* pp. 62 sqq.), habemus in regia stirpe *Shealti-el* et *Zerubbabel,* quibus suscessit, idemque Jehovae nomen revocans, *Hanan-iah* vel *Jo-chanan.* Inter prophetas invenimus nomina *Ezeki-el* (quem Jehovista vocasset *Hezek-iah*) et *Dani-el;* sed postea redit Jehovae nomen in prophetis *Nehem-iah, Obed-iah, Zephan-iah, Zechar-iah.* Archangeli quoque vocantur *Micha-el* et *Gabri-el.* Et in pontificum catalogo inter Jehovistas *Joia-kim* et *Joiada* interponitur Elohista *Eli-ashib.* Ecce igitur periodus Elohistica, qua editor Babylone degens generalius Dei nomen propriae Judaici numinis appellationi anteponendum censuit, sive quod dominis suis morigerabatur, sive quod a strictiore patrum cultu nonnihil desciscebat.

Quamquam autem Jehovistam operis quinquepartiti redactorem fuisse credo, eumque censeo in Babylonia laborem suum confecisse, minime tamen dubito, quin Esra, Nehemiah, ceterique Jehovistae, qui in patriam redibant, ad Pentateuchum symbolas dederint. Ad Esram quod attinet, non modo ipsius Nehemiaeque libri (*Esr.* VII, 6. 10-14. 21. 25. 26. IX, 1 sqq. *Nehem.* VIII, 1-9. 13. 18),

verum etiam universa Patrum Rabbinorumque traditio testantur eum »de Pentateucho optime meritum esse, et ante Esram non adfuisse Pentateuchum, qualis per Esram et post eum innotuit«[1]). Et quum Nehemiah perhibetur (2 *Maccab.* II, 13) sacrorum librorum collectionem comparasse, verisimile videtur illius quoque in hac re magnas fuisse partes (*Nehem.* IX, 38. X, 1. 28 sqq. XIII, 1 sqq.). Ut recentissimi hujus editoris, sive is Esra fuerit sive serioris aevi, vera vestigia deprehendamus, nihil habeo, quod conferam, praeter conjecturam meam; suspicor enim antiquissimam materiam ibi esse, ubi Deum duplici nomine *Jehovah-Elohim* designatum legimus; Elohistam exsilii Babylonici concinnasse omnia, quae unum nomen *Elohim* exhibent; renovatum autem Jehovae cultum et novissimum Editorem significari, ubicunque Jehovae nomen per se inseritur (*Christian Orthodoxy* p. 232). Haec conjectura eo innititur, quod omnes loci, in quibus Jehovae nomen dumtaxat invenitur, quorum indicem apud Keilium invenies (*Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in d. kanon. Schr. d. A. T.* p. 82), stilo et rebus, quas commemorant, ad tempus post-babylonicum referuntur. Ut uno exemplo defungar, in Jehovistica illa gentium enumeratione (*Gen.* cc. X. XI) Graecos nomine יָוָן designatos videmus. At constat illam Graeciae designationem Alexandri Magni demum aetate ab orientis gentibus fuisse usurpatam (vide Schlegel, *Râmâyana* I, 2. p. 169; Gorresio, *Râmâyana* VI, p. 443).

Ad Jasharanam syllogen restituendam, haud ita magni momenti est distributio illa Pentateuchi inter Jehovistam, Elohistam, et Jehovistico-Elohistam. Nam omnes quinquernionum editores ex veteribus libris suam quisque partem haurire potuerunt. Atque in *Genesi* praesertim adeo sunt commixta et confusa omnia, ut plane nequeamus constituere quid quisque editor de suo ad-

1) Schumann, *Genesis* p. XXXVIII.

diderit, quid ex antiquissimis fontibus accurate derivarit. Cuncta Jasharani libri fragmenta Jehovismum sapiunt. Sed haud scio, an plurima ejus farraginis in suos usus converterint serior Elohista et novissimus Jehovista. Primo enim loco posui fragmentum, quod maxima ex parte ad Elohistam pertinet vel potius bina nomina alternatim exhibet. Fragmentum autem alterum bina nomina conjunctim servat. Unde hoc, quod in poetica allegoria versatur et cum secunda parte arctissime cohaeret (supra p. 100), ad antiquissimam refero et formam et materiem libri Jasharani. Illud autem, quod satis vetustum esse potest, videtur esse quasi pragmatica quaedam comitantis allegoriae enarratio, quae mystagogae instar obscuras significationes aperit, vel fabulam haud ita castam in sermonem cultioris aevi ingenio accommodatum transferre conatur.

EXCURSUS II.

CATENA QUORUNDAM, QUI IN LAPSI HOMINIS HISTORIA MORALEM SIGNIFICATIONEM AGNOVERUNT.

(p. 56.)

Etsi nunquam defuerunt ii, qui, perversae credulitati nimis tribuentes, omnia in lapsi Adami historia ita accidisse autument, ut scripta sunt in libro Geneseos, qui naturalem serpentem, vel Diabolum sub veri serpentis specie, Evam in tentationem induxisse reantur, et impietatis damnandum censeant, quicunque aliter pronuntiaverit, prodierunt tamen usquequaque haud pauci, qui narrationem quae vocatur Mosaicam imagine expressam esse, neque ullam ibi nisi allegoricam veritatem inesse declarare ausi sint. Qui quum non omnes eandem sententiam amplexi sint, plerisque tamen perplacuit ea ratio, quam in textu supra explicatam dedi, scilicet vetitum cognitionis fructum nihil aliud esse nisi illicitam atque immoderatam sceleratae pulpae concupiscentiam. Nam voluptatem sexualem sub imagine fructuum vel florum describi posse, unicuique in mentem sponte sua occurrit, qui in antiquis carminibus mediocriter fuerit versatus. Ita Pindarus: *Κόρον ἔχει,* inquit (*Nem.* VII, 53), *καὶ μέλι καὶ τὰ τέρπν' ἄνθεα, Ἀφροδίσια.* Similiter Aeschylus, qui *δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος* (*Agam.* 720) nuncupavit, alias eandem translationem fusius persequitur (*Suppl.* 979):

Καρπώματα στάζοντα κηρύσσει Κύπρις,
Κάωρα κωλύει τάδ' ὡς μένειν Ἔρως.

Idem Aeschylus, tanquam antecepta animo informatione, insanabilem illum reatum, qui ex primordiali tentatione concupiscentiae in genus mortale irrepsit, theologis nostris praeripuisse videtur (*Agam.* 378 sqq.):

Βιᾶται ἡ τάλαινα πειθὼ
προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας,
ἄκος δὲ πᾶν μάταιον.

Quum igitur haec sit quasi innata menti cogitatio, non mirum est, si multis magni consilii viris talis libri Judaici interpretatio suboluit, quae, quum narratiunculae ipsi accommodata esset, communi omnium intelligentiae satisfaceret. Equidem, quum primam hujus libri editionem parabam, parum quaesivi quid alii sentirent vel sensissent. Quum tamen postea mihi innotuisset plurimos esse, qui in eandem mecum sententiam concesserant, atque inter hos unum, eumque virum celeberrimum, qui vel in singulis et minutis rebus meam rationem praeoccupaverat, hanc nactus occasionem decrevi breviusculam catenam concinnare, ut lectores mei dijudicarent, num temeraria esset ac futilis illa, quam ventilavi, sententia.

I. PAULUS APOSTOLUS.

Agmen ducat magnus ille ethnicorum Apostolus, qui, ut supra dixi (p. 59), vetitum fructum ad carnalem *ἐπιθυμίαν* rettulit. Cujus prosopopoeia planius apparebit, si cum Fritzschio (*Pauli ad Romanos Epistola.* Hal. 1839. II, p. 3) abstracta nomina majusculis litteris insignies. Sic enim scribit Apostolus (*ad Rom.* VII, 7—11): *τί οὖν ἐροῦμεν; ὁ Νόμος ἁμαρτία; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὴν Ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων, εἰ μὴ διὰ Νόμου· τήν τε γὰρ Ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ Νόμος ἔλεγεν οὐκ ἐπιθυμήσεις. Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ Ἁμαρτία διὰ τῆς Ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν· χωρὶς γὰρ Νόμου Ἁμαρτία νεκρά. ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς Νόμου ποτέ· ἐλθούσης δὲ*

τῆς Ἐντολῆς ἡ Ἁμαρτία ἀνέζησεν, ἐγὼ δὲ ἀπέθανον, καὶ εὑρέθη μοι ἡ Ἐντολὴ ἡ εἰς ζωήν, αὕτη εἰς θάνατον. ἡ γὰρ Ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς Ἐντολῆς ἐξηπάτησέ με καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν. Atque istic spectare Apostolum ad lapsi Adami historiam (*Gen.* III, 13) aperte testatur dictio illa: *ἡ Ἁμαρτία ἐξηπάτησέ με.* Nam alias dixit (2 *Cor.* XI, 3): *φοβοῦμαι δὲ μή πως ὡς ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν Εὔαν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, οὕτως φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν.* Sed idem significat nullam aliam Adami tentationem fuisse, nisi quae in scelerata pulpa resideat, nam *Ἐπιθυμίαν* atque *Ἁμαρτίαν* ita conjungit, ut illam fuisse *causam*, hanc *effectum* peccandi intelligat. Itaque ad eandem rediit cum Jacobo (I, 14, 15) sententiam: *ἕκαστος πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος* (i. e. *ἐξαπατώμενος*). Sententia loci Paulini paullo obscurior est, quia Apostolus noster ternas significationes vocabulo *ἁμαρτία* subdidit; nam Paulo *ἁμαρτία* est vel *causa peccati*, q. d. tentatio (*πειρασμός*); vel *tentationis effectus*, q. d. peccatum ipsum; vel, ut optime observavit vir clarissimus B. Jowett (*The Epistles of S. Paul to the Thessalonians, Galatians and Romans* vol. II, p. 212), *conscientia peccati*, q. d. reatus condemnatio. Si autem pro prima significatione sufficies *ἐπιθυμίαν*, pro tertia *συνείδησις πονηρά* (cf. *Epist. ad Hebr.* X, 22), plana fient omnia.

II. PHILO JUDAEUS.

Paulo fere aequalis, Philo Alexandrinus ita in sacris litteris versabatur, ut, quum eum lectitamus, Paulum in manibus nos tenere arbitremur. Et si allegorias, quas Paulus non repudiavit (*Gal.* IV, 24), nimium sectatus est, non illam sibi rationem excogitavit, sed, ut ipse affirmat, *τὴν ἀλληγορουμένην ἰδέαν* ab antiquis interpretibus, *οἳ τὰ Μωσέως οὐ παρέργως διηρμήνευσαν*, traditam accepit (*de vit. contempl.* p. 475; *de circumcis.* p. 211).

Et quidquid de aliis ejus allegoriis statuendum est, equidem nullus sum dubius, quin in nostra narratione explicanda ad veritatem quam proxime accesserit. Nam sic hariolatur. *Πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν οἰκειοῦται θείῳ λόγῳ, τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα γεγονώς* (*de mundi opificio* p. 98 Pfeiffer). *Ἀρχὴ δὲ τῆς ὑπαιτίου ζωῆς αὐτῷ γίνεται γυνή. μέχρι μὲν γὰρ εἷς ἦν ὡμοίουτο κατὰ τὴν γένεσιν κόσμῳ καὶ Θεῷ, καὶ τῆς ἑκατέρου φύσεως ἀπεμάττετο τῇ ψυχῇ τοὺς χαρακτῆρας, οὐ πάντας, ἀλλ' ὅσους χωρῆσαι δυνατὸν θνητὴν σύστασιν. ἐπεὶ δ' ἐπλάσθη καὶ γυνή, θεασάμενος ἀδελφὸν εἶδος καὶ συγγενῆ μορφήν, ἐνησμένισε τῇ θέᾳ καὶ προσιὼν ἠσπάζετο, ἡ δ' οὐδὲν ἐκείνου προσβλέπουσα ζῶον ἐμφερέστερον ἑαυτῇ γάννυταί τε καὶ ἀντιπροσφθέγγεται μετ' αἰδοῦς. ἔρως δ' ἐπιγενόμενος, καθάπερ ἑνὸς ζώου διττὰ τμήματα διεστηκότα συναγαγὼν εἰς ταὐτὸν ἁρμόττεται, πόθον ἐνιδρυσάμενος ἑκατέρῳ τῆς πρὸς θάτερον κοινωνίας εἰς τὴν ὁμοίου γένεσιν. ὁ δὲ πόθος οὗτος καὶ τὴν τῶν σωμάτων ἡδονὴν ἐγέννησεν, ἥτις ἐστὶν ἀδικημάτων καὶ παρανομημάτων ἀρχή, δι' οὗ ὑπαλλάττονται τὸν θνητὸν καὶ κακοδαίμονα βίον ἀντ' ἀθανάτου καὶ εὐδαίμονος* (ibid. pp. 102–104). *Ἑπόμενος δέ τις εἰκότι στοχασμῷ φήσει προσηκόντως τὸν εἰρημένον ὄφιν ἡδονῆς εἶναι σύμβολον* (ibid. p. 108). *Τὰς δὲ γοητείας καὶ ἀπάτας αὐτῆς ἡ ἡδονὴ τῷ μὲν ἀνδρὶ οὐ τολμᾷ προσφέρειν, τῇ δὲ γυναικὶ καὶ διὰ ταύτης ἐκείνῳ, πάνυ προσφυῶς καὶ εὐθυβόλως. ἐν ἡμῖν γὰρ ἀνδρὸς μὲν ἔχει λόγον ὁ νοῦς, γυναικὸς δ' αἴσθησις, ἡδονὴ δὲ προτέραις ἐντυγχάνει καὶ ἐνομιλεῖ ταῖς αἰσθήσεσι, δι' ὧν καὶ τὸν ἡγεμόνα νοῦν φενακίζει* (ibid. pp. 112 — 114). Atque alio tractatu: *Δυοῖν προγεγονότων, νοῦ καὶ αἰσθήσεως, καὶ τούτων γυμνῶν κατὰ τὸν δεδηλωμένον τρόπον ὑπαρχόντων, ἀνάγκην τρίτην ἡδονὴν συναγωγὸν ἀμφοῖν ὑπάρξαι, πρὸς τὴν τῶν νοητῶν καὶ αἰσθητῶν ἀντίληψιν ..... ἐπειδὴ τοίνυν ἄμφω ταῦτα συνελθεῖν ἔδει πρὸς κατάληψιν τῶν ὑποκειμένων,*

τίς αὐτὰ συνήγαγεν, ὅτι μὴ δεσμὸς τρίτος, ἔρωτος καὶ ἐπιθυμίας, ἀρχούσης καὶ δυναστευούσης ἡδονῆς; ἣν συμβολικῶς ὄφιν ὠνόμασε (*Legis Allegoriar.* II, p. 220. Pfeiffer). Et tertio libro: *Παρατήρει δ' ὅτι ὁ μὲν ἀνὴρ λέγει τὴν γυναῖκα δεδωκέναι, ἡ δὲ γυνὴ οὐχὶ τὸν ὄφιν δεδωκέναι, ἀλλὰ ἠπατηκέναι. ἴδιον γὰρ αἰσθήσεως μὲν τὸ διδόναι, ἡδονῆς δὲ τῆς ποικίλης καὶ ὀφιώδους τὸ ἀπατᾶν καὶ παρακρούεσθαι* (*Legis Allegoriar.* III, p. 278). Et similia de exsecratione serpentis (p. 306). Quae omnia quum aliquam in se veritatem habeant, tamen ad intimum narrationis sensum non penitus descendunt nec singula allegoriae lineamenta ingeniose distinguunt. Ut videatur Philo mente et cogitatione assecutus esse peccati originalis naturam, quum tamen versionem Alexandrinam, potius quam textum Masorethicum, manibus versaret, multa perperam intellexit, quae nobis perspicua esse oportebit.

III. CLEMENS ALEXANDRINUS.

Lapsum primi hominis ad voluptatem *carnis* referendum esse, Jesum autem *carne* assumpta *carnalem* illam libidinem devicisse, diserte declarat Clemens Alexandrinus (*Cohort. ad gentes* XI, p. 86. Potter.); ait enim: *ὁ πρῶτος ὅτε* [*μὲν*] *ἐν παραδείσῳ ἔπαιζε λελυμένος, ὅτε δὲ ὑπέπιπτεν ἡδονῇ·* [*ὁ γὰρ*] *ὄφις ἀλληγορεῖται ἡδονή· παρήγετο ἐπιθυμίαις ὁ παῖς, ἀνδριζόμενος ἀπειθείᾳ — οἷον ἴσχυσεν ἡδονή! ὁ δι' ἁπλότητα λελυμένος ἄνθρωπος, ἁμαρτίαις εὑρέθη δεδεμένος. τῶν δεσμῶν λῦσαι τοῦτον ὁ Κύριος αὖθις ἠθέλησεν, καὶ σαρκὶ ἐνδεθεὶς τοῦτον τὸν ὄφιν ἐχειρώσατο καὶ τὸν τύραννον ἐδουλώσατο, τὸν θάνατον, καὶ ἐκεῖνον τὸν ἄνθρωπον τὸν τῇ φθορᾷ δεδεμένον χερσὶν ἡπλωμέναις ἔδειξε λελυμένον· κέκλιται μὲν ὁ Κύριος, ἀνέστη δὲ ἄνθρωπος, καὶ ὁ ἐκ παραδείσου πεσὼν μεῖζον ὑπακοῆς ἆθλον οὐρανοὺς ἀπολαμβάνει.* Idem monet (*Strom.* III, p. 554. Potter.) venisse Servatorem *εἰς τοὺς πεπλανημένους τὰ νοήματα· ἃ δὴ ἐκ τῆς κατὰ τὰς ἐντολὰς παρακοῆς ἐφθάρη,*

φιληδονούντων ἡμῶν, et protoplasti peccatum in eo versatum esse, quod sexualem voluptatem praeripuisset (ibid. et p. 559). Neque ignorabat doctissimus ille pater militem Christianum, quem describit D. Paulus (*Eph.* VI, 12 sqq.), non alios habere adversarios, quam appetitus illos ac perturbationes, quae *in carne nostra* dominantur. Praedicat enim (*Strom.* VII, p. 839): *τὸ παγκράτιον τὸ πάμμαχον οὐ πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ τὰς διὰ σαρκῶν ἐνεργούσας πνευματικὰς ἐξουσίας ἐμφύτων παθῶν.*

IV. THOMAS AQUINAS.

In novem saeculis, quae inter renatas litteras et vivam veterum doctrinam tenebras suas interponebant, nemo plus apud theologos valuit, quam Thomas Aquinas, qui peccatum originale ad ultima sua elementa sic redegit. Nam quum Augustinus, ut videbatur, affirmasset concupiscentiam esse absolute et formaliter peccatum originale (vide Wiggers, *in primam secundae D. Thomae Aquinatis Commentaria.* Lovanii MDCXXIX. pp. 277 sqq.), Thomas duplicem ibi peccati materiam agnovit. Ait enim (*Comment. in Epist. Paul.* Parisiis MDXLI. fol. 27 *a. ad Rom.* VII, 7): »Concupiscentia, de qua hic loquitur, est generale malum non communitate generis vel speciei, sed communitate causalitatis. Nec est contrarium, quod habetur *Eccle.* XX. *Initium omnis peccati superbia.* Nam superbia est initium peccati ex parte aversionis. Cupiditas autem est principium peccatorum ex parte conversionis ad bonum commutabile.« Quocum mirum in modum consentit vir ornatissimus, Henricus Brooke, qui abhinc annos fere centum in ficta, quam scripsit, relligiosi argumenti narratione (»*Fool of Quality*«, vol. II, p. 140 ed. C. Kingsley. London 1859) Mentorem suum sic loquentem inducit: »These two capital sins of *pride and lust* are the general parents of all moral and natural evil, of all the guilt or misery that ever did, or ever can, rise throughout duration; and our heavenly Father, in his love, hath

appointed intense suffering to abate and abase the *one*, to mortify and slay the *other*, that transgressors may finally be capable of his mercy, through the Salvation and Grace of his Christ.« Obiter moneo Thomae Aquinatis de summo bono sententiam prorsus Jasharanam esse; ponit enim »homines consequi ultimum finem cognoscendo et amando Deum« (vide Wiggers, p. 37).

V. HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA NETTESHEIMENSIS.

Hactenus eos citavi, qui mihi summatim atque universe adstipulantur. Nunc autem ad eum venio, qui in singulis rebus ita mecum consentit, ut scrinia ejus compilasse videri possem, nisi scripta illius viri ex memoria hominum jam diu excidissent, et mihimet ipsi reservaretur singularem illam meorum verborum praeoccupationem ex oblivione revocare. Is est Cornelius ille Agrippa, qui quum litterae jam renascerentur haud ultimum sibi in Germania honoris ac famae titulum vindicavit. Qualis ille vir fuerit nuper resciverunt nostrates ex Morleii libro (*The life of Henry Cornelius Agrippa von Nettesheim*. London 1856), ubi tamen perquam brevis est relatio de tractatu, quem citaturus sum. Ineunte anno MDXVIII, Agrippa publici juris fecit *Declamationem de originali Peccato* quam dedicavit »reverendo in Christo Patri ac Domino, Sacrae Theologiae Doctori, Domino Theodorico Episcopo Cyrenensi, Archipraesulatusque Coloniensis a suffragiis« (*Henrici Cornelii Agrippae ab Nettesheym Opera* Lugd. MDC. Pars Posterior pp. 413—425). Cujus opusculi locos quosdam non gravabor cum lectoribus communicare.

Sic igitur opinionem suam declarat (p. 415): »Non aliud fuisse originale peccatum quam carnalem copulam viri et mulieris, quod ita esse in quodam dialogo nostro de homine paucis quibusdam sacrarum litterarum conjecturis persuasimus, sed nunc idipsum paulo diffusius (succincte tamen) ostendemus. Nam

Moyses ipse, per parabolam contemplatoribus amicam, exponens lapsum primorum parentum, nequam quendam daemonem, callidum atque versutum, saluti humanae invidum, homini inhaerere docet, quem serpentem appellat, cujus fraude primi parentes, et omnes, qui ex his geniti sunt, immortalitatis beatitudinem amiserunt: hunc serpentem non aliud arbitramur, quam sensibilem carnalemque affectum, imo quem recte dixerimus ipsum concupiscentiae genitale viri membrum, membrum reptile, membrum serpens, membrum lubricum, variisque anfractibus tortuosum, quod Evam tentavit atque decepit. Cui recte serpentis nomen similitudoque congruit. Nullum itaque alium daemonem Evam tentasse arbitramur, quam illum, de quo ait Iob [1]): *Cujus virtus est in lumbis, et potestas in umbilico;* quem Paulus vocat[2]) *stimulum carnis et angelum Satanae.* Hic est ille Satan, qui persuasit lignum scientiae boni et mali; de quo vesci erat prohibitum, non quod invideret Deus homini scientiam boni, sed mali scientiam prohibuit: non vetuit homini sapere, sed plus sapere quam oportet. Nulla autem alia est illa scientia mali, scientia superfluitatis, nisi scientia carnis, scientia impudicitiae.«

(p. 418.)[3]) »Hoc nunc primum ex maledictione partus ostenditur, ut quem mater in voluptate carnis conceperit, in dolore pariat, ac si dicatur[4]): *Ecce concepit injustitiam, parturiit dolorem, peperit iniquitatem, lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit, convertatur dolor ejus in caput ipsius et in verticem ejus iniquitas ipsius descendat.* Accedat ad haec naturae quaedam indignatio, cum nec opprimitur virgo, nec parit mulier sine sanguine. Sed videamus quod secutum est. Duos filios genuit Adam[5]), primum Cain, qui per transgressionem conceptus est, filius peccati, filius sanguinis, invidus, homicida, desperans de misericordia Dei, neque enim nasci po-

[1]) Iob. XL. — [2]) 1 Cor. XII. — [3]) Gen. III. — [4]) Psalm. VII. — [5]) Gen. IV.

terat bonus, qui cum tanto malo conceptus erat. Alter vero filius conceptus est Abel, conceptus post poenitentiam transgressionis, filius misericordiae et justus[1]). Hic virgo occiditur, prima hostia accepta Deo, in expiationem carnis, qui sordes nuptiarum carnis abluit cruore martyrii. Sequitur hunc tertius filius Seth[2]), cujus nomen resurrectionem sonat, ex eo enim nasciturus erat Jesus Christus, per quem a tanto lapsu aliquando resurrecturi eramus. Circa quod notandum est, quod cum Seth multos genuisse filios et filias legatur, Scriptura nullam foeminam genitam nominatim exprimit. In generationibus autem Cain[3]), filii irae, novissime foemina Noema genita nominatur. Per quod eleganter significatur, generationem Cain (quae per carnalem marium, ac foeminarum copulam describitur) generationem esse peccati ad mortem, de qua nascuntur peccatores diluvio perituri: generatio autem Seth, generatio castitatis, et resurrectionis ad vitam, qui genuit Enos, quo significatur homo verus, tunc enim coepit invocari nomen Domini, et haec generatio salvatur a diluvio aquarum.«

(p. 420.)[4]) »Successit post diluvium circumcisionis signaculum ad Abraham Deo dilectum, poena simulac medicina peccati originalis[5]), quae facta est in praeputio, in eo quidem membro, in quo primus parens peccaverat, ut videlicet peccatum originis et naturae in ipso quoque naturae et originis membro obtruncaretur, imprimereturque in ipso libidinis membro transgressae continentiae castitatisque memoria. Verum quia peccatum hoc a patre masculo, non a matre foemina contrahitur, eo quod mulieres nasciturae proli nullam vitae formam addere, sed corporis materiam duntaxat ministrare existimantur, ideo mu-

---

1) Gen. IV, 5. — 2) Gen. V. — 3) Gen. IV. — 4) Gen. XVII.

5) Similiter Erasmus, Agrippae aequalis, de circumcisione loquens, »moderatur et illa«, inquit (*Conviv. Prof.* Colloqu. p. 92), »coitus pruritum et cruciatum affert.«

lieres incircumcisae manserunt, sed datum est illis praeceptum purificationis post partum. Antequam circumcideretur Abraham genuit Ismaelem ex ancilla secundum carnis voluptatem, post circumcisionem vero vetulus ac frigidus, supra carnis affectus ac naturae vires, ex Sara, sterili ac decrepita foemina, genuit Isaac, filium promissionis, in quo, jubente domino, vocatum est illi semen, ejecto filio ancillae, filio carnis. Iste Isaac tandem ex sterili uxore genuit Jacob, ex cujus foemore duodecim tribus populi promissionis prodierunt. Tandem Jacob, postquam luctantem secum dominum vicerat, foemur ejus emarcuit, et generare cessavit, et tunc vocatus est *Israel,* hoc est *videns Deum,* juxta verbum ejus dicentis: *Vidi Dominum facie ad faciem;* nam per coitum aperiuntur oculi, ut videamus mortem, per continentiam autem meremur videre regnum Dei. Longum esset omnia recensere, quae exemplo esse possent, et quomodo Isaac, Iacob, Sampson, Joannes Baptista, Maria mater Christi, et plures alii, per quos nobis salutis amissae restitutio promissa est, omnes ex senibus et sterilibus parentibus supra naturae vires carnisque concupiscentias geniti sunt, ut liquido pateat carnis libidinem odio fuisse Deo etiam in uxoribus.« Declamatio Agrippae sic explicit: »Sed satis est nobis ad praesens propositum admonuisse, quod in dialogo de homine exposuimus, alio semine homines nascituros fuisse in statu innocentiae, quam quod per carnis corruptionem deflueret, dummodo praesenti sermone, quod fuerat quaesitum, peccatum originale recte invenire potuimus; quod si minus recte assecutus sum, fateor me opinionem scripsisse, non fidem, non scientiam: opinionem autem talem, cui nec ego aliter assentior, nec aliter quenquam assentiri volo, nisi quatenus a Sancta Christiana Ecclesia non fuerit reprobata.«

Accepto Agrippae libello, Theodoricus ille episcopus ad opinionem amici sui sic breviter alludit (*Epistolae Henrici Cornelii Agrippae ad familiares et eorum ad ipsum,* Liber I, Ep. XVIII,

p. 60): »Opinionem tuam, mi Corneli, de ipso originato in nobis vitio diligenter perlustrando ex toto examinavimus. Forte ex nobis aliquid exspectas judicii. Res haec immensum pondus habet. Est equidem inter theologos abstrusa ista consideratio non minima, ingenio vix mortalium ad amussim perscrutabilis. Est attamen theologizantium consona omnium sententia; originalem maculam illic esse non posse, ubi rationalis anima non est. Sed hoc satis.«

Cui sic respondet Cornelius (Epist. XIX, p. 62): »Ais in epistola tua communem Theologorum sententiam esse originalem maculam illic esse non posse, ubi anima rationalis non est. Teneo hanc sententiam: sed cum originale peccatum tale fuerit, quod totum hominem, videlicet ex anima divina, spiritu coelesti, corporeque elementali constitutum, totum, inquam, simul ac seorsim, in toto ac singulis partibus suis, a pristina nobilitate dejecerit, dicerem originale peccatum tale quiddam fuisse, in quo omnes et singulae hominis potentiae, tam rationales quam sensuales et vegetativae et corporeae, simul a lege data deficientes hujusmodi in actu revera concurrerunt. Esto itaque peccatum originale sedem habuerit in potentia rationali, quae sensibus carnique acquiescens, consensit in culpam; oportuit tamen consensum illum sic jam depravatum, etiam deductum fuisse in actum corporis. Erit itaque originale peccatum effectus sive actus aliquis depravatae rationis seu voluntatis, sed deductus in corporis exercitium, ubi actus ille jam verus fuerit, non simulatus, non cogitaticius, non imaginarius. Tale peccatum nullum aliud invenio, praeter peccatum carnis, dicente apostolo Paulo, *omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur etiam in corpus suum peccat.* Sed dicet aliquis, Etiam, qui concupierit mulierem jam fornicatus est illam: dico, Fornicatus est illam in animo suo: tamen non est is effectus concupiscentiae in ratione et imaginis in phantasia, qualis rei inest realiter.

Quin et scrutemur id nunc etiam in rationali potentia, et cujusmodi fuerit illius lapsus requiramus. Supremus certe et unicus rationis actus religio est, quae videlicet ab initio praecepta fuit homini, scilicet unius solius ac veri Dei creatoris verus atque unicus spiritualis cultus. Depravata autem ratione, serpente magistro, mox tota religio non nisi ad carnis libidinem collapsa est. Hanc homines, tanquam summam felicitatem, sectabantur, et sordidissimus Priapus, primordialis peccati organum, pro Deo habitus est. Huic sacrificarunt, huic templa omnia prima dedicata, illius spurcissima simulacra primum omnium exstructa: hunc coluerunt primi illi religionum artifices, Chaldaei, Aegyptii, Assyrii, Babylonii, Arabes, Scythae, Phoenices, Aethiopes; et perinde tota Asia, Africa, Europa: nec fas erat ullum sacerdotem fieri, qui Priapi sacris prius non fuisset initiatus. Hic est ille *Belphegor*, idolum omnium antiquissimum, quod et *Chamos* dictum est, a Chamo filio Noe: qui, teste Beroso, idcirco *Esenna* cognominatus est, hoc est, *impudicus*, sive *ignominiosus propagator*; is enim primus foedam hanc depravatae rationis religionem a priscis illis et ante diluvium gigantibus acceptam rursus post diluvium instauravit. Hinc illa orgia, bacchanalia, priapalia, ceteraque turpissima sacra prodierunt: hinc Venus, Cupido, pudenda Osiridis, Panes, et Satyri, ipse denique foetens hircus, quod luxuria salax esset, pro diis recepti sunt. En vides nunc ex rationalis potentiae lapsu jam nullum antiquius peccatum elici posse, quam libidinis et fornicationis, quodque humana ratio libidinis cultum praetulerit contemplationi divinae. Hinc cum omnia et singula hominis membra non, nisi jubente rationalis animae voluntate, moventur ad opus, solum genitale membrum sic libido obstrinxit, sic peccatum imperio suo mancipavit, ut si haec defuerit, aut non ultro vel excitata surrexerit, moveri ad opus omnino non possit. Ipsum igitur opus libidinis mihi fuisse videtur hoc primordiale humanae naturae peccatum, totiusque

humanae naturae corruptela, cujus in hunc usque diem pudet homines, intuentiumque oculos erubescendo devitant: atque, ut inquit Augustinus, *Magis fert homo spectantium multitudinem, quando injuste irascitur homini, quam vel unius conspectum, quando juste miscetur uxori.* De his quod superest, manet alta mente repostum, donec tecum colloquar.«

VI. ROBERTUS FLUD.

Agrippae rationem instauravit Robertus Flud vel Fludd, Britannus, qui Oxoniae nutritus medicinae operam navavit ineunte saeculo MDCCmo, et, quum factus esset Hermetis Trismegisti discipulus, et Crucis Roseae scientia se imbuisset, inter alia, quae conscripsit opera, edidit, sub ficto nomine Rudolfi Otreb, *Tractatum Theologo-Philosophicum de vita, morte et resurrectione,* quo demonstrare conatus est corporis amorem et concupiscentiae carnalis effectum causas fuisse lapsus Adami et infelicitatis, quae posteros ejus exerceat. Nam ut multa alia, quae de illo argumento dixit, silentio praeteream, summam totius rei sic explanavit (p. 90): »Jam tum cognovit Adam mundum cum carnalis concupiscentia appetitusque fabricandi sibi similem eum invasisset. Nam carnalis appetitus seu concupiscentia carnis est praecipua illa res cujus voluptate Diabolus filios Dei solicitat atque a Deo abstrahit[1]). Nam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia, quibus omnibus affectus est Adam, ut, quum primum mundum diligere incoeperit, ejus[2]) amore carnali amiserit caritatem Patris ac Creatoris sui, quam habebat. Nam impossibile erat, ut versaretur circa carnales, tenebrosos, et corporales appetitus, si virtus ejus contemplativa non cecidisset a Deo, et participasset cum principe tenebrarum, secundum illud Mercurii Trismegisti supra allegatum; quoniam Adam erat totus intellectualis et divinis contem-

1) 1 Joann. II. — 2) 1 Joann. II.

platiouibus raptus ante casum suum, sed sensualitate semel submerso clausi sunt ei statim oculi spirituales, atque[1]) oculi ejus corporales fuerunt aperti, unde percepit se nudum esse et pudebat eum nuditatis sui corporis, quam ante non respiciebat. Sed ut manifestioribus adhuc argumentis et circumstantiis confirmemus hunc Adami lapsum a mulieris cognitione et corporali amore originem suam sumpsisse, *quinque* in directa sacrarum Litterarum serie diligenter a vobis ponderanda esse velimus. Quorum *primum* erat, quod Deus videns non esse bonum, quod homo maneret solus, fecit ei adjutorium ei simile, non ut concupiscentia carnali, quae est mundi voluptas, afficeretur cum ea, sed ut esset adjutorium ei et comes in vita sua contemplativa. *Secundum*, quod post factum inobedientiae, oculi ejus mundani cum illis Evae aperti fuerint, et ipse una cum Eva cognoverint se nudos esse, hoc est, quod pudenda, seu partes eorum secretiores, detectae et manifestae essent. Nam conscientia ductos eos pudebat suarum partium peccantium patefactionis, quibus a Deo suo Domino defecerunt. Hinc credo fit, quod usque ad hunc diem, apud omnes gentes, tam civiles quam barbaras, instinctus naturae atque pudor incognitus faciat homines membra haec secreta, tam virilia quam muliebria, tegere atque occultare, ac si primi eorum parentes, peccati verecundia atque admonitione, Dei voluntate hoc fecissent. *Tertium* ex maledictionibus serpenti, mulieri, et Adamo effusis ab ore Domini, quae semper ad loca peccantia relationem habuerunt. Maledictio ergo serpenti imposita erat talis. *Ponam*[2]), inquit Jehova, *inimicitias inter semen tuum et semen mulieris; ipse conteret caput tuum* etc. Hic ergo manifestum est, quod serpentis maledictio ex utero et semine mulieris debeat egredi, tanquam ex loco peccante, quoniam ipse fuit inventor gravissimi hominis peccati et productor homicidii prioris in hoc mundo; maledictio autem mulieri infligenda, erat

[1]) Gen. III. — [2]) Ibid.

inflicta contra partem ipsius peccantem; dixit enim Dominus mulieri[1]), *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios,* etc. Ex quibus patet, quod mulieris maledictio erat circa ejus uterum seu matricem. Adami denique maledictio erat, ut ipse cum semine seu posteritate in sudore vultus sui vesceretur pane. *Quartum,* quod Cain, Evae primogenitus, verum seminis iniquitatis et Diaboli habitaculum, radicem posuit et originem mysterii iniquitatis, a cujus fonte seminaria Diabolica ad hunc usque diem continuata sunt. Nam ut Diabolus, ejus pater spiritualis, erat primus mundi homicida, sic etiam ille non modo homicida[2]) sed fratricida factus est; hoc ergo erat primum atque evictissimum maledictionis divinae signum in semine inobedientiae, quo actionem carnalem Adami fuisse coram Deo abominabilem luculenter declaratur. *Quintum* erat pactum inter Deum[3]) et Abrahamum et semen ejus post ipsum, quod scilicet circumcideretur ex ipsis omnis masculus, hoc est, caro praeputii eorum circumcideretur, quam quidem circumcisionem fecit Deus signum foederis inter ipsum et Abrahamum cum successoribus ejus, in quo quidem Dei mandato maximum delitescit arcanum, hanc nostram opinionem confirmans; nam cur posuit Deus signum foederis sui cum Abrahamo in illo loco, nisi quia illud membrum concupiscentiae effectus auctor et causa signaretur pro pacto illo?«

Sed haec hactenus. Praetereo enim alios, qui vel parum diligenter vel parum sobrie in hoc versati sunt argumento. Qualis fuit cavillator ille festivus, Montfaucon-de-Villars, qui Cabbalistas Judaicos secutus aperte declarat (*Entretiens du Comte de Gabalis,* Par. MDCLXX. Lond. MDCLXXX. p. 110): »Le crime d'Adam est autre chose qu'avoir mangé le pomme. Quoy! estes vous du nombre de ceux qui ont la simplicité de prendre l'histoire du pomme à la lettre? Ha! sçachez, que la langue sainte use de ces innocentes metaphores pour éloigner de nous les idées peu honestes d'une action

---

[1]) Gen. III. — [2]) Gen. IV. — [3]) Gen. XVII, 10.

qui a causé tous les malheurs du genre humain. Ainsi quand *cant.* VII, 7, 8, Salomon disoit, je veux monter sur la palme, et j'en veux cueiller les fruits, il avoit un autre appetit que de manger les dates. Le sage démêle aisément ces chastes figures. Quand il voit que le gout et la bouche d'Eve ne sont point punis, et qu'elle accouche avec douleur, il connoist que ce n'est pas le gout qui est criminel. Et decouvrant que fut le premier péché par le soin qui prirent les premiers pécheurs de cacher avec des feuilles certains endroits de leurs corps, il conclut que Dieu ne vouloit pas que les hommes fussent multipliés par cette lache voye.« Neque aliam fuisse Joannis Miltoni sententiam satis apparet ex effectu, quem vetiti fructus excitationi attribuit (*Paradise Lost,* lib. IX prope finem). Quid quod Rosenmuellerus pronuntiavit generis nostri parentes ex felici infantiae suae simplicitate excessisse, quum primum ratio expergisci coepisset? »Quod ipsum«, inquit (*Schol. in Pentateuchum* I, p. 107), »quum in homine fieri observatum esset tum, quum, e puero egressus, ad eos annos venit, ubi desiderii alterius sexus igniculos sentire incipit; ex vetusti philosophantis poetae mente etiam primi illi mortales perniciosissimo rationis dono non prius affectos se senserunt, quam quis maris esset, quis foeminae usus cognovissent.« Et nuperrime auctor opusculi cujusdam vilissimi pretii, quem vulgo ferunt, et ego credo, Archiepiscopum esse Dubliniensem, Ricardum Whately (*Tractatus tres de arboribus scientiae et vitae* etc. Stuttgartiae, 1849) ponit »appetitum sexus ante casum non fuisse et fructui arboris scientiae proprietatem fuisse physicam inserendi educendique affectum huncce, proprietatem nempe vix magis mirandam iis, quas pharmacis quam plurimis inesse satis notum est.« Quid multa? Omnes fere, qui de hac narratione simpliciter ratiocinari voluerunt, quisque suam viam ingressus, ad eundem finem pervenerunt, scilicet, historiam lapsi Adami allegoricam esse, et Adami culpam in sexualis concupiscentiae abusu quodammodo constitisse.

Quod si quis quaesierit, quare Judaei ipsi, atque is praesertim qui Pentateuchum edidit, ex perspicuo hoc allegoriae sensu decedentes, malum quendam Daemonem effinxerint, qui serpentis formam indueret, ut Evam ad peccandum calliditate sua induceret, facilem is sibi responsionem inveniet, modo meminerit, quo tempore Pentateuchi editor ad operam se suam accingeret. Nam quum satis superque constet, Judaeos, qui in regione Babylonica, et sub dominatione Persarum tam diu vixerant, inde secum in Palaestinam deportasse Zoroastri dualismum et elaboratam illam daemonum angelorumque doctrinam, quam postea amplectebantur (Rénan,[1]) *Etudes d'histoire religieuse,* p. 125), nemo dubitabit, quin Masorethicus ille scriba vetustam Jasharani vatis allegoriam ad Zoroastricam disciplinam accommodaret, qua docemur Ahrimanem, malorum geniorum ducem summum, qui cum Ormuzda perpetuas exerceat inimicitias, serpentis specie indutus, primos homines ad peccandum sollicitasse (*Zendavesta* ed. Kleuker. vol. I, p. 25. III, 84 sqq.). Haec ratio per totam fere Asiam gliscebat, et in .varias abiit mythologias et philosophias (vide Baur, *die christliche Gnosis* pp. 179 sqq.; Lassen, *Indische Alterthumskunde* III, pp. 401 sqq.). Et inversa quodammodo fabula per Phoenices ad Graecos delata est, qui crediderunt Herculem serpente arboris custode devicto aureis Hesperidum pomis vi potitum esse. Christiani autem, qui omnem suam Veteris Testamenti notitiam ex Alexandrina versione hauriebant, haud facile sibi novas sacri codicis interpretationes elaborare poterant: ut mirum sit tam mature inventos esse, qui vetustam allegoriae nostrae significationem explorarent.

---

1) Vir ille doctissimus, qua est humanitate, non dedignatus est mihi per litteras significare se ea sententia, quam in nota ad p. 83 posuit, nihil aliud declarare velle, nisi quod mea ratio ab usitata Germanorum traditione haud mediocriter sibi videretur decedere.

EXCURSUS III.

DE DUPLICI HOMINUM PRIMAEVORUM STEMMATE.
(p. 99.)

Quod dixi supra (pp. 99, 105) genealogias antediluvianas confusas esse inter se et commixtas, neque ullo pacto cum historica veritate conciliari posse, id ita perspicuum est, ut peritiori cuivis injuriam fecerit, qui talem causam demonstrare conetur. Sed tamen nihilominus operae pretium erit breviter indicare, quomodo Pentateuchi editor, si sub finem exsilii Babylonici officium illud suum exercebat, talem nominum recensum concinnare potuerit, et qui factum sit, ut ex duplici origine ad eundem Lamechum descenderet.

Meo igitur judicio — id quod supra declaravi, sed brevius fortasse quam oportebat — vetusta et genuina Judaeorum genealogia sic est constituta:

Adam vel *Enosh* (i. e. homo)

- 1. *Shem* (i. e. nobilitas) vel *Seth* (i. e. eminentia)
  - 1. *Qain* (i. e. agricolae)
    - 1. *Chanok* (i. e. oppidorum conditores)
    - 2. *Quainan* (i. e. latrones et homicidae)
  - 2. *Habel* (i. e. pastores)
    - *Eber*
      - *Abram*
        - *Abraham*
          - 1. *Ismael*
          - 2. *Isaac*
            - 1. *Esau* vel *Edom*
              - Quenitae et Amalekitae
            - 2. *Jacob* vel *Israel*
              - *Israelitae* duodecim tribubus partiti.
          - 3. *Keturidae*
- 2. *Cham*
  - Cananaei et Egyptii.
- 3. *Japet*
  - Regionum exterarum incolae.

Quam simplex sit et rei naturae consentanea haec populorum tabula vix opus est ut longo sermone ostendam. Nam quum Israelitae, regnantibus Davide et Solomone, alias gentes, si circumjacentes populos excipias, parum cognitas haberent, ni mirum omnia ad suam stirpem referebant, ceterosque non nisi obiter et strictim commemorabant. Unde factum est, ut Semitis primogeniturae honorem tribuerent, proximo loco ponerent Chamitas, quibuscum in Palaestina et Aegypto tamdiu versati erant, et ultimos nuncuparent Japetidas, qui longinquiores regiones incolebant. Nomina, quae suae stirpi indiderunt, synonyma erant et majestatem quandam ac dignitatem significabant. Fuerunt enim ista nomina, primum, ut constat, שֵׁם, i. e. *nomen celebre, fama, gloria,* alterum autem, ut ego suspicor, שֵׁת vel שְׂאֵת, i. e. *dignitas* et *majestas,* vel *principatus* primogeniturae proprius (supra p. 109). Ac praeter dignitatem, pietatis et relligionis initia Semitis illis vel Sethitis adscribebant. Nam quasi conjungeret nomina שֵׁת et שֵׁם, scriba nobis auctor est, »*Sethi* temporibus Italice coeptum esse vocare in *nomine* Jovae (*Gen.* IV, 26)«. Ab hac primaevae relligionis simplicitate primi desciscebant agricolae Semitae, qui postquam pios pastores homicidiis et perduellionibus infestarant, oppida sicut impii Chamitae condiderunt et urbanae se vitae vitiis polluebant. Atque hic quidem duplicem illam habemus ejusdem vocabuli significationem, quam supra in textu (p. 106) notavi. Nam terra נוֹד, in quam confugit Quain, non modo לוּד, i. e. Lydiam vel Asiam minorem significat, verum etiam ad priscas Amalequitarum sedes spectat. Nobis enim auctor est vir doctissimus Julius Fuerst (*Handwörterbuch* I, p. 665) sub designatione לוּד intelligendum esse: »Nomen proprium eines semitischen Landes und Urvolkes (*Gen.* X, 22), von dessen Wohnsitz und abgeleiteten Stämmen die Schrift zwar nichts berichtet, das aber die arabische Sage zum Ursprunge des Stammes עֲמָלֵק macht (Abulf. *hist. anteisl.* p. 16), welche in der Schrift bereits

als Urvolk (ראשִׁית גּוֹיִם) genannt ist (*Num.* XXIV, 20).« Unde intelligamus licet ad impiam illam agricolarum stirpem referendos esse non modo corruptos oppidorum incolas, verum etiam vagabundam latronum propaginem quales fuerunt Amalequitae. Quum tamen oppositio illa, quae inter Quainum et Habelum intercessit, in altero fratrum pari, Esavi scilicet et Jacobi, recurrat, secundus ille Quain, sive is Esavus, sive Edom, sive Lamechus nuncupatur, non modo varias artificum familias gignit, sed Amalequitas etiam quasi spuriam subolem inter suos natos numerat. Quinetiam, ut nomen Lamechi significat, confunditur ille quidem cum Graecis iis latronibus et mercenariis militibus, qui mediterranei maris oram frequentabant.

Quod si generis humani delineatio ex mente Jasharani scriptoris talis esset, qualem supra adumbravi, haud difficile erit conjectura assequi, quomodo editor ille post-Babylonicus catalogos suos confinxerit. Nam inter Chaldaeos degens resciverat priscos homines vixisse sexcentos annos (Berosus aliique, *apud Josephum, Antiqu.* I, 3, § 9) et decem longaevorum regum prosapiam fuisse ab Aloro primo rege usque ad Xisuthrum, sub quo magnum illud diluvium contigisset (Berosus, *apud Euseb. Chron.* p. 5 ed. Mai). Hos igitur annales imitari voluit, et quum aetatem cujusque Patriarchae ingeniosissime computasset, decem nominum catalogum ex arbitrio construxit. Ac primum quidem, ut jam dudum observavit Philippus Buttmann (*Mythologus* I, pp. 170 sqq.), septem nomina in utroque catalogo (*Gen.* IV. V) sibi invicem respondent, modo in cap. IV *Mahujaelis* sedem cum *Chanoki* permutaveris. Habebis enim

c. IV.	c. V.
Adam, i. e. homo,	*Enosh*, i. e. homo,
Quain	*Quainan*
Chanok	*Chanok*
Irad	*Jared*
Mahujael	*Mahalalel*
Methusael	*Matushelach*
Lamek.	*Lamek.*

Ad orthographiam nominum si spectaveris, videbis illico vocabula, quae in priore genealogia exhibentur, corruptas esse nominum in altero catalogo traditorum formas. Haec enim facilem habent intellectum, illa autem explicari nequeunt. Nam si Ewaldum sequimur (I, p. 314), *Chanok*, Indorum *Ganaeca*, h. e. annui temporis inventor, genuit *Jeredum*, Indorum *Varunam*, h. e. aquae praesidem et navigationis repertorem (cf. יַרְדֵּן, i. e. *fluvius*); *Jered* autem genuit *Mahalal-elem*, h. e. Dei-splendorem, vel Prometheum quendam, qui ignis usum indicavit; deinde *Mahalal-el* genuit *Metushelachum*, h. e. virum hastae, vel Martem aliquem, qui armorum usum intulit; denique *Metu-shelach* genuit *Lamechum*, Graecorum *Λάμαχον*, h. e. armatos homines et latrones, qui vi et armis victum quaerebant. Atque hunc catalogum septenarium ex septem Indorum *Rajápatibus* haud scio an mutuati sint Persae Chaldaeique. Quum tamen ad Babylonicam decem virorum genealogiam transire vellet scriba Judaicus, satis festinanter ille quidem et inscite rem suam profligavit. Nam ad vetustam Judaeorum genealogiam confugiens, et synonymos *Adamum Enoshum*que bifariam dividens, *Sethum* his interposuit, atque ita, quasi uno litterarum ductu vel momento turbinis, ex septem nominibus novem confecit. Quemadmodum *Noacho* ultimum in hoc catalogo, primum autem in postdiluviana genealogia locum assignaverit, eidemque Xisuthri partes tribuerit Judaeus noster, equidem in quinto excursu demonstrare conabor. Quodsi quaeris, qui factum sit, ut abolescerent tres illi Lamechi filii, et vacuam illorum hereditatem Noachus cerneret, ingeniosissimam tibi conjecturam impertibo, quam mecum per litteras communicavit vir quidam doctus, quem nunquam coram vidi, qui tamen, ut scribit, meas in hoc libro rationes prolixissimo favore, et certa persuasione accepit. Ille igitur, quum mecum in *Lamecho* Esavum, qui est אדום, agnoscat, hoc nomen cum אדם facile confundi posse existimat. Itaque quum Shemi vel

Sethi liberos in Lamechi progenie quadamtenus repetitos habeas, nam Lamecho tribuuntur יבל pastorum pater, qui opilionem הבל repraesentat, et תובל קין, fabrum illum ferrarium, qui homicidam קין iterare potest, factum est, ut Lamechi vel *Edomi* filii cum Shemi filiis permutarentur, atque hi ad synonymum fere *Adamum* praepostera quadam adoptione transirent.

EXCURSUS IV.

DE
CRETENSIBUS ALIISQUE ARIAE STIRPIS BELLATORIBUS,
QUI IN PALAESTINA MILITIAM EXERCEBANT.
(p. 128.)

Vix opus est, ut novis argumentis demonstrare coner Lamechi nomen Graecum esse, quum vel Henricus Ewald, vir confidentissimus, Semiticam quam tentaverat (*Gesch. d. Volkes Israel* I, p. 315) vocis etymologiam jam dereliquerit, et in eandem mecum sententiam concesserit. Ait enim (*Jahrb. d. bibl. Wissensch.* VI, [1853—1854]) p. 2: »Der Mannesname *Λάμαχος Gen.* V, 25. IV, 18 kehrt in Pisidien wieder (*C. Inscr.* n. 4379[m.]); der Frauenname *Ἄδα Gen.* IV, 19. 23, vgl. XXXVI, 2. 4, ebenfalls in jenen Gegenden (*C. Inscr.* III, p. 333« [n. 4692: »*Ἄδα* nomen notum ex familia regia Cariae — vide Arrian. *Exped. Alex.* I, 23: cf. vol. I, n. 1570[b.] VI, 35, 45 et vol. II, n. 3007.« Böckh.]). »Dies Zusammentreffen ist um so denkwürdiger, da beide Namen in Israel später sich nicht mehr finden.« Accedat tamen, quod, si *Ada* quoque Caricum nomen est, illud praesertim valet ad demonstrandum Lamechi nomen nihil aliud esse quam argutam designationem vel epitheton significans mores Esavi illius, quem ejusdem mulieris maritum perhibebant. Nam nisi inter se confunderentur Semiticus ille latro et bellicosus Ariae gentis heros, quem Martis loco venerabantur Cares aliique conducticii milites, qui in Mediterranei maris ora aliena stipendia merebant, quid Esavo rei esse potuisset cum Carica muliere cujus nomen alibi non legitur? Quod maximi est momenti, quum *Λά-μαχος* et *μάχαιρα* ean-

dem prae se ferant radicem *μαχ-*, quae recurrit etiam in Sanscrit. *mash* vel *mush* »ferire«, »occidere«, »laedere« (Bopp, *Glossar.* pp. 260, 268), Anglo-Sax. *méce*, Vet. Sax. *mâki*, Island. *maekir*, »gladius« (Grimm, *Deutsch. Gramm.* II, 511. III, 440), ipsum illud vocabulum *μάχαιρα* obviam venit in Jacobi cantilena, quam Joannes C. Friedrich Nathani prophetae attribuit, et inter Davidis satellites est, qui appellatur הַמְּכֵרָתִי, i. e. *ὁ μαχαιροφόρος*, *gladiator*, vel qui se potuit, ut Antemenidas ille (supra p. 309) *μαχάταν βασιλήϊον* nuncupare (1 *Paralip.* XI, 36). Quum in loco parallelo 2 *Sam.* XXIII, 34 scribatur אֱלִיפֶלֶט בֶּן־אֲחַסְבַּי בֶּן־הַמַּעֲכָתִי recentissimi editores Thenius et Bertheau hic quoque inferciendum censent istud הַמַּעֲכָתִי, scilicet intelligentes hominem quendam ex Syriae tractu מַעֲכָה. Sed illud, ut mihi quidem videtur, nihil aliud est, quam sanum locum corruptissima lectione inquinare. Et quum nomen מַעֲכָה saepissime obviam veniat, vix fieri potuit, ut scriba nostrum הַמְּכֵרָתִי per incuriam sufficeret. Si autem nomen מְכֵרָה *gladium* denotat, facile est perspicere, quare חֹפֵר aliquis tali appellatione gauderet. Nam radix חָפַר significat *fodit, cavavit;* ergo חֹפֵר est *confodiens, confossor*, i. e. *μαχαιροφόρος*. Talem designationem ad satellites, carnifices, aliosque milites praetorianos pertinere posse, satis ostendit vocabulum טַבָּח (*Gen.* XXXVII, 36) a radice טָבַח, *mactavit, trucidavit.* Quid quod radix חוּר, קוּר vel כּוּר huc quoque referendum est? Nam פ in ו saepissime transit. At enimvero sunt, quibus placuerit illud הַכָּרִי (2 *Reg.* XI, 4, 19) vel הַכְּרֵתִי (2 *Sam.* XX, 23) ad כּוּר vel כָּרַת referre, quos tamen *Caras*, *Cretenses*que fuisse mihi certissimum est. Constat enim has nationes ab antiquissimis usque temporibus latrocinium exercuisse passimque mercede conductos militasse. Ita in Aegypto Psammitichus Caras habuit satellites (Herod. II, 152). Ita in Cypro ut supra monui (p. 196), Onesilus fidum habuit pedissequum ex Caria oriundum qui *δρεπάνῳ* armatus eximiam praestabat in proelio operam (Herod. V, 111, 112). Quinetiam Cares

Graecorum armaturam, qualis postea fuit, primi invenerunt (Herod. I, 171. cf. Thucyd. I, 8). Quid igitur magis verisimile, quam quod Cares isti mercenarios milites regibus Israelitarum commodaverint, et nomina ipsorum appellativa in peregrinam tellurem intulerint? Quid sibi velint ethnica designatio *Κὰρ* et derivatum vocabulum *Κρής*, mitto quaerere. Nihil autem naturae magis est consentaneum quam Israelitas in sua ipsorum lingua quaesiisse peregrini nominis explanationem, quae praetorianorum indolem apte describeret; et quum antiquissima radicis *καρ-* vel *γαρ-* forma labialem sibi litteram adjungeret (cf. *kira, gera, kara, χαράσσω* cum *kerva, γράφω, scribo,* Varron. p. 221 ed. III, et similiter radices *χα* et *χαF,* New Cratylus § 323), crediderim *Caras* quoque, sicut *Καυνιούς,* primitus nomen aliquod habuisse, quod latiorem syllabam *ΚαFρ-* vel *Καυρ-* adhiberet, unde *Κύπρος* et כפתור formarentur, unde, quum ὁ *Κὰρ* vel *Καῦρος* ὁ *μαχαιροφόρος* audiretur, illico confingerent Hebraei הַפַּר הַמְּכֵרָתִי, et similiter *Λάμαχον τὸν δορυφόρον* in לֶמֶךְ בֶּן־מְתוּשָׁלַח commutarent. Et si quis objecerit formam הַמְּכֵרָתִי gentilitiam esse, is quoque meminerit Aeschylum *τὸ μαχαιροφόρον ἔθνος* commemorasse (Pers. 56). Thucydides quoque Thraces montanos inducit, quos *μαχαιροφόρους* appellat (II, 96. VII, 27. cf. Xen. *Cyrop.* VI, 2 § 10), tanquam si ea esset ethnica designatio. Ad vocem *μάχαιραν* quod attinet non temere est quod Solomonis aetate hoc ipso nomine utebatur vates Jasharanus ad denotandum Carum, Cretensium, Cypriorumque gladium. Nam quum Homerici bellatores tam *μάχαιραν* quam *ξίφος* ex cingulo suo suspenderent (*Il.* III, 271: *μάχαιραν ἣ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο*), illam potius ad caedendas victimis et parandas dapes adhibebant, hoc in pugna cominus gerenda usurpabant. Quippe *ξίφος* (a *ξύω, ξέFω,* cf. *βρύω, βρέφος*), haud aliter ac *ξύρον,* rectam habuit aciem, quum *μάχαιρα,* quae *κόπις* quaedam fuit vel *δρέπανον* (*δρεπάνη*), in falcis vinitoriae speciem curvabatur (Xen. *Equ.* IV, 11; Eurip. *Cycl.* 241; Plut. *Cleom.* 26). Exstabat

profecto *Δελφικὴ μάχαιρα*, quae, quum ad multiplices usus *πενιχρῶς* accommodata esset (Aristot. *Pol.* I, 2), curvam fortasse habebat in fronte, in dorso autem rectam aciem; fuit ergo *ξιφομάχαιρα*, et fieri potest, ut Euripides talem significet cultrum, quum Orestem, cui minus placeret *ὀρθὴ σφαγίς* (*Electr.* 811) vel *εὐκρότητος Δωρίς* (v. 819), dicentem inducit (v. 835): *οὐχ, ὅπως πευστηρίαν θοιναςόμεσθα, Φθιάδ᾽ ἀντὶ Δωρικῆς οἴσει τις ἡμῖν κοπίδ᾽, ἀποῤῥῆξαι χέλυν;* Hanc igitur *μάχαιραν* Plato (*Respubl.* I, 353) vel a *δρεπάνῳ* ad vites amputandas facto distinguendam putat. Quum autem serioris aevi Graeci nonnisi *ξίφος* vel rectum gladium in militando adhibebant et priscam *μάχαιραν* vel popis (unde Delphicus ille *Μαχαιρεύς*) (Strabo p. 421. cf. Pind. *Nem.* VII, 42) vel medicis (unde Aesculapii filius *Μαχάων*) relinquebant, tum statim, ut videtur, post Solomonis aetatem Hebraei *μαχαίρᾳ* illi Semiticum nomen חֶרֶב indebant, ita ut hoc fere quadringenties in sacris libris inveniatur, dum מְכֵרָה sit *ἅπαξ λεγόμενον*. In vetusta enim Persei fabula, quae ad prisca Phoenicum commercia ascendit, *μάχαιρα* vel *ξιφομάχαιρα* (vide Aristoph. *Thesmoph.* 1120 et Schol. ad loc.), quam *Γοργοφόνος* ille a Mercurio accepit, *ἅρπη*, i. e. חֶרֶב appellatur. Et Graecorum *ἅρπη* semper denotabat *δρέπανον* quoddam vel curvatam vinitorum falcem (*Anecd. Bekker.* 446, 12: *ἅρπην. δρέπανον. Σοφοκλῆς Νόμῳ Σατυρικῷ.* cf. Hesiod. *Op. et D.* 571). Prisca igitur et bellicosa significatione *μάχαιραν* tum dumtaxat Hebraei usurpabant, quum ipsa illa falx a Caribus recens illata erat: nam postea idem instrumentum illi quidem sua lingua nuncupabant חֶרֶב, Graeci autem *μάχαιραν* a militia ad dei cultum, vel medicinam, vel secandas carnes, vel vitium putationem transtulerant. Unde factum est, ut brevis Graeci vocabuli usus accurata sit Jasharani temporis notatio.

EXCURSUS V.

QUONAM TEMPORE DILUVIUM NOACHANUM EX ALLEGORIA RELLIGIOSA IN HISTORIAM PRAGMATICAM TRANSIERIT.

(p. 142.)

Prima in vetere Testamento et duplex illa quidem Noachi mentio apud eos prophetas invenitur, qui post exsilii Babylonici initium vaticinia sua litteris mandabant, Ezekielem dico et eum, qui Jesaiae opus supplemento continuavit. Ac de Ezekiele traditur eum coepisse quinto post deportationem anno vaticinari, et ad vicesimum septimum annum, si non diutius, prophetae munus sustinuisse (cap. XXIX, 17). Quis fuerit sublimis ille vates, qui Jesaiam continuavit, omnes nesciunt; nam temerarias Bunsenii hariolationes, Baruchum proferentis, equidem nihil moror; certissimis autem argumentis comprobatur magnificum illud magnificae scriptionis supplementum a Jehovicola quodam conscriptum esse, qui sub finem exsilii Babylonici theologi officio fungebatur. Si igitur quaerimus, quonam tempore Noachani diluvii traditio, ex allegoria, qualém eam fuisse arbitror, in pragmaticam historiam, qualem Pentateuchus exhibet, transire potuerit, considerandum est primum, num Ezekiel et alter ille Jesaias verum ac vivum hominem vel potius symbolicam atque allegoricam personam sub Noachi nomine intelligerent.

Ab Ezekiele (XIV, 14, 18, 20) inducuntur tresviri Noachus, Daniel, et Iobus, tanquam justitiae exempla: »si in qua-

piam regione a Deo vastanda hi tres viri fuerint, Noachus, Daniel, et Iobus, ii demum sua justitia vitam suam liberabunt, ait Jehova.« Inter hos tres viros, Daniel, si cui Maccabaicus iste liber fidem facit, Ezekielis ipsius coaevus fuit et, ut videtur, aetate minor. Quem quum Ezekiel, non modo ut spectatae virtutis exemplar, verum etiam ut virum cujus sapientia in proverbium cessisset (*Ezek.* XXVII, 3), lectoribus suis proponat, suspitio quaedam occurrit, vel veram esse Talmudistarum traditionem, Ezekielis vaticinia non antea litteris mandata esse, quam a magna Synagoga ederentur (Zunz, p. 157), vel exstitisse tunc temporis fictam Danielis personam, quae justi sapientisque viri in exsilio degentis fortunas exhiberet, cui postea Maccabaicus ille scriptor miras illas narrationes et *ψευδοπροφητείας* post eventum concinnatas in suorum gratiam accommodabat, eo adductus (ut Bleekio videtur, *ap. Rosenm. ad Dan.* I, 6), quod Danielem (*Nehem.* X, 6) et comites ejus Chananiam (Id. X, 23), Asariam (Id. X, 2), et Misaelem (Id. VIII, 4) Nehemiae fuisse aequales audiverat. Ac posse tales historias vel ex Psalmorum metaphoris excudi jam supra significavi (p. 306). Neque aptius Danielem cum Iobo conjunxisset Ezekiel, quam si uterque ad fictorum exemplorum genus pertinuisset. Ad Iobum quod attinet, fuit theologus Cantabrigiensis, qui librum illum ab Ezekiele propheta scriptum opinabatur (»A Dissertation on the Book of Iob, its nature, argument, age and author, by John Garnett B. D. Lady Margaret's Preacher in the University of Cambridge«. The second Edition. London 1751); a cujus sententia non prorsus dissidet vir doctissimus G. H. Bernstein, qui libri Iobi scriptorem hunc sibi scopum propositum habuisse contendit, ut in Iobi persona populum Hebraeum exsilii miseriis oppressum sisteret, suorum animos argumentis consolaretur quam maxime efficacibus, quippe quae ducta essent e summi Numinis sapientia, supra humani ingenii captum mirum quantum posita, ut nobis longe satius sit

abditis divinae providentiae viis et rationibus acquiescere, quam easdem irrito conatu scrutari velle (*Analect. f. d. Stud. d. exeget. u. dogm. Theologie* vol. I, P. 3, pp. 109 sqq. a Rosenmuellero citat. *ad Iob.* p. 14). Si igitur *Daniel* (דָּנִיֵּאל) »judicium Dei« significans liberationes populi Jehovicolae a justo numine promissas declarabat, *Iobus* autem, i. e. (אִיּוֹב) »Deo infensus« (Bernstein *ap. Rosenmuell.* p. 4), miserias Israelitarum divina providentia demum remotas poetico philosophemate prosequebatur, optime congrueret utriusque personae mentio cum Noachi allegoria, si illa quoque, ut supra monui, ad electi populi »requiem ac pacem« post errores et persecutiones prisci temporis spectaret, antequam Solomonis templum in tranquillitatis monumentum conderetur. Iobi saltim librum ad normam Jasharanam conscriptum esse, ipse supra (p. 328) significavi, et agnoscit Vir Eminentissimus, Nicolas Wiseman, Romanae Ecclesiae Cardinalis atque Archiepiscopus, qui hujus tractationis censuram, verbis formidabilem, re infirmissimam, consarcinavit (*Dublin Review,* Sept. 1855, p. 214). Illud autem fuisse scriptoris consilium, ut homines vere *probos, τοὺς ἀληθῶς Ἰσραηλίτας, ἐν οἷς δόλος οὐκ ἦν* (*Joann.* I, 47), in summis miseriis consolaretur, cuivis lectori perspicuum est. Nam Iobus ipse inducitur (I, 1), tanquam »integer et probus« (תָּם וְיָשָׁר), reverensque Dei et abhorrens a maleficiis, eumque sic adhortatur Eliphasus (IV, 7): »recordare, quaeso, ecquis innocens perierit, aut quando probi (יְשָׁרִים) fuerint deleti.«

Utut fuerit Ezekielis sententia de tribusviris illis, quos ut spectatae probitatis exempla protulit, sive is veros homines allegabat, sive fictas poeticasque personas, quae tanquam vivae per ora virum volitabant, manifestum est Jesaiam illum alterum allegoricam diluvii Noachani significationem perspexisse, eamque ad antiquam sub conditione probitatis Solomoni populoque ejus promissam tranquillitatem revocasse. Nam ex Judaeorum sententia Jehova ipse Solomoni pollicitus est, quum templum in monte aedificare

coepisset, se aedem illam habitaturum, et versaturum inter Israelitas, neque populum suum unquam se deserturum (1*Reges*VI,13). Et postquam templum illud absolverat Solomo, Jehova regem sic est allocutus (1*Reges* IX, 4): »Si tu ambulaveris ad exemplum Davidis patris tui in integritate cordis et probitate (בְּתָם־לֵבָב וּבְיֹשֶׁר cf. *Iob*. I, 1), ego quoque stabiliam regnum tuum in perpetuum. Quod si vos et posteri vestri a me defeceritis, ejiciam vos e terra, quam vobis dedi, atque hanc aedem, quam mihi sacraveram, repudiabo.« Hanc Dei promissionem in Noachi historia innui quivis viderit: ibi enim pollicetur Jehova (*Gen*. IX, 9, 11): »En ego vobis posterisque vestris promitto, nunquam vos diluvio in posterum correptum iri.« Et sempiternam illam Dei erga populum suum gratiam, etsi interruptam, tamen revocabilem esse, ut perpetuo maneret, aperte declarat Jeremias (XXXI, 2 sqq.). Itaque promissio illa diluvium Noachanum nunquam rediturum esse a Jesaiae continuatore ita accipitur, ut significet perpetuam tutelam, qua Deus Israelitas foveret. Nam summus ille vates urbem Dei depingit tanquam »derelictam uxorem, ductam in juventute, sed postea repudiatam a marito« (cf. *Jerem*. XXXI, 4), quam tamen sic solatur (LIV, 8):

In irae vehementia tibi paullisper meum subtraxi vultum;
Sed aeterna clementia tui miserebor,
Ait tuus vindex Jehova.
Nam hoc mihi est Noachi aquae,
Quas juravi non amplius pervasuras terram.
Sic nunc juro non futurum esse,
Ut in te effervescam aut te severius increpem.

Quum addit (v. 11): »O inops, *procellis concussa, consolationis expers*«, quivis viderit, quam arcte haec cum maritimae tebae significatione cohaereant; et verbis לֹא נֻחָמָה fortasse respexit vates ad alteram nominis Noachani etymologiam.

Constat ergo utramque Noachi mentionem, quae apud pro-

phetas exsules occurrit, in allegoricam diluvii significationem quadrare posse. Et quum apud Iobum (XXII, 15—17) Noachi nomen sileatur, praestat arbitrari Eliphazi verba ad Xisuthri historiam spectare; ait enim:

> Observate antiquam vivendi rationem
> Qua incedebant homines scelesti,
> Qui praematura morte abrepti sunt,
> Quorum fluvio dirutum est fundamentum.
> Qui Deo dicebant: »Mitte nos.«
> Quid nobis faciat Omnipotens?«

Quum enim de fluvio (נָהָר) loquatur, proculdubio spectat ad illas Euphratis Tigretisque fluminum eluviones, quae post imbres Auctumnales Mesopotamiae campos obruebant, quibus autem innitebatur Xisuthri fabula.

Quae quum ita sint, equidem statuo Noachanum diluvium pragmaticam eam formam, quam nunc exhibet, non antea induisse, quam novissimus Pentateuchi editor extremam suo operi manum admoverat. Animadverterunt Bohlenius aliique totam illam Noachanae arcae vel *κιβώτου* descriptionem ad similitudinem fluvialium apud Babylonios cymbarum expressam esse: quinetiam ipsam *tebae* nomen tam ad Aramaeam *tébiyyá*, Arabicum *tabût*, quae »arcam« significent, referri posse, quam ad Aegyptiacam illam *tebam* (p. 140); ligna autem *gopher* (גֹּפֶר), ex quibus arca construcia sit, non alia esse quam *κυπαρίσσους*, quae solae in Babylonia abundabant, ex quibus autem Babylonii ipsi naves suas construebant (Aristobulus, *apud Arrianum, Anabas.* VII, 19, § 4: *λέγει δὲ ὅτι καὶ ἄλλος αὐτῷ ἐναυπηγεῖτο στόλος τέμνοντι τὰς κυπαρίσσους τὰς ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ· τούτων γὰρ μόνων τῶν δένδρων εὐπορίαν εἶναι ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἀσσυρίων, τῶν δὲ ἄλλων ὅσα ἐς ναυπηγίαν ἀπόρως ἔχειν.* Res ipsae, quae in Noachi historia narrantur, Babylonicam indolem prae se ferunt. Nam ut Xisuthri navis in Cordiaeis Armeniae mon-

tibus subsistit, Xisuthri autem comites Babylonem redeunt (Syncellus p. 30 A. *Berosi Fragmenta* p. 501. Müller.), ita quum Noachi arca super iisdem Armeniae montibus requievisset, soboles ejus in Babyloniae campis congregabatur. Praeterea ipse eventorum ordo solarem annum, septem triginta dierum et quinque triginta unius dierum menses complectentem, innuere videtur. Atqui annus iste solaris a Nabonassare demum, A.C.DCCXLVII, institutus est. Sed ita Xisuthrus in Annacum vel Chanokum transit, quem ferunt primum astronomiam arithmeticamque invenisse (Euseb. *Praep.Evang.* IX, 17. *Hist.Eccl.* VII, 32, p. 423 Heinichen). Et Chanokus quidem ut primus librorum scriptor (Barhebr. *Chron.* p. 539) cum Xisuthro convenit, cujus libri ante diluvium illud Babylonicum in Solis urbe Sipparis conditi erant (Syncellus u. s.). Deinde, quod de Chanoko traditur (*Gen.* V, 24), »eum non apparuisse, quia abstulerit eum Deus«, idem de Xisuthro traditur, nempe eum, quum escendisset cum uxore filiaque una et navis architecto, *γενέσθαι μετὰ τῶν ἐκβάντων τοῦ πλοίου ἀφανῆ* (Syncell. u. s.). Astronomicum esse numerum annorum CCCLXV Chanoko tributum (*Gen.* V, 23) viderunt Ewaldus aliique permulti. Eundemque cum diluvio, quod vaticinatus esset, quodammodo internexum esse, satis patet ex Lycaonica illa de Annaco traditione, quam commemorat Stephanus Byzantinus (s. v. *Ἰκόνιον*). Omnia ista in uno Noacho consentient, si mecum statueris Pentateuchi editorem, quum Jasharanam illam de promissa probi populi in monte Zionis requie allegoriam ad Xisuthri vel Annaci diluvium accommodare vellet, nomen נֹוחַ vel articulo praefixo הַנּוֹחַ (unde *Ἄν-νακος*), »quietem« denotans, cum nomine חֲנוֹךְ, i. e. »initiatum« (cf. supra p. 144) permutavisse; et quum in Noacho, quem ut Xisuthrum illum in genealogia patrum decimum ponebat, alterum generis humani conditorem agnosceret, aliam personarum confusionem peperit commutatis inter se הַנּוֹחַ vel חֲנוֹךְ et הָאֱנוֹשׁ, i. e. *homo*, cujus

tres filios Noacho transferendos censuit. Noachi significatione allegorica eo facilius carere potuit, quia reduces Israelitae de priscis gentis suae erroribus minus cogitabant. Novissimum autem editorem, nempe post-Babylonicum illum Jehovistam, de quo supra (Excurs. I) locutus sum, cuncta haec concinnasse vel potius conglomerasse, ex eo apparet, quod per totam narrationem Jehovae nomen per se passim inseritur (vide VI, 3. 6. 7. 8. VII, 1. 5. 16. VIII, 20, 21).

EXCURSUS VI.

DE CONJUNCTA FRAGMENTORUM CITATIONE APUD JEREMIAM VATEM.

(p. 217).

Non fuit hujus operis consilium, ut omnia, quae ullo pacto ad Jasharanam syllogen pertinere possent, ex Sacris Libris expiscarer, sed ut talem compingerem anthologiam, quae ad argutum illud libri ipsius nomen apta esset, et eos praesertim locos complecteretur, quae quum veterum fragmentorum speciem prae se ferrent, ita inter se cohaererent, ut septemplicis libri medullam normamque probitatis Judaicae prodentis tenorem nulla intercapedine disruptum conficerent. Itaque multa sciens volensque silentio praetermisi, quae aliter sub examen potuissem vocare. Hac tamen oblata occasione sententiam meam de conglutinatis illis apud Jeremiam (XLVIII, 45. 46) libri Numerorum excerptis non dubitabo proferre.

Jeremias enim, quum verba illa Bileami (*Num.* XXIV, 17) quasi memoriter laudaret, ita ea anonymo fragmento (*Num.* XXI, 28. 29) immiscuit, ut ex duplici citatione unam clausulam efficeret. Id quod optime apparebit, si locos ipsos sic contendes:

Numeri XXI, 28.	*Jeremias* XLVIII, 45. 46.	*Numeri* XXIV, 17.
Venite Chesbonem,		
Struatur et formetur urbs Sichonis;		
Erupit ignis ex Chesbone,	Erupit ignis ex Chesbone,	Procedit stella ex Jacobo,
Flamma ex urbe Sichonis;	Et flamma e medio Sichonis;	Surgetque sceptrum ex Israele;
Consumpsit Aram Moabitarum,	Et consumpsit barbam Moabitarum,	Et contundet utrumque latus Moabitarum,
Dominos excelsorum Arnonis.	Et capillos hominum turbulentorum.	Exscindetque cunctos homines turbulentos.
		Numeri XXI, 28. 30.
	Vae tibi, Moab!	Vae tibi Moab!
	Periit populus Chemoshi.	Periisti, popule Chemoshi.
	Nam abducuntur filii tui in captivitatem,	Dedit filios ejus profugos,
	Et filiae tuae in servitutem.	Filiasque ejus in servitutem
		Regi Amoraeo Sichoni.
		Jaculis eos confecimus;
		Periit Chesbon usque ad Dibonem;
		Vastavimus usque ad Nophachum,
		Conflagravimus [1]) omnia usque ad Medebam.

De duplici hac vel potius confusa citatione quid sentiam, breviter declaravi alias (*Christian Orthodoxy* p. 224). Nam sic statuo. Quum Jeremias sacrificiorum jus repudiaret (VII, 22), non potuit libro sacerdotali *Numerorum*, etiamsi tunc exstaret, sacram auctoritatem tribuere. Et quum duos locos eadem citatione commiscuerit, verisimillimum est eum citationes suas ex aliqua anthologia decerpsisse, quam assueta manu versabat. Sed fragmentum illud, quod in *Num.* XXI occurrit, priscam sapit anti-

[1]) Dathius, quem sequor, pro ווירש legendum vidit וינרשו.

quitatem; Bileami autem canticum, ut supra vidimus, Davidicam vel Solomoneam aetatem prae se fert. Quidni invenerit Jeremias fragmenta ista in sylloge quadam, quae sicut Jasharana nostra, in quinta parte felicitatis promissiones, in sexta vetusta Epinicia contineret? Eo scilicet ordine Jeremias has citationes excerpsisse vel memoriter protulisse appaŗet. Quod si Josuae epinicium, quod secundum in sexta parte, ut in quinta parte secundum locum Bileami benedictio obtinet, reges trans Jordanem devictos, atque inter eos Sichonem Amoraeum commemorabat (supra pp. 235, 257), facile est suspicari hanc ipsam cantici particulam in illo Epinicio pristinam sedem habuisse. Errant enim, me judice, qui Sichonis dumtaxat victoriam ibi celebratam fuisse existimant: Hebraeum est illud משל (v. 27), ut et Bileami (*Num.* XXIII, 7), et nonnisi ad Judaeorum victorias respicere potest, quas ita declarat vates, ut Sichonem Moabitarum debellatorem a suis civibus profligatum fuisse haud demisso sermone praedicet. Itaque si quis vetustissimum hoc fragmentum Jasharano libro, et Josuano quidem epinicio, infercire voluerit, me suffragantem habebit, etiamsi nullam ibi notam sententiae vere Jasharanae mihi visus sum deprehendere.

ADDITAMENTUM.

Nota ad p. 102.

In litterarum ductibus comparandis neglexi distinctionem inter mediales et finales formas. Nam litteras ץ, ף, ן, ם, ך, sive in medio sive ad finem vocabuli positae erant, eodem modo in vetustis codicibus scriptas esse, satis ostendit Jonathani Paraphrasis Chaldaica, quae in *Hos.* VI, 5 pro ומשפטיך אור legit ומשפטי כאור, nam sic interpretatur locum: ודיני כנהור נפק, *judicium meum quasi lux orietur.* Idem in *Micha* VII, 4 pro ישר ממסוכה legit ישרם מסוכה quam sic explicat טבא דבהון ודקשיט בהון, *qui verax est in iis est sepes spinosa.* Ita in textu nostro, si ante לשני inserebatur כנענ (sic) scriptum sine finali distinctione, confusio ista nullo negotio oriri poterat.

CORRIGENDA.

Pag.	l.	pro	lege
23.	4 fin.	XXX	XXXII.
24.	6 fin.	βίβλιον	βιβλίον.
29.	4 fin.	XXIV, 32	XXV, 22.
30.	ult.	20	31.
43.	4 fin.	opes	spes.
44.	4 fin.	XXIX	XIX.
58.	8 fin.	Testamenti	Testamento.
*			
113.	5 init.	ponuntur	ponantur.
163.	6 fin.	certaretur	conflictaretur.
168.	13 init.	amendare	amandare.
200.	7 init.	XI	XXI.
208.	5 fin.	decennium	duodeviginti annos.
222.	17 init.	alond	aloud.
236.	13 init.	lapidosum	lapidosam.
238.	6 fin.	vallum	vallem.
258.	penult.	Iephta	Iephtha.
261.	3 init.	quinquennium	duodecim annos.
343.	7 init.	Syriorum	Syrorum.
345.	prim.	Syriis	Syris.

* Insere additamentum paginae 102.

33 – 16 [illegible] – – [illegible]
60 – 4 – [illegible] – – [illegible]

112. 11 [illegible] – – [illegible]
113. 5 [illegible] – – [illegible]
3[illegible] – 1[illegible] [illegible] – – XVII m[illegible]

BEROLINI, TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PIDDINGTON'S SAILOR'S HORN-BOOK. A Practical Exposition of the Theory of the Law of Storms and its Uses to Mariners in all parts of the World. (4 charts.) Third edition, enlarged and improved. 8vo. Cloth. 1860 — 10s 6d

---

PIDDINGTON'S CONVERSATIONS ABOUT HURRICANES, for the use of Plain Sailors. 8vo. Cloth — 7s

---

REYNARD THE FOX; a burlesque Poem of the 15th century, translated from the Low German original, by D. W. SOLTAU. 8vo. Cloth. Hamburg, 1826 — 5s

---

VIRUES. LA GRAN SEMIRAMIS. Tragedia del Capitan CRISTOVAL DE VIRUES, Escrita A.D. 1579. Reprinted from the unique copy in the Library of the Escurial. 12mo. Sewed. (250 printed) — 2s 6d

---

MAPS AND ATLASES.

SYDOW'S WALL MAPS of PHYSICAL GEOGRAPHY. An ENGLISH EDITION, the Originals with ENGLISH NAMES and Explanations, edited by J. TILLEARD, Esq.

1. THE WORLD. The two Hemispheres (*each 3 feet in diameter*) and two other Hemispheres, the Northern and Southern; also the World in Mercator's Projection. 12 Sheets 8s—Mounted with Rollers, 13s 6d
2. EUROPE. 9 Sheets — 8s—Mounted, with Rollers, 13s 6d
3. ASIA. 9 Sheets — 7s 6d—Mounted, with Rollers, 13s
4. AFRICA. 6 Sheets — 6s—Mounted, with Rollers, 10s 6d
5. AMERICA (North and South). 2 Maps, 10 Sheets — 7s 6d—Mounted, with Rollers, 14s
6. AUSTRALIA and AUSTRALASIA. 6 Sheets — 8s—Mounted, with Rollers, 13s 6d

☞ Be careful to order the English Edition.

SYDOW'S HANDBOOK to the SERIES of LARGE PHYSICAL MAPS for SCHOOL INSTRUCTION, edited by J. TILLEARD. 8vo. Gotha-London, 1857 — 1s 6d

---

KIEPERT'S NEW ATLAS ANTIQUUS. Eight Coloured Maps to illustrate Ancient History. 13 by 16 inches each; folded on guards. Bds. — 6s

---

VAN DE VELDE. MAP OF THE HOLY LAND, constructed from his own Surveys and those by Officers of Royal Engineers, in 8 coloured sheets, 19 by 15 inches each, scale 1:315,000. In portfolio, 21s. In a cloth case, 24s. Mounted, varnished, with Rollers — 26s

---

VAN DE VELDE'S MEMOIR TO ACCOMPANY THE MAP OF THE HOLY LAND. 8vo. 1858. Cloth bds. — 8s 6d

---

VAN DE VELDE'S PLAN OF JERUSALEM, the Town and Environs, from the Ordnance Survey and Dr. Tobler's measurements (1:4500) with a Memoir by Dr. Tobler and 3 old plans. 1858. Mounted on linen in portfolio — 10s 6d

DR. DAVIDSON'S REMOVAL from the PROFESSORSHIP of Biblical Literature in the Lancashire Independent College, on account of alleged error in Doctrine; a Statement of Facts, with remarks and criticisms. By the Rev. Th. Nicholas, Professor of Biblical Literature, &c. Presbyterian College, Carmarthen. 8vo. pp. 136. 3s

---

BECKER'S GERMAN GRAMMAR. A Grammar of the German Language. By Dr. K. F. Becker. Third Edition, carefully revised and adapted to the use of the English Student, by Dr. J. W. Fraedersdorff, of the Taylor Institution, Oxford. 12mo. Cloth. 5s

---

SOLLING (G.)—A REVIEW OF THE LITERARY HISTORY OF GERMANY, from the earliest period to the beginning of the nineteenth century, by G. Solling, of the Royal Military Academy, Woolwich. 8vo. Cloth. 4s

---

KENNEDY (JAMES) MODERN POETS AND POETRY OF SPAIN. Contents: Jovellanos—Iriarte—Melendez Valdes—L. Moratin—Arriaza—Martinez de la Rosa—The Duke de Rivas—Breton de los Herreros—Heredia—Espronceda—Zorrilla. 8vo. Cloth.

Published at 16s, *reduced to 8s*

WORKS IN THE PRESS.

KENNEDY (James, Esq., LL.B.) ETHNOLOGICAL and other ESSAYS.

ANCIENT DANISH BALLADS, translated from the originals with notes and Introduction, by R. C. Alexander Prior, M.D. 3 vols. 8vo.

FRAEDERSDORFF. A PRACTICAL INTRODUCTION TO DANISH OR NORWEGIAN; a Collection of useful Phrases and Sentences, arranged in grammatical order, with reference to Rask's Danish Grammar, and Extracts from Danish and Norwegian historians, Allen, Munch, &c. with explanatory Notes and a Vocabulary at the foot of the page. 12mo.

(Nearly ready)

CORMAC'S AND O'DAVOREN'S OLD IRISH GLOSSARIES, edited from MSS. in the Libraries of Trinity College, Dublin, and the British Museum, by W. S.

THE ABHIDHÁNARATNAMÂLÂ of HALÂYUDHA. A Sanscrit Vocabulary, edited, with a complete Sanscrit-English Glossary, by Dr. Theodor Aufrecht. 8vo.

PREPARING FOR PUBLICATION.

AN ENGLISH-HINDUSTANI DICTIONARY, compiled from the best Sources, by W. Wright, Professor of Arabic in the University of Dublin. (In 1 vol. 8vo, about 800 pp.)